BIBLIOTECA DELLA R. CASA
IN NAPOLI
N.° d'inventario 1815
Sala Grande
Scansia 28 Palchetto 6
N.° d'ord. 7

Palat. XXIV-12

Digitized by Google

8

THOMÆ FAZELLI

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE REBUS SICULIS

DECADIS SECUNDÆ

LIBRI SEPTEM.

Criticis Animadverſionibus, & Auctario illuſtravit

S. T. D. D. VITUS M. AMICO & STATELLA

Benedictino-Caſinenſis Prior,

In Catanenſi Univerſitate Publicus Civilis Hiſtoriæ Profeſſor, ac Regius Siciliæ Hiſtoriographus.



CATANÆ MDCCLI.

Ex Typographia JOACHIM PULEJI. Impreſſ. Academiæ Ætnæorum.

Superioribus annuentibus.



EDITOR LECTORI SUO.

INtegra **THOMÆ FAZELLI** de Rebus Siculis Decas Secunda; quam Tomo hoc altero, Eruditiſſimo Lector, expectabas, tribus extremis libris æqua ratione prodit decurtata. Nonus enim, qui Aragonenſium Regum, & Caſtellanorum, ac Decimus, qui ad noſtra tempora hiſtoriam complectitur, juſti voluminis molem vel ſoli confeciſſent; Octavus verò ita nono libro conjunctus eſt, ut hic veluti acephalus ſine illo prælo committeretur. Topographicum certè Lexicon, quod promiſimus, modum omnino exceſſiſſet. In tertium igitur volumen illos conſultò rejicimus, quos Lexicon excipiet, ut mole hoc etiam aliis reſpondeat Vale.

INDEX LIBRORUM, & CAPITUM.

PRÆFATIO I.

Liber Primus.

De Primis Siciliæ Habitatoribus. cap. I. 3.
De Græcis, qui Siciincoluerunt. c. II 23.
De Tyrannis Sicil. Cleandro, Hippocrate, & Gelone. cap. III. 38.
De Hierone Seniore, & Traſibulo. cap. IV. 47.

Liber Secundus.

De Ducetio Siculorum Rege. cap. I. 54.
De Bello inter Leontinos, & Syrac. cap. II. 58
De Bello memorabili inter Athenienſes, & Syrac. cap. III. 62.
De Bello inter Segeſtanos, & Selinuntinos, & urbium Selinis, & Himeræ ab Annibale deletione. cap. IIII. 90.

Auctarium.

De Agrigentinæ Urbis per Carthaginienſes excidio. 98.

Liber Tertius.

De Dionyſio Seniore. cap. I. 103.

Auctarium.

Dionyſii Geſta, ex Diodoro. 112.
De Bello Carthaginienſibus illato 122.
Syracuſarum Obſidio. 132.
Dionyſii extra Siciliam Geſta 138.
Ultimum Dionyſii, cum Carthaginienſibus Bellum, Ejuſq. obitus cauſæ 143.
De Dionyſio Juniore, & Dione. cap. II. 146.
De Dionyſii Junioris ad principatum Reſtitutione, & Timoleonte Tyrannidis Extinctore cap III. 164.

Liber Quartus.

De Agathocle Syracuſarũ Rege cap. I. 178.
De Mamertinis Meſſanam occupantibus & Pyrrho Siciliæ Rege cap. II. 209.
De Hierone Juniori, & Bello inter Romanos, & Carthaginenſes. Quod Primum Bellum Punicum appellant. 215.

Liber Quintus.

De Hieronymo Syracuſarum ultimo Rege, & ejuſdem Urbis a M. Marcello Expugnatione cap. I. 241.
De Bello Servili, & aliis Motibus qui in Sicilia imperãte Populo Romano ſunt exorti cap. II. 264.

Auctarium.

De Primo Servili Bello ex Diodori lib. XXXIV. 273.
De Secundo Servili Bello ex eodem Diodoro lib. XXXVI. 276.
De Bello Siculo ex Dione, & Appiano 281.
De rebus in Sicilia geſtis a Chriſti Domini ortu ad Gothorum Invaſionem 291
De Gothis Siciliam occupantibus, & poſtmodum expulſis cap. III. 293.

Auctarium.

De Rebus in Sicilia geſtis ſub Græcis Imperatoribus 307.

Liber Sextus.

De Siciliæ a Saracenis Invaſione, & Occupatione cap. I. 309.

Auctarium.

De Saracenis Siciliæ Amiris 329.
De Georgio Maniace, & ejus in Sicilia cõtra Saracenos egregiè geſtis. cap. II. 335.

Liber Septimus.

De Rogerio Nortmanno Siciliæ Comite, & Saracenorum Expulſione. cap. I. 345.
De Simone Siciliæ Comite. cap. II. 368.
De Rogerio Siciliæ Rege cap. III. 368.
De Guillelmo Primo hujus nominis, Siciliæ Rege, quẽ Malũ appellant. cap. IV. 382.
De Guillelmo Secundo, quem Bonum appellant Siciliæ Rege. cap. V. 406.
De Tancredo Siciliæ Rege. cap. VI. 416.
De Rogerio Secũdo Sicil. Rege. cap. VII. 419.

F. THOMAE FAZELLI SICULI

ARTIUM, & SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS

ORDINIS PRÆDICATORUM.

DE REBUS SICULIS POSTERIORIS DECADIS.

AD D. CAROLUM V.

CAESAREM

Hiſpaniæ, & Siciliæ Regem.

PRAEFATIO.

SI Nudo locorum, atque urbium ſitu virtus à vitio, & vir laudatus ab illaudato diſcerni, quantumque in rerum humanarum ſucceſſibus ſpei reponendum foret (quod utrunque inſtituti mei conſilium eſt) perſpici potuiſſet; jam priori decade toti operi finem imponere, ac epilogo coronidem perſtringere oportuiſſet. Sed quoniam ex ſola Siciliæ topographia hæc obſervari nequeunt, nihilo plus præſtitiſſe nos hucuſque exiſtimavimus, quàm qui comœdiam exhibituri omni apparatu theatrum ſplendidiſſimum inſtruxerunt, hi verò niſi quod exteriori ornatu promiſerunt, interlocutorum actione, geſtuque referant, ridiculum profectò, necnon moleſtum vulgo, accitiſque ſpectatoribus cachinnum, imo publicum temeritatis ſuæ ludibrium, movebunt. Proinde poſita ob oculos tum uti nunc eſt, tum uti olim fuit, univerſa Sicilia, ſupereſt, ut concinno temporum ordine, à quibus rationibus coaluerit, qui Principes, Tyranni, Reges, bellorum cum exteris, ac finitimis cauſæ, ſucceſſus, victoriæ, ſtrages, quæ denique in præſentem uſque ſtatum crebræ, ac memorabiles rerum mutationes jam inde à primordio ſeſe mutuò conſecutæ ſint, narrationis actione veluti in proſcęnium producamus. Sic enimverò noſtrates iis velut domeſticis exemplis experrecti non temere ad vitiorum fugam, virtuteſque cum delectu capeſſendas magis, magiſque concitabuntur. Rem autem ipſam à vetuſtiſſimis, primiſque illis temporibus auſpicari opere pretium eſt: cum aliunde primordia petenti defuturum planè ſit narrationis initium. Cæterum quanta ſit Siculæ hiſtoriæ, cujus non pœnitenda pars interiit, inopia, nemo eſt, vel mediocriter in literis verſatus, quin videat. Ea nanque ferè omnia, quæ primo, ac Sicanorum, Siculorumque ævo geſta ſunt, labentes anni invida nobis vetuſtate abraſerunt. Multa præterea, quę ſuccedenti temporum curſu edita ſunt, bellorum ſævitià, majorumque negligentià interierunt & ipſa. Quocirca quod in manu fuit, id ſolum præſtiti, dedique operam, ut (poſthabitis fabellis, & iis,

Authoris conſilium in Siculæ Hiſt. conſcribenda.

Siculæ Hiſtoriæ inopia.

F. THOMÆ FAZELLI

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE REBVS SICVLIS,

Poſterioris Decadis.

LIBER PRIMUS:

DE PRIMIS SICILIAE HABITATORIBUS;

CAPUT PRIMUM.

Ante diluvium Siciliæ inſula à Gigantibus culta.

ORBE Condito, Gentiumque multitudine repleto, Gigantes ad Cataclyſmum uſque (cujus interſtitium, quadraginta duorum ſupra ducentos, ac bis mille annorum ſupputatur) Siciliam incoluiſſe, primum omnium jam ſatis conſtat. Cum nanque principio rerum ante aquarum profluvium, procerum illud hominum genus cum numeroſa ſobole late diſperſa, orbem univerſum ab ortu ad occaſum (teſte Beroſo, invaſiſſet) Siciliam etiam, aliaſque mediterranei maris inſulas, ſibi occupavit (1). Quæ verò fuerint eo ævo res in Sicilia geſtæ, cum nulla earum memoria, ac ne Siciliæ quidem tum vulgatum nomen exinde ad nos pervenerit, incompertum eſt. Quis enim res tam veteres, & quæ in receſſum prorſus abjerunt, vel conjectura aſſequi poſſet? At cum immanis hæc humanæ Gentis propago primæ illi ætati ſcelerum ſuorum enormi machinatione exitium conſciverit: vix conſtanti multitudine mundo ab aquis reſtituto, inter occupatæ Siciliæ initia, eadem fermè corporum, animorumque feritate tanquam poſtliminio renata eſt. Ita poſt aquas, veluti & antea fuiſſe Gigantes, cum pleriſque difficilimis per orbem terrarum diffuſos locis, tum Siciliam infando dominatu, ac tyrannide ſubjectam ſibi tenuiſſe, non modo Homeri poetarum omnium maximi, ſed graviſſimorum quoque hiſtoricorum authoritatibus, exemplis præterea, ſtupendiſque uti olim, ita & noſtra etiam tempeſtate repertis paſſim eorum ſub terra cadaveribus, conſtantiſſimum eſt (2).

Uti & poſt diluvium.

Sed an indigenum, an aliunde, atque unde tandem in Siciliam hoc hominum genus advectum, ſedem ſibi inſulam delegerit, ſcriptorum necdum ſatis (ob certamen contentionis ambiguum) diſcuſſa, deciſaque eſt opinio. Trogus nanque, & qui cum eo ſentiunt, Siciliæ indigenas, & ex ſeſe oriundos tradunt. Didimus autem, aliique complures authores græci, genus eſſe Treiicium, & ſubinde varias incoluiſſe regiones, & in primis Acarnaniam, Epyrotis, Ætolis, ac Locrenſibus conterminam, atque inde in Siciliam adveniſſe contendunt. Proinde, ſi ad judicium fides eſt redigenda, ab Armenia eos in Siciliam primum advectos liquet (3). Quod præter Moſen, fideliſſimi quoque vetuſtæ hujus originis, illorumque ſcriptores temporum (quorum Græci, ac deinde eos ſecuti Romani fuerunt ignari) ab humana clade hiſtoriam exorſi, palam poſteritati conte-

Unde advenerint Gigantes in Siciliam.

Ab Armeniiſ.

ſtatum reliquerunt. Cum etenim gens omnis, gigantum præſertim, pudore ſublato, in omne nefas abiiſſet, ſcelerum eorum atrocitate Deus Optimus Maximus laceſſitus, univerſo orbi inundationem immiſit. In tanto tamen rerum humanarum diſcrimine, ſolum ex gigantibus Noe (quem Janum fuiſſe Beroſus refert (4)) virum pium, atque inter tot enormia vitiorum monſtra invictum, tribus cum filiis Semo, Japheto, & Chemo, ac ſua, eorumque uxoribus ad reſtituendum poſt cladem Genus humanum ſervari placuit. Qui multis ante excidium annis præmoniti, cautique, navi in arcæ ſpeciem fabricata, in quam & ſeſe ab undarum periculo, & ex omnium animalium progenie conjugium congeſſerant, è qua ſiccato tandem orbe, & in Gordiei montis vertice, qui eſt in Armenia ſaga, quieſcente navigio, egreſſi ſunt. Ubi rei geſtæ monumentum in lapide ab ipſo Noa inciſum, & locus Arameo idiomate Sale Noa, quod egreſſorium interpretatur, ad noſtram uſque ætatem eſt appellatus, ut Armeni, qui ad nos inde accedunt, perferunt (5).

Ex Noa & filiis propagatū genus humanum.

In quatuor itaque horum ſuperſtitum gigantum ſemine reparandi orbis, renovandique incolatus ſpes omnis conſederat. Qui mirabili divini Numinis ope cum conjugibus ſuis congreſſi, numeroſo in infinitum partu, congeminatis utpote mare, & femella, multiplicatiſque præter ſolitum etiam novorum gigantum fœtibus, brevi totam Armeniæ regionem impleverunt. Loci poſtmodum anguſtia victi, ad quærendas novas ſedes, dividendaſque per univerſum colonias, ſeſe invicem cohortati ſunt. Unde confirmato conſilio, diſpertitiſque per omnes mundi regiones habitatoribus, in Siciliam quoque Gigantum cohortem tranſmigraſſe proculdubio cenſendum eſt. Fuit autem Gigantum, qui primi Siciliam exinde incoluerunt, tanta, ac tam efferа in familiari vitæ conſuetudine aſperitas, ut neque legibus, neque moribus, neque ſocietatis ſtudio, neque denique ullo Dei cultu tenerentur (6). Eoque per licentiam proceſſerant, ut injuriam pro innocentia, pro pietate Numinis contemptum habentes, non ſolùm regnandi jus, ſed cujuſdam etiam divinitatis faſtigium ſibi arrogaverint. Hos ob naturæ duritiem, virium robur, ac ſtaturæ proceritatem, confìcto ad opinionem ſuam nomine, Gigantes appellavit antiquitas.

Gigantes primi Sicil. incolæ exleges, & impii.

Id verò non conſtans, aut unum primis hiſce Siciliæ habitatoribus nomen inhæſit. Creſcente nanque eorum libidine, viribuſque in dies ad nova ſcelera invaleſcentibus, novorum quoque nominum acceſſionem meruere, atque à latrociniis, frequentibuſque in mediterranea, ac finitimas Italiæ regiones excurſionibus, ad quas nati potius, quàm inſtituti videbantur, Leſtrygones ſunt vocati (7). Ac deinde prædis haud quaquam contenti, nequid ad extremam nequitiam, ac naturæ turpitudinem ſibi reliqui facerent, cum neque à ſanguine, miſerorumque advenarum laniena ad diram uſque viſcerum humanorum ingluviem, voracitatemque abſtinerent, Anthropophagi etiam ſunt dicti. At verò, & Cyclopes jam tum appellati ſunt, quod nomen ad allegoriam referendum nonnulli judicarunt (8). Quippe quibus non unus tantùm natura orbiculàris in fronte oculus attributus, ut fabulæ tradunt, ſed propter ingenium, prudentiamque, ac artium, quas cyclides vocant, quod illarum origo velutì circuli initium latens ſit, induſtriam, Cyclopum nomen provenerit, tametſi non deſint ex Græcis authoribus, qui à Cyclope eorum Rege co-

Leſtrygones.

Anthropophagi, & Cyclopes.

gno-

Digitized by Google

gnomentum hujuſcemodi eos ſortitos affirment. Fabrilis eos etiam artis non ignaros fuiſſe, & ferream primum fabricam, ac deinde turrium uſum inveniſſe fide digni ſcriptores teſtantur (9). Quibus alludunt, & antiquiſſimorum, præcipuorumque poetarum fabulæ, qui vicinas Siciliæ inſulas Vulcanias, atque Vulcani officinas, & Cyclopes operis ejuſmodi miniſtros fuiſſe, & Jovi fulmina, ac telum fabricaſſe non adeo abſurdè, quanquam poeticè, commenti ſunt. Quibus, cum inſuper ad rem accommodatiſſima nomina indiderint, qualia ſunt Brontes, Steropes, Pyracmon, & id genus alia, communi eorum arti non modo nihil detraxiſſe, ſed lucis etiam non parum addidiſſe videntur. Nam Brontes tonitrum, quod ex incude malleis verberata reſultat, Steropes fulgorem ex incendio natum, & Pyracmon calentem incudem Latinè ſignificant. Sed, & Brontes oppidulo ad radices montis Ætnæ ſito nomen inditum, ad meam uſque ætatem conſtantiſſimum vetuſtatis hujus monumentum eſſe non inficias eo: (10) veluti, & Polyphemi ſpecus, & Ulyſſis portus ad ejuſdem montis declivia, hucuſque veterum authoritate appellati, ejuſce antiquitatis clara ſunt veſtigia (11).

Cyclopes artis fabrilis gnari.

Brontes, Steropes, & Pyracmon.

Cyclopes itaque hi quoniam portentoſæ erant corporis ſtaturæ, non urbes, non oppida, ſed Ætnæos, Leontinoſque, ac alios eximiæ magnitudinis ſpecus, quos in delectis ſibi montibus effoderant, ut in hanc uſque ætatem cernere licet, habitabant. Authores ſunt Plato, & Ariſtoteles. Quod & Plato Homeri verbis, quibus ſtatum, qui tunc temporis in Sicilia erat, exactiſſimè deſcripſit, conſtantiſſimè aſſerere non dubitat. Porrò quantum in rebus antiquiſſimis Homero tribui debeat, non Platonis ſolùm, ſed Ariſtotelis quoque, aliorumque graviſſimorum in ſuſcipiendis tanti viri laudibus ſcriptorum judicia, ac vetuſtas ipſa, & quamproximè ad hiſtoricam veritatem accedens poeſeos modus, liquidò commonſtrant. Homerus itaque in iis, quæ de Sicilia commemorat, à vetuſtiſſima Beroſi hiſtoria parum diſſentiens, cum docendi tantùm, ac antiquiſſima quæque præcipuarum, ignotiſſimarumque ſua ætate regionum deſcribendi conſilio tam ingenioſi operis laborem aggreſſus ſit, non temporis ratio, quod poſt Trojanum excidium circa Uliſſis errores obſervari poſſit, conſideranda eſt: ſed in ejus inſtituto omne conſumendum eſt judicium. Nam vetus hoſpitii jus, violatæque ſocietatis publicæ inſignem vindictam propoſiturus à gigantum agreſtibus, inhumanis, atque inhoſpitis moribus aptiſſimum exemplum petit. Quorum cum in Siciliam plurimam multitudinem ab emenſi orbis primordio graſſatam accepiſſet, inſulæ deſcriptionem à primæ ferè in ea ætatis habitatoribus inchoat. In qua cum nullum adhuc Trinacriæ, Sicaniæ, Siciliæ, aut ſi quod eſt iis antiquius nomen, cognitum eſſet, à memorabili, ac feriſſima gente Cyclopum, qui primi inſulam incoluerunt, eam appellat. Cujus denominationis hac etiam tempeſtate in ſpecubus Ætnæis, & Leontinis, & in tribus littori Ætnenſi vicinis, & non longè ab Acis arce è mari ſurgentibus ſcopulis non ſine magna ejus antiquitatis admiratione veſtigia permanent. Nam illæ Cyclopum ſpecus, & Leſtrygonum ſedes, hi verò Cyclopum ſcopuli à Plinio, Solino, & Mela appellantur.

Cyclopes in Ætna, & Leontinis agris.

Excellens præterea illa, quam Homerus collaudat, telluris fertilitas, utpote quòd frugum omnium ſponte enaſcentium ſit ferax, quòd Cyclopibus alimenta ſuggerebat accommoda, quodque vel ob

ea

Digitized by Google

ea Solis appelletur inſula, in Leontinis, Ennenſibus, Mylenſibus, ac plerisque aliis paſſim agris ad experientiam quoque, uſuſque noſtros per tot ſæculorum intercapedines inaudita quodammodo hæreditate, ut antiquæ feracitatis indicium, pervenit.

Cyclopes igitur, qui primi poſt humani generis interitum Siciliam tenuerunt, ob recentem diluvii memoriam, ne eandem aquarum vim, qua ſui majores ſuerant obruti, experirentur, montium altiſſimorum cacumina in ſpeluncis habitaſſe, in quibus ſeſe ab omni cœli injuria tuebantur, conſtat (12). Subinde ſolitudinis, vitæque incultioris tædio, relictis ſylveſtribus jugis, per montium declivia deſcendentes, & ad ima ſpecus ſibi effodientes ibi habitare cœperunt, uti, ſi ab iis locis periculum immineret, facilè ad editiora refugium pateret, quod & cunctantius factum eſſe ratio ſuadet. Mox creſcente ſocietate, & corroboratis animis, imminutaque nonnihil veteris preſſuræ memoria ad patentes inſulæ campos, lataſque planities ampliores, firmioreſque ſedes tranſtulerunt. Poſtremò autem, omni abolito metu, campoſque egreſſa audacia, in littoralibus locis conſederunt, & per lata etiam maria expatiati navibus, triremibus, phaſelis, lintribus, & ratibus immenſo pelago ſe concrediderunt: imò & natatu ad piſcium æmulationem libertatem ſunt conſecuti. Hæc itaque pro ætatum ordine, atque timoris modo incolatus genera, necnon vivendi, atque morum diſcrimina in Sicilia, veluti & in toto penè terrarum orbe, poſt ſedatos aquarum impetus, ſeſe ordine ſubſecuta ſunt, ut à veteribus accepimus (13). Et hæc quidem Siciliæ primordia, quæ quidem & ipſa nobis veluti nube quadam obducta à vetuſtioribus ſunt relicta.

Montium habitatores primùm.

Mox patentes campos incoluerunt, & ſeſe mari commiſere.

Saturnus Siciliā occupat.

Subinde anno poſt aquas 268. & Nini primi Aſſyriorum Regis 22. ut Beroſus ſupputat, Saturnus Ægyptius omnium primus Siciliam occupavit. Author eſt Diodorus (14). Sed operæ pretium eſt Saturni genus, propriaque ejus nomina paulo altius ex Beroſo, Metaſthene, Xenophonte, Fabio Pictore, & Catone hoc loco repetere. Quorum explicatio etſi prolixa, non ſolùm rebus dicendis, ſed grecæ quoque hiſtoriæ, quæ hæc rerum initia ſatis obſcura, ac veluti in ſabulas rejecta recenſere videtur, maximam afferet claritatem. Quæ rerum monumenta etſi quibuſdam efficta videantur, quia tamen à nonnullis ſunt recepta, & ſacris literis aliquatenus hærent, ea nos fide illa recipimus, quam apud Eruditos merentur.

Ab aquis igitur ad Ninum uſque primum Aſſyriorum Regem, annorum 249. intervalli ætas fuit, quam Poetæ auream appellant, quando gentium imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium Regni non ambitus, & immoderata cupiditas, ſed ſpectata virtus provehebat, populuſque nullis legibus aſtrictus arbitria Principum, quorum fines imperii tueri magis, quam proferre moris erat, pro legibus habebat. At verò iis omnibus, velut & univerſo terrarum orbi, ea temporis intercapedine Noa præſidebat, cui cum ſoli anteactæ ætatis, rerumque ſacrarum, vitæque civilis memoria inſideret, humano genere ex ſe, ſuiſque liberis Semo, Japheto, & Chamo ejuſdem ſortis gigantibus in Armenia, ut diximus dilatato, ſimplicique agricultura, & Dei cultu in novos homines diſſeminato, multa quoque rerum naturalium ſecreta literis mandavit. Imprimiſque humanæ ſocietatis modum, ac vivendi eum ſumma comitate, & gratia reſuſcitavit, ac denique quæcunque ad pietatem, honeſtatem, neceſ-

Noa univerſo præſidet.

Ejuſdem inventa.

neceſſitatemque ſentiebat non inutilia, ea ad cognitionem, uſumque recentis, ac rudis adhuc ſæculi reduxit. Aſtrorum præterea curſus, annumque ad curſum Solis, menſem ad Lunæ motum dimenſus eſt, Vinum, far, & pleraque alia ad humanæ vitæ uſum invenit. Quæ non Armenis ſolùm, ſed nationibus quoque omnibus ad extremum communicavit. Quamobrem in tanta authoritate eſt habitus, ut certiſſima divinitatis perſuaſione ducti, auguſtiori in dies, & pro beneficiorum, gentiumque varietate, diverſo nomine ipſum colendum ſibi propoſuerint. Nam & ante, & poſt aquas Noa proprium ei nomen fuit; quod Hebræum cum ſit, latinè moventem omnia ſignificat. Armeni verò Olybam, hoc eſt cœlum; Arſa, ideſt Solem; Ogygem hoc eſt illuſtrem ſacrorum doctorem; Janum ideſt viniferum, vitiſq; inventorem. Græci ſubinde Chaos, ideſt confuſionem; Hylen hoc eſt ſylvam, ſive materiem, eo quod in ſui primordio rudis erat orbis, eum appellarunt; Uranium ideſt cœleſtem. Latini poſtremò Semen mundi, quia ſator omnium; Vertunnum, ideſt cœli cardines convertentem, & cœlum; & Janum etiam alia ratione eum appellarunt, ideſt patrem Divorum majorum, & minorum, Authorem, & principium, utpote humani generis. Janitorem, cœli clavigerum: Bifrontem, & Bicipitem, ideſt caput anni, & finem, præteritaque cognoſcentem, & futura proſpicientem: & plurimis aliis id genus epithetis eum cognominarunt. Quæ cum diverſa videantur, diverſorumque etiam poematum commentis immenſam materiam præbuerint, penitius tamen introſpecta in unum, eundemque Noa, quem nos Janum deinceps, Beroſum imitati nominabimus, coincidunt (15). Uxorem habuit nomine Tytheam, quam Aretiam, ideſt terram appellarunt: dixeruntque ex Cœlo, & Terra, hoc eſt Jano, & Tythea omnes homines genitos.

Nomina diverſa.

Janus cur appellatur.

Tythea Jani Uxor.

Ex hac igitur Janus poſt aquas fœcundam gigantum procreavit ſobolem. Referta autem tam inſtitutis, quàm populo Armenia, ad alias deſertas regiones Janus habitandas ſe convertit. Anno itaque poſt aquas 100. in tres partes mundum, prout ante diluvium viderat, nimirum in Aſiam, Africam, Europam diviſit, quarum tribus filiis majoribus vicariam velut adminiſtrationem concredidit, ſibi tamen præcipua in omnes reſervata Monarchia. Semus itaque filiorum Jani natu maximus majorem Aſiam à termino Ægypti per meridiem ad Indiarum uſque fines obtinuit. Japhetus, quem Athlantem Maurum ob id appellat Diodorus, quòd in Mauritania objerit, Europam, & mediterranei maris inſulas adeptus eſt. Chamus verò Africam, cum omnibus ſuis regionibus, & Ægypto, ſortitus eſt, quibus non contentus pluribus ſuorum fratrum provinciis magna vi potitus eſt. Fuit enim Chamus avaritiæ, vetitæ magię, idolatriæ quoque, impietatis propterea, ac libidinis promiſcuæ, & cujuſvis facinoris ſtudioſiſſimus. Janum, ob id, quòd liberos poſt aquas genitos ardentius ſibi amare videretur, odio proſecutus, cum mero ſopitum humi proſtratum conſpiceret, deluſit. Hinc varia à diverſis nationibus cognomina adeptus eſt. Nam licet ei Cham, ſive Chem proprium eſſet nomen, Chameſes etiam, & Chameſenus, Sterculius, Junus, Incubus, Sylvanus, Pan, Saturnus, & Zoroaſtes eſt dictus. Cham Hebræum eſt nomen, & libidinem Latinis ſonat. Chameſes Macrobio, ſive Chameſenus, infamis eſt Latinè. Promiſcua namque libidine laborabat: aſſerebatque nihil vetare quominus, ut ante aquas cum ma-

In partes mundum Janus dividit.

Chamus Jani filius.

Chami diverſa nomina.

Ejus vitia.

tribus

tribus, ſororibus, filiabus, maſculis, & brutis fœdè miſeri liceret. Zoroaſtes, ideſt magus, & demum Saturnus Aegyptiorum, & inter Deos junior ab Ægyptiis eſt nominatus, quòd in Ægypto regnavit, quo nomine eum dehinc nos Beroſi, ac Diodori ſectatores non temere appellabimus (16).

Idem ac Saturnus.

Quòd verò hæc cognomina coincidant, id ex eo ſatis manifeſtum eſt, quod id, & palàm deſcribit Beroſus, & approbat Diodorus, dum Saturnus ex Rhea ſorore Oſiridem, & Iſidem ſuſcepiſſe refert, quos Beroſus Chameſeno attribuit, qui apud eum Saturnus & eſt, & nominantur. Quibus præterea Oſiridis illud epitaphium in columna Ægyptiaca inciſum à Diodoro proditum apertam fidem aſtruit in hæc verba. *Sum Oſiris rex, cui pater Saturnus fuit, inter Deos junior. Cui Saturno generoſo, & pulchro genus, & pater fuit Cœlum.* Saturnus igitur Ægyptius, qui Jani haud dubiè fuit filius, Armenia diſcendens in Ægypto in Thebaide Chemin ſui nominis oppidum condidit, ac deinde Telechinibus, qui Rhodii ſunt, magiæ profeſſione corruptis, in Italiam circa Nini primi Aſſyriorum Regis initia venit, quam à ſe Saturniam appellatam, magia, avaritia, & libidine fœdavit. Quo cognito Janus anno Nini 19. in Italiam, & ipſe deſcendit: ubi diſſimulata tribus annis filii impietate, Macrobio etiam teſte, cum eo regnavit. At cum nec improbitati, nec ſceleri ullum fieri modum, redactiſque in deſperationem tanta tyrannide Italis, ad pejora etiam impetum parari conſpiceret, evicta tandem patientia, ad frangendam graſſatoris vim conſilia excogitavit: placuitque aſſignatis ei coloniis, efferum hominem in deſertiores ſedes ablegare.

In Italiam venit.

Tum Saturnus Italia pulſus, Siciliam, ut Diodorus eſt author, magno cum exercitu invaſit, ubi brevi fine ullo ferè negotio potitus inſula, regiam urbem à ſe Chameſenam nuncupatam condidit (17). Quæ ubi fuerit ſita, incertum nobis eſt. Deinde, ut partim ſibi conſtabiliter imperium, oppidorum omnium arces, ac editiora, quæque inſulæ loca opere, & præſidio muniens, Saturnia appellavit. Qua nomenclatura ad ſuam uſque ætatem uſos fuiſſe Siculos Diodorus ipſe teſtatur. Sed quas urbes, quæve oppida ibi præter Chameſenam condiderit, non eſt memoriæ proditum. Firmato Siciliæ imperio Saturnus Libyam occupare ex hujuſcemodi cauſa aggreſſus eſt. Potiebatur eo tempore in Libya rerum Hammon Tritonis, quem Janus eò cum coloniis miſerat, filius, qui Rheam Saturni ſororem in uxorem acceperat (18). Is cum ex Amalthæa Dionyſium filium ſuſcepiſſet, quem in Arabiæ urbem Nyſam furtim educandum miſerat, Rhea cognito adulterio, relicto Hammone, ad Saturnum germanum fratrem in Siciliam profugit, illique matrimonio jungitur, ubi paucis poſt diebus ex illo Cererem filiam genuit, quæ & Iſis, & Io, dicta eſt. Subinde comparato ſatis juſto ad ulciſcendam injuriam exercitu, contra Hammonem in Libyam ambo proficiſcuntur, ubi non longo deinde intervallo, Titanum auxiliis conſerto certamine, victoriam adipiſcuntur, atque Hammonem ex Libia ejectum in Cretam fugant. Eo modo Saturnus Libya, Cyrene, & Numidia auctus, dum ibi regnaret, ex Rhea ſorore Oſirim filium genuit, qui Juppiter, quaſi juvans pater, Rex à regendo, Conſul à conſulendo, Juſtus, quia toti Ægypto juſtè ſolus imperavit, Olympicus à magiſtro, qui eum docuit, variè dictus eſt.

A Jano pulſus Siciliam invadit.

Libyam occupat.

Rheam ſororem ſibi copulat, ex qua Ceres.

Interea cum Dionyſius Hammonis filius adoleviſſet, regnum paternum

Digitized by Google

ternum repetere, atque Saturnum cum Rhea ex Libya profligare conſtituit. Anno igitur Nyni primi Aſſyriorum Regis 43. confœderatus Libycis, & Amazonibus finitimis, atque Niſæis, magnam contraxit militum manum, longiſque itineribus Libyam ingreſſus, ad regiam Hammonis urbem, ubi Saturnus, & Rhea ſe tuebantur, devenit, cujus adventu cognito, Saturnus ingenti, & ipſe comitatu inſtructus extra urbem ei occurrit, commiſſoque prælio cum ſtrenuè utrinque primo congreſſu pugnatum eſſet, tandem inferior factus, viribuſque diffiſus in urbem ſe recepit, ac noctu Rhea ſecum aſſumpta, urbeque incenſa fœdè inde fuſus, fugatuſque abſceſſit, verum Dionyſius ſumma celeritate eos inſecutus, aſſecutuſque cœpit; modeſtèque victoria uſus, non ut in hoſtes ſeviit, ſed parentum loco, & Oſiridem pro filio adoptivo ſemper habuit. *A Dionyſio Hammonis filio victus, & fugatus.*

Poſt hæc Nino decedente Ninias ejus filius, quem Zemeim vocarunt, Aſſyriorum regno (teſte Beroſo) quem ſequimur, ſucceſſit. Hujus anno octavo Janus cum poſt aquas 350. compleſſet annum, fato functus eſt. Quem Janigenæ Vertunnum appellaverunt, temploque illi dicato divinos etiam honores impenderunt. Nec diu poſt hæc tempora Saturnus cum ab omni fermè orbe extorris ageret, in Bactrianos, qui Aſſyriis ſunt finitimi, ſeſe contulit, quos magia, atque præſtigiis maximè ſibi devinxit, adeout regni diadema apud eos, Zoroaſtrique cognomentum promeruerit. Sed & Ninias ſub idem tempus ad Bactrianos ſibi ſubjugandos animum adjecit. Coegit igitur peditum decies ſepties centena milia, equitum ducenta milia, currus falcatos paulò minus decem mille & ſexcentos, cui, percepta re Zoroaſtes, comparata hominum quadrigentorum milium non imbelli legione, in finibus occurrit: permiſſaque de induſtria parte adverſi exercitus Bactriam ingredi, pugna inita hoſtes in fugam verſos fortiter ſuperat, quos totis viribus inſecutus centum milibus egregiè oppreſſis diminuit. Sed Ninus cum magnis copiis accepta ſuorum conſternatione, auxilio mox ſupervenit. Sub cujus adventum totis utrinque viribus in aciem eſt deſcenſum. Ubi verſo Matre poſt atrox certamen Zoroaſtes victus, media ſui militis ſtrage ingenti animo dimicans occubuit. Ita victor Ninus reglam urbem poſtea auxilio Semiramidis adeptus, Bactrianorum Regno potitus eſt. Hunc igitur vitæ finem habuit Saturnus Zoroaſtes, qui primus poſt aquas in Sicilia regnavit. *Nino ſuccedit Ninias filius.* *Zoroaſter idē, ac Saturnus.* *Vincitur à Ninia, & moritur.*

Dum hæc foris geruntur. Sicilia & peritia, & re, & populo non mediocriter aucta eſt. Cumque plures ea tempeſtate paſſim extarent, qui ad mortalium uſum varia eſſent commenti: Ceres, quam primo Semiramidis anno in Ægypto ex Rhea natam Saturnus in vivis reliquerat, Oſiridi fratri nupta proceræ, giganteæque ſtaturæ, ut ea ætate, eoque patre non eſt admirandum, mulier, in Sicilia divinum ſibi honorem conciliavit. Hordeum nanque, & frumentum in agris ſponte enata terræ ad corporis alimoniam perpetuò condere, legeſque ad animi culturam Siculos, qui malis ſylveſtribus tunc temporis veſcebantur, nulliſque legibus tenebantur, prima docuit. Ceres Iſis Ægyptiis, & Io dein Græcis appellata eſt. Nam Iſis Ægyptio idiomate (teſte lib. 2. Herodoto) Ceres græcè dicitur. Cujus inſigne epitaphium in columna Ægyptiaca inciſum non parum poſteritati ad fidem prodeſt in hanc ſententiam. *Ego ſum Iſis Ægypti Regina à Mercurio erudita. Quæ ego legibus ſtatui nullus ſolvet. Ego* *Ceres Oſiridi fratri nupta.* *Siculos docuit.* *Eadem, ac Iſis, & Io.*

ſum Oſiridis: Ego ſum frugum prima inventrix. Ego ſum Ori Regis mater. Vixitque annos unum ſupra ſexcentos: qui quidem facili ratione colliguntur. Nam uno ſupra centum anno ſuperaſſe Dodonęum memorat Beroſus, quem quingentos non exceſſiſſe Pli. ex Cornelii Alexandri authoritate refert. Quòd & ejus tempora per Reges Aſſyriorum à Beroſo ſupputata demonſtrant. A primo ſiquidem Semiramidis anno ad primum uſque Cecropis annum, quo Jaſius rerum apud Aſſyrios potitus eſt, annos 460. numerant. Cumque Cererem interfuiſſe Jaſii, & Cybelis nuptiis, eiſque panes triticeos obtuliſſe, cum antea glandibus paſcerentur, Beroſus ſcribat, quis non videt eam 460. tum annos fuiſſe natam? Quibus, ſi Jaſium poſt quinquageſimum regni ſui annum (quot & Cecrops dominatus eſt) à Dardano Germano fratre interfectum, addas, Cererem tum annorum decem ſupra quingentos fuiſſe conſtabit. Proinde cum à cæde Jaſii ad conditam ab ipſo Dardano Jaſii fratre uſque Dardaniam, annos fluxiſſe vigintinovem aſſerat Euſebius, liquet eo tempore Cererem annos vitæ ſuæ numeraſſe trigintanovem ſupra quingentos. Poſtremò cum poſt extructam Dardaniam annos ſexaginta ſuperſuerit, unum ſupra ſexcentos Cererem abſolviſſe annos compertiſſimum eſt.

Vixit annis 600. circiter.

Frumenti uſū Siculos docuit, varioſque Populos.

Proinde Ceres inventi frumentarii rationem, ac modum non in Sicilia continuit, ſed poſt Oſiridis mariti exequias non inutili peregrinatione totum ferè terrarum orbem peragrans, per Aegyptum, Græciamque, atque alias paſſim regiones diffudit. Cujus ea traditur origo. Primùm omnium paucula frumenti, hordeique grana accipiens terra obruit: quæ ſuo tempore enata fructum reddiderunt. Rurſus deinde terræ gremio commiſſa iterum, atque iterum aliud, atque aliud cum fœnore ediderunt. Hoc ſæpius cum egiſſet, jam ſpatioſum agri tractum eo ſemine occupavit. Quod ubi evidentius eſſe cœpit: Siculi ſegetem humo condere, deinde herbeſcentem colere, poſtea flavam metere, triturare, horreo componere, mola molere, panem ex farina facere, clibano coquere, coctum denique panem edere cœperunt. Tantaque fuit hujus meriti religio, ut & inter gentes, quæ fertilitatis nomine celebres habentur, de eo fit contentio. Aegyptii enim tritici uſum à Cerere in Aegypto inventum ſibi vendicant. Athenienſes ingenuè id munus Siculis, & Siculæ Cereri acceptum ferunt: Siculiſque ea cauſa amplius, quam Aegyptiis ſe devinctos prædicant. Siculi verò, & quòd in Sicilia nata ſit Ceres, eique ſit inſula ſacra, ac hordeum, & frumentum in Sicilia ab ea repertum autumant. Quæ propterea in antiquis apud eos numiſmatibus ſive in æs, ſive in argentum factis hordei, triticive ſpicis redimita ſculpebatur.

Proſerpina Cereris filia.

Erat Cereri Proſerpina pulchritudine inſignis filia. Hanc Orchus (quem Aydoneum vocabant) Epyri, Moloſſorumque Rex cum amore deperiret, ex Sicilia rapuit, eamque ſibi matrimonio junxit. Ceres connubii ignara diu filiam anxiè perquiſitam tandem repperit. Hinc Græcis magna fabulandi occaſio præſtita: quorum ludrica non eſt, ut in hiſtoriæ ſinum reponamus. At Siculi tantis beneficiis incenſi Cereri, & Proſerpinæ ejus filiæ, quò conteſtatam muneris dignitatem facerent, ſacra, cæremoniaſque diverſis, ſtatiſque anni temporibus inſtituerunt. Proſerpinæ quidem maturis meſſibus ea caſtimonia, ac religione, quam accepti muneris ratio poſtulabat: Cere-

Delati honores utrique à Siculis.

ri

ri verò ſementis tempore ſummo apparatu, & magnificentia exquiſita decem dies feſtos celebrabant. Quorum hæc erat ſuperſtitio. Pompam celebrem quicunque vel ſacerdotio, vel magiſtratu præſtabant, longo ordine ſolenniter deducebant. Quibus cujuſvis ordinis viri, & mulieres permixti, pueri præterea, puellæ candida veſte albentes, ac tempora ſertis redimiti Cereris imaginem ſequebantur. Erat autem illa formæ matronalis pannis, calceamentiſque admodum ruſtica, caput coronam ſpiceam amicta, ligonem dextra, calathum ſemine plenum brachio, ſiniſtra falcem meſſoriam, & baculum geſtans, papaveribus circa eam poſitis (quæ fertilitatis ſunt ſymbolum) duas inter arbores pomis onuſtas depicta. Supernè à dextro quidem latere Juno apud ſuperſtitioſos veteres nubium Dea, imbribus ſata irrigans, ſiniſtro verò Apollo radiis ſegetes exiccans picti quoque prominebant. Pompa quidem omnis, dictu fœdis, obſcœniſque verbis perſtrepebat: arbitrantibus Siculis intemperantia verborum, & jocorum laſcivia Cereris luctum mœroremque levari, quem ex raptu Proſerpinæ cœperat. Ita in templum, quo egreſſi fuerant, reverſi ſacra peragebant. Quæ Thalyſia appellabantur, quaſi Cerealia. Nam Thalyſis Græcè, Ceres eſt Latinè. Erant autem Cereris ædes ſacræ ex ritu priſcæ ſuperſtitionis extra urbes minus frequenti loco conditæ. Quo mortales nonniſi ad ſacrificia convenirent. Eaque ratione complura in Sicilia fuere Cereris templa, ſimulacraque extructa. Quorum extra Catanam, Segeſtam, Ennam, & alias nonnullas vetuſtiores Siciliæ civitates veſtigia adhuc cernuntur.

Cereris feſta & Imago.

Ædes et ſacræ extra urbes.

Paucis poſt Cererem annis Ariſtæus Athenis ortus, pecoris, & mellis, oleique inventor Græciæ cum eſſet infenſus, Siciliam venit. Quam cum fructibus, armentiſque refertam vidiſſet, incolas eorum uſum edocuit. Quo munere à Siculis, & iis præſertim apud quos naſcuntur oleæ, huic veluti Deo cuidam ſacri honores ſunt delati. Sub idem ferè tempus Buthes Amyci pugilis, luctatoriſque optimi Melitæ, & Bebrycæ (quæ teſte Saluſtio Phrygia major eſt) Regis filius, patre ob tyrannidem à Polluce in cœſtuum ludo interempto, ab imperio Bebrycę pulſus, fugatuſque Drepanum Siciliæ petiit. Potiebatur eo tempore rerum in ea regione Lycaſta opibus, ac pulchritudine præclara mulier: cui ab eximia forma Veneris cognomen ab incolis provenerat. Hæc Buthis amore capta conjugii cum eo fœdus iniit: eique juncta Erycem filium, quem vel ob id ex Buthe, & Venere ortum prodidit antiquitas, enixa eſt, qui defunctis parentibus adultior in relictum ſibi hæreditate imperium ſucceſſit. Quo ſuſcepto in vertice montis, qui ſolus Drepano incubat, primum ſuorum operum urbem maximis, validiſſimiſque obſeptam mœnibus condidit. Cui ſimul, & monti ſuum nomen indidit. Lycaſtæ deinde matri ſub Veneris epitheto in Deorum numerum relatæ, templum ſtructura eleganti, & lapide quadrato in arce extruxit. Quod non ſolùm Erycini, ſed vicinæ quoque gentes, nationes, Regeſque Barbari, ac Romani denique ipſi certatim excoluerunt: atque auro, & argento plurimum exornarunt, cujus in iis, quæ de ſitu ſunt, meminimus.

Ariſtæus in Siciliam venit.

Butes Drepanum appulit.

Lycaſtæ conjugo clarus.

Venus Erycina.

Iis rerum initiis præclarum Eryce nomen apud incolas adepto: Hercules ex Locrenſium agris trajecto freto Siciliam venit. Sed cum plures fuerint Hercules, omnium geſta, ac tot fabuloſa uni Alcmenæ, & Amphitryonis filio adſcripſerunt Græci, qui vetuſtiora ad ſe omnia

Herculis in Siciliam adventus.

omnia retulerunt, & in fabulis fingendis (atque hac præſertim) adeo fuerunt licentioſi, ut non humano ſemine vir exortus, ſed hominum ingenio confictus videatur. Nam quid monſtruoſius dici, aut excogitari poteſt, quàm (ut ex multis hoc unum protuliſſe ſatis ſit) Cerberum tricipitem canem ab inferis Herculis manibus fuiſſe extractum, cum ibi neque brutum vivat animal, neque ſubterraneus aditus viſatur ullus, neque ſub terris ad degentium ſedes vivus homo deſcendere, indeque poſtmodum reverti queat? Poetarum figmenta ſunt hæc omnia, & ab hiſtoria procul reiicienda: tametſi ea in allegoriam referant. Proinde omni poetico velamento detracto quis, & unde fuerit Hercules, qui Siciliam peragravit, tyranniſque eam primus omnium aſſeruit, fide optima explicabimus.

Hercules cõplures. Primùm omnium cum M. Varro tres & quadraginta Hercules collegerit, & Cic. in iis, quæ de natura Deorum ſunt, ſex tantùm commemoraverit; eorum vetuſtiſſimum Ægyptium Thebanum, poſtremum verò Alcidem Amphitryonis, & Alcmenæ filium fuiſſe authores graviſſimi tradunt. Herodotus etenim in Phœnicia templum Herculi dicatum, longaque ſęculorum ſerie ante Alcæum hoc eſt ſimul cum Tyro urbe conditum ſe vidiſſe ſcribit. Ubi & aliud Herculis templum cognomine Thaſi antiquiſſimum quinque virorum ætatibus prius à Phœnicibus ædificatum reperit, quam Hercules Amphitryonis filius in Græcia exiſteret. Beroſus quoque, & Macrobius
Ægyptius. Aegyptium Herculem inter primordia humani generis, cum gigantibus plena eſſent omnia, connumerat, quem paulò poſt Ninum, à quo ad Trojanum uſque excidium ſupra octingentos ſupputantur anni, natum; Alcæum verò paulò ante Trojanam cladem referunt. Ægyptium præterea clava lignea uſum, & pellibus ferinis toto corpore amictum, & prima fuiſſe ætate cum arma ferrea, quibus nunc
Græcus. utimur, nondum eſſent inventa, ſcribunt veteres. Græcum verò clava ferrea munitum tradunt, quòd ea fuerit tempeſtate, quando legibus, & Regibus ſubactus orbis diu antea jam & ævo, & ingenio profeciſſet. Quocirca Ephorus, Diodorus, & cæteri vetuſtiores dum unum Herculem prædicant, qui præclara non ſolùm in Sicilia, ſed per univerſum facinora, quæ traduntur, ſolus geſſerit, non Alcæum Græcum ex Alcmena, & Amphitryone filium, ut falſo Græci mentiuntur, ſed hunc Aegyptium vetuſtiſſimum Oſiridis, & Cereris filium intelligunt. Nam Alcæus Græcus nulli orbis parti imperavit: ſed ſub Euritheo Rege cum Argonautis non ad gentium defenſionem, ſed perniciem, prædamque pyraticam exercuit. Aegyptius verò toti ferè orbi præfectus gigantes, & tyrannos, qui eo tempore
Ægyptii geſta malè Grǽco appinguntur. in Aegypto, Phœnicia, Aſia, Africa, Hiſpania, Italia, & Sicilia, graſſabantur, cum gloriæ, reique civilis conſervatione ſuſtulit.

Accedit ad hæc, quòd Hercules cognomen eſt Ægyptium, quod totum pellitum Græcis ſonat, quòd Græci poſtea ex Aegypto mutuantes Alcęo indiderunt, ut Herodotus tradit, quod à verò non abeſſe eò conſtat, quòd Alcmena, & Amphitryo Alcæi parentes etſi in Græcia ſint orti, ex Aegypto tamen fuerunt oriundi. Erycem præterea, quem in Sicilia occidit Hercules, Gerionem in Hiſpania, & Anthæum in Libya priori ætate, ac octingentos fermè ante Gręcum fuiſſe annos ſcriptorum monumentis deprehenditur. Diodorus etiam Græcus author, ſuæ gentis alioqui defenſor acerrimus, Græcos ipſos prioris Herculis geſta Alcæo tribuiſſe ingenuè fatetur. A ve-

ro

rò igitur aberrant, qui Græco tot egregia, quæ de Hercule jaċtantur facinora, contribuunt: cum Aegyptium illum fuiſſe res ipſa doceat.

Hercules itaque hic vetuſtiſſimus ex Oſiride, & Cerere Thebis natus eſt: cui Libyco quod flammiger eſt Latinis) nomen fuit; cognomentum verò, Hercules, quod pellitum totum, ſignificat. Gigantem porrò fuiſſe Herculem, ac procera, giganteaque ſtatura, optima hujuſcemodi ratione Pythagoram comprehendiſſe ex Plutarcho refert Aulus Gellius. Cum nanque ſtadii Herculani curriculum, quod apud Jovem Olympium olim Piſis erat, ducentorum pedum longitudinis fuerit, cæteraque poſtmodum in Græcia ab aliis inſtituta etſi totidem pedibus eſſent, breviora tamen: collegit tanto pedis Herculei plantam, quàm aliorum, fuiſſe longiorem, quanto Olympicum ejus ſtadium proportione ſervata cæteris eſſet protenſius. Comprehenſa pedis menſura membrorum omnium Herculis naturalem inter ſe proportionem metatus eſt: atque ita tanto fuiſſe Herculem corpore aliis celſiorem, quanto olympicum ſtadium cæteris pari numero faċtis anteiret, quod ad quatuor cubitorum, pedıſque unius altitudinem deducit Heraclides. Pubertatis annos ingreſſus cum omnium ſuæ ætatis dux fortiſſimus eſſet, utpote manu promptus, faċtis ſtrenuus, & ad obeunda pericula, laboreſque ferendos interritus, terras omnes inter Oceanum Tyrannis, qui latè eo tempore dominabantur, exuere, & ſibi ſubigere conſtituit. Quo animo Aſiam aggreſſus non multo labore ſubjecit. Deinde Africam occiſo Buſiride in Phœnicia, Typhone in Phrygia, Antheo in Libya Tyrannis, qui gigantes erant, potitus eſt: ſubaċtiſque tum duabus orbis partibus, columnam in ſignum viċtoriæ in Phutea, ſeu Phetontea à duce denominata regione, poſuit: cui Libyæ à ſe nomen indidit.

Procera fuit ſtatura.

Tyrannos conficit in Aſia, & Africa.

Subinde in Hiſpaniam progreſſus Gerionem, qui & Chryſeus dicebatur, totius Iberiæ Regem auri, & pecoris ditiſſimum ſuperavit. Erant Gerioni liberi tres tum corporis robore, tum deleċtorum militum exercitu fortiſſimi, quos etiam Hercules ad ſingulare certamen provocatos, nequid tam nefandi generis ſupereſſet, ſub pugnę prætextu è medio ſuſtulit, atque ita Tyrannis proſtratis, Hiſpaniam omnem ſuo nomini ſubegit. Ubi ſubſtituto Hiſpalo Rege, poſtmodum anno Balei Aſſyriorum Regis quadrageſimo primo, non uno navigio, nec armentum agens boum (ut Poetæ fabulantur) ſed magnis inſtruċtus copiis ad purgandam etiam Tyrannis Italiam properavit, quam decennali contra Leſtrygonas, cæteroſque gigantes confliċtu, pluribus præliis fœliciter commiſſis, tandem adeptus eſt, eamque viginti annos pacificè adminiſtrans, pluribus oppidis exornavit, & Regem illis Tuſcum filium reliquit. Proinde tot rebus præclarè geſtis, omnibuſque in Italia rite conſtitutis, tantum opinionis ſulgorem Hercules ſibi conciliavit, ut eum non aliter, atque demiſſum cœlitus mundo nomen ampleċterentur, venerarenturque. Hinc Alexicacus, quaſi depulſor malorum à veteribus fuit cognominatus.

In Hiſpania.

In Italia.

Nec ita multo poſt magna claſſe ex Hiſpania ſubaċta, numeroſaque militum ſeleċtiſſimorum manu, & non altero bovis cornu innixus, in Siciliam miſere ſub Tyrannis gementem trajecit: Pelorumque appulſus freti Scyllæ, & Charibdis explorata natura, Erycem verſus, cujus celebre inter Siculos tunc erat omni immanitate nomen, iter littoreum arripuit: oramque prætergreſſus, ubi urbs Himera poſtmodum eſt extruċta, pauliſper conquievit, ibique remiſſis laboribus

Siciliam peragravit.

ad

ad ſordes nimias, quas ex itinere contraxerat, abſtergendas à Nymphis, & cæteris illius regionis accolis, quî ultro ejus imperio ſe dediderant, aquis calidis, quæ ſulphureæ, & admodum ſalubres perenniter ibi ſcaturiunt, leniter eſt refectus. Suo deinde cum exercitu Drepanum uſque perrexit Erycem Regem domiturus.

Drepanum appulſus Erycé vicit.

Erat Eryx (ut idonei ſcribunt authores) ingentis, prout ætas illa poſtulabat, ſtaturæ, cujus viribus, induſtriaque militari nemo vel pugnaciſſimorum barbarorum conſerri poſſet. Quibus ſretus ad duellum ab Hercule provocatus nihil recuſavit. Locus pugnæ ager conſtituitur Erycinus, quo & ad certam diem viſendi ſtudio incolæ, accolæque omnes conveniunt, in campum, qui in hunc uſque diem Herculanus dicitur, ubi & hodie columna vetuſtiſſima jacens conſpicitur, deſcendunt, pugiles cœſtúbus, quos adhuc antiquo de more ex loris factos Melochias vocant, quibus liberior ad ictum eſt manus, pugnam ineunt. Hercules itaque in Erycem irruit, hic vim propellit, utrinque certaminis initio non minus animis, quam æquis viribus acerrimè decertatur. Neque alter ex alterius laude quippiam detraxerat: aſtantibus avidè contuentibus, ac erectis, ſuſpenſiſque animis expectantibus, ubinam victoria cederet, adeo varium, & anceps certamen modò hinc, modò illinc proſperum, & exitiabile videbatur. Demum cum Eryx cupidius, quàm cautius pugnat, fit inferior. Hercules animo victor exæſtuans, clava pilas plumbeas loris bubulis appenſas habente, Erycem fractum, incautumque gravi ictu percutit, percuſſum humi proiicit, projectum, proſtratumque perimit. Qui luctæ præerant, ac cæteri propè omnes, qui ad ſpectaculum confluxerant, in Herculis victoriam, ac decus magnis, atque exultabundis confeſtim vocibus erumpunt. Quem deinde in urbem triumphantis more invectum magnificis tripudiis, multis acclamationibus, omnique ceremonia excipiunt, Regemque unanimi, & ſui exercitus, & populi voce ſalutant, Erycis ſolum ſtudioſis collachrymantibus, mœrentibuſque.

Herculis de Eryce Triumphus.

Inde imperii cum inſignibus Veneris templum victor ingreſſus, peractiſque de more vetuſto ſacris, Erycis funus debitis inferiis non eſt paſſus fraudari, ſed cadaver ejus Regio ritu ad montis ſpeluncam funerari juſſit. Qua parentationis cura juſtis Eryci perſolutis, incolarum ſibi ſavorem, odiumque Erycinorum ad gratiam deflexit. Poſt hæc vocata ad concilium multitudine imperium ibi æquo jure partum abſque vectigalibus illis conceſſit: diſtribuitque agros, quibus inopes quamplurimi præſenti egeſtate ſunt levati. Poſtremò jurejurando illos aſtrinxit, neminem illic in poſterum Regem niſi Heraclidam admittere. His apud Erycem rite patratis, Hercules inde movens omnem lateris meridionalis oram cuncta in ordinem, ſuique dominationem perluſtravit. Ad Pachynum poſtea cum veniſſet, urbem ibi condidit, quam à mulieris de ſe benemeritæ nomine Motyam appellavit, quam poſtea Libyci, & Phœnices incoluerunt (20). Ortygiam inde profectus, cum de Cerere matre, & Proſerpinæ ſororis raptu, quæ indigenæ, etſi fabuloſè, referebant, didiciſſet, lacumque, quo ſoror cum Plutone fuerat emerſa, conſpexiſſet, rem divinam illis fecit. Et colonis, quibus ſacris eas quotannis, ac Cyanen Proſerpinæ nutricem colerent, traditum reliquit. Siciliæ tota fermè littorali ora peragrata, devictaque, mediterranea deinceps ingreditur, ubi protinus promiſcuam Siculorum multitudinem armis ſine

Motyam condidit.

ordi-

ordine munitam obviam habuit (21): cum quibus commiſſo prælio aliquandiu Marte incerto dimicans, tandem ſuperior factus eſt: hoſtibuſque ſuperatis Leucaſpim, Pedicratem, Buſonum, Glichatam, Butheum, & Critidem Siculorum duces, quorum in re militari egregia facinora etiam Diodori ætate paſſim referebantur, trucidavit, partaque ingenti victoria, cæſiſque omnibus, qui ad vim proruebant, Leontinos agros petiit: quorum feracitatem admiratus ab accolis, quibus æterna ſui monumenta (ſcriptorum incuria nobis incerta) reliquit, præcipuo cultu exceptus eſt.

Siculos Duces fundit, fines Leontinos petit.

Agyram deinde profectus ab incolis in Deorum numerum ſe referri vivum, quod nulli mortalium accidit, vel ob id paſſus eſt, quòd cum non procul ab urbe ſaxoſum eſſet iter, boves ejus lapidibus tanquam ceræ veſtigia impreſſerunt, quod ipſi divinitatis fuit præſagium. Quod totum fabuloſum eſſe nullus ſanæ mentis non videt. At ſi fortaſſis eo tempore excavata lapidum ſuperficies cernebatur, vel natura, vel dęmonum vi, aut humana arte id elaboratum cenſendum eſt. Præter fidem etenim eſt, petræ duritiem ad boum contactum ceræ mollitiem ita imitari potuiſſe, ut ſtatim veſtigii formam repręſentaret. Porrò Hercules, ſuis ipſe manibus pro mœnibus quatuor ambitu ſtadiorum lacum ſuo nomine nuncupatum pro beneficio Agyrineis effodit. Templum præterea ſingularis admirationis, & majeſtatis Jolao, quem & ipſe eodem errore ductus pro Deo habebat, qui laborum ſuorum & ſocius, & particeps fuerat, ex quadrato lapide extruxit, ſacriſque acceptiſſimis, ſacerdotibuſque locupletavit: necnon, quæ libamenta ſingulis annis offerrent, quos paleſtricos, equeſtreſque ludos, quaſque choreas, epulaſque ſervi ſimul, & liberi concelebrarent, lege perpetua ſancivit. Jolaja hæc ſacra, quæ Heracleja quoque appellabantur, excepit inſana turba, veluti cœlitus decreta: falſaque divinitatis perſuaſione ducti violari ſtatuta, cęremoniaſque piaculum ducebant. Diodorus autem pueros, qui Jolai ſacris initiabantur, comas ex profeſſo nutrire ab Hercule edoctos fuiſſe ſcribit, quouſque opimis victimis Deum ſibi devinxiſſet. Quod, qui irritum feciſſent, elingues primùm, exanimeſque mox in terram corruebant. Nec poterant à clade liberari, niſi prius ſufficientibus votis placato numine veniam impetraſſent. Res ſanè mira, non divina vi, quæ ſuperſtitioſæ religionis teſtis eſſe nequit, ſed dæmonum arte ad hominum ludificationem efficta. Sacra hæc Herculis ſtata multis poſt annis, multiſque ætatibus maximo ex omnibus Siciliæ oppidis mulierum, ac virorum conventu Agyreneos etiam uſque ad Diodori ætatem celebraſſe, ac Templum integrum perſtitiſſe: portamque urbis, qua hæc prodibant, Heracleam appellatam legimus.

Agyram venit.

Lacum effodit, & Jolao templū poſuit.

Hercules confecto Siculæ colluſtrationis itinere, totaque ſibi inſula ſubacta, Ætnei ignis miracula demum cum inſpexiſſet, trajecto rurſus Eurypo in Italiam, ac mortuo deinde in Iberia Hiſpano nepote, anno Altadis Aſſyriorum Regis 19. ætate admodum gravis in Celtiberos eſt reverſus. Ubi cum annos 19. præfuiſſet, anno ætatis ſuæ fermè ducenteſimo fato functus eſt. Poſt hæc Jolaus è Sardinia in Græciam profectus, inde in Siciliam cum pleriſque Græcis navigavit, diuque eam incoluit. Quo tempore plures Græcorum, qui cum eo venerant, locorum amœnitate allecti ſedes ibi, & ipſi Siculis immixti poſuere (22). Ubi cum Jolaus gloria præclariſſimus

Sicilia excedens vita fungitur.

Jolaus in Sicil. Græcas colonias ducit.

plurima

plurima diverſis Siciliæ locis beneficia, ſuique ingenii monumenta depoſuiſſet, templa plures Siciliæ urbes ejus nomini, divinoſque honores conſecrarunt.

Galatheus quoque per ea tempora Herculis ex Tuſco filio nepos in Siciliam cum coloniis à Tuſco patre miſſus pervenit, ibique conſedit. Sub idem ferè tempus, Ilio adhuc incolumi, ejuſque rebus florentibus, Aeolus Hippotę filius, Heraclidarum ſtirpe prognatus Siciliam tenuit. Claſſe nanque Liparam appulſus Lipari Regis filiam, cui Telepora nomen erat, uxorem cum duxiſſet, inſulam à Rege dotalem accepit, ad quam ſubinde Brutiorum, & Siciliæ quoque imperium ei acceſſit. Erat autem Æolus ſeverioris vitæ authoritate, & opibus longè princeps, & ad humanitatem, & hoſpites ſatis propenſus, à quo plerique veterum ſcribunt Rhegium Brutiorum urbem concedente Hercule conditam. Biſſenos ſuſcepit ex Thelepora uxore liberos, mares ſex Aſtriotum, Xuthum, Androcleum, Pherremonem, Locaſtem, & Agathyrſum, totidemque fœminas, Iphtem, Æolen, Peribœam, Diam, Aſticrateam, & Hypheſtiam. Proinde prudentiâ, & humanitate adeo apud Siculos præfulſit, ut neque eo regnante, neque decedente, cum diviſum inter liberos eſſet imperium, arma contra movere ſint auſi: atque ita immortali nominis ſui fama apud eos relicta, in extrema ætate quietiſſimè deceſſit, & à filiis ſimul, & Siculis nulla ſolenni parentationis pompa velut parenti omiſſa, regie elatus eſt. Quo facto filii patris imperio pro hæreditaria quiſque portione ſuffecti ſunt. Locaſtes Brutiis ad Rhegium uſque præfuit. Æoliis inſulis Aſtriotus: Xuthus oræ, quæ ad Leontinos vergit, quæ, & ab ejus nomine Diodori etiam ætate Xuthia dicebatur: Oræ Siculæ, quæ mari Tyrrheno alluitur, Æoliaſque reſpicit, Agathyrſus, ubi ad promontorium, cui ab Orlando hodie eſt nomen, urbem condidit, quàm à ſe Agathyrſam appellavit. Sed Pheremon, & Androcleus regionem, quæ à freto ad Lilybæum uſque extenditur, communi imperio tenuerunt (23).

Æolus Liparæ Rex.

Æoli Filii, & Filiæ.

Non multo deinde interjecto tempore, & nonnihil ante Trojanorum excidium Solino, ſive extinctis, Trogo, ſive Sicilia expulſis Solino, ſive eam adhuc incolentibus Cyclopibus (adeo diverſa eſt veterum opinio) Sicani, quos tametſi Timæus indigenas vocet, ex Hiſpania tamen, & à Sicori fluvio Segra hodie dicto proveniſſe Philiſtus, Thucydides, Dionyſius, & cęteri ferè ſcriptores affirmant, & à loco, ut iidem authores, ſive à Sicano eorum rege nomen ſortiti, ut Solinus tradit, è Latio quod tenebant, à Liguribus pulſi in Siciliam trajecerunt (24). Quam cum incultam, hirtaque ſylva horreſcentem, & majore ſui parte deſertam, ſed humano cultui aptiſſimam comperiſſent, ſedibus ibi collocatis inhabitarunt, eamque Trinacriam prius ab ſui forma denominatam Sicaniam vocavere. Ubi cum efferati quamplurimi adhuc homines (quos Cyclopum reliquias fuiſſe cenſendum eſt) dominarentur, & cum eis contentio primum, mox etiam aſſumptis armis ardens interdum ſeditio oriretur, inacceſſorum montium jugis, difficiliumque locorum ſitibus indagatis, delectiſque ad ſecuritatem, urbes ſibi nulli Regi debitas principio ædificarunt. Cæterum tametſi omnem poſſiderent inſulam, Ætna tamen frequentius ignes evomente, eorumque agros ultra quam tolerare poterant vaſtante, omiſſis orientalibus regionibus, partes, quæ ad occidentem, & meridiem vergunt, petivere, ubi & plura condiderunt oppi-

Sicani in Siciliâ.

Sicaniam Inſulam dicunt.

oppida. Quorum Hyccaris ad mare tum ſitum (teſte Thucydide) erat unum.

Interea Siculi genus hominum in Latio ortum, cum eam Latii partem, ubi interjecto poſt tempore urbs Roma eſt condita, vicatim ad Circæum uſque montem habitarent, à Pelaſgis, & Aboriginibus, ſive ab Opicis, & Oſcis Thucydidi, inde ejecti, non multo poſt Sicanorum trajectum Dionyſio Alicarnaſſeo, in Siciliam cum conjugibus, & liberis transfretarunt (25). Erat tum annus à condito mundo 4000. & trecenti fermè anni priuſquam Græci ad Naxum, & Syracuſas condendas Siciliam trajeciſſent, & tres ætates, quarum quælibet, teſte Xenophonte in iis, quæ de Æquivocis, quartam centenarii partem hoc eſt 25. continebat, ante Trojanorum excidium numerabantur. Alcione in Argo ſacerdotium anno 26. adminiſtrante, quo tempore Ellanicus duas Italorum claſſes Siciliam trajeciſſe memorat. Elymorum unam, quos ab Oenotriis profectos tradit, Auſoniorum alteram quinto poſt anno Japiges fugientium, quibus Rex, nomine Siculus præfuit. A quo & ipſi, & inſula, quam occuparunt, nomen ſunt adepti. Philiſtus verò anno ante Trojanum excidium octuageſimo Siculos Siciliam transfretaſſe tradit, gentem tamen neque Siculos, neque Auſonios, neque Elymos, ſed Ligures cum Siculo Itali filio Duce, à quo ſunt poſtea nomen ſortiti, ab Umbris ejectos fuiſſe ſcribit. Antiochus verò ſeptuageſimo quinto anno ante res Trojanas Siculos à Pelaſgis pulſos, & Siciliam trajeciſſe refert. Cæterum quoquomodo res ad nominis originem ſeſe habeat, ſatis conſtat tranſvectos ſive à ſe, ſive à Duce Siculos appellatos, Italiæque ante extitiſſe cultores.

Siculi unde.

In inſulam transfretarût.

Siculi itaque vetuſtiſſimi Italiæ populi in Siciliam trajecti Sicanos confeſtim armatos contra obvios habent: quibus tandem domitis, & in partes meridionales, & occidentales remiſſis, regionem, quæ ad orientem extenditur, primùm incolunt, mox optima, quæque inſulæ loca pervadunt, inſulamque ipſam ex Sicania Siciliam vocant. Urbes eorum Zancla in freto, Zancloto eorum Rege authore, & Orione architecto (ut præmeminimus) Catana præterea, Leontinum, Syracuſæ, Neas, Centoripe, Leghum, Trinacia, Hybla Gereates non longè à Centoripe, Hybla minor ſupra Gelam, & pleræque aliæ, ut Diodorus, Thucydides, Plutarchus, & Pauſanias referunt. Sed cum Siculi ſæpius pro agris cum Sicanis bello decertarent, certo fœdere, & quibuſdam finibus, agris ab Æoli filiis, quibus propter parentis pietatem utrique ſe ſubjecerunt, conſtitutis, quieverunt. Extincta deinde Aeoli ſobole, Siculi ad prudentiores viros magiſtratum detulerunt, quo evenit, ut opibus, atque imperio adeo coaluerint, ut obliterata penitus priori appellatione, Siciliæ impoſitum nomen ratum, firmumque, ac perpetuum poſteritati effecerint. Sed poſtmodum Sicani, & ipſi cupidine dominandi orta inter ſe mutua contentione, diu invicem præliis cruentiſſimis, factionibuſque vexati ſunt.

Siciliam denominant.

Siculorũ urbes.

Morgetes etiam per hæc tempora (ut Antiochus teſte Strab. ſcribit) in Siciliam trajecerunt, ac Morgentium urbem ad Leontinam oram condiderunt. Sub idem ferè tempus anno ab aquis circiter 2000. & ante Trojæ excidium 40. Thebis Oedipode imperante, Cocalo Oeboli, ſive (ut alii tradunt) Eupalami filio Sicanorum Rege viribus præcellente, rerum in ea Siciliæ parte, quæ meridiem reſpicit, potien-

Morgetes.

Cocalus Rex Sicaniæ.

Ad quem Dædalus confugit. potiente, Dædalus Athenienſis, regio ſanguine ex iis, qui Metionidæ appellabantur, exortus, hujuſcemodi facinore commiſſo Siciliam confugit. Calum, ſive Talum (ut alii efferunt) ex ſorore nepotem architectura præſtantem cum haberet, invidia illum occidit. Quo cæſo in Cretam fugit, ubi Minoi Regi ob heroum ſimulacra, quæ affabre illi fecerat, acceptiſſimus fuit. Sed Theſei poſtea cauſa Regem cum offendiſſet, injuriarum damnatus eſt, atque unà cum Icaro in carcerem conjectus, inde navigio illi à Regina ſuppeditato diffugit, & in Siciliam ad Cocalum Sicanorum Regem Inycum venit, quæ illi erat regia. Neque hoc Dædalo exilium dignitatem ademit, ſed auxit admirationem, nominiſque celebritatem. Siquidem non modò benignè à Cocalo Rege eſt exceptus, ſed ibi plura artis ſuæ monumenta edidit. Nam prope Megaram urbem arcem inexpugnabilem extruxit, cui Lympetra nomen indidit (25). Juxta Agrigentum quoque in rupe Camico dicta theſaurorum Cocali munitiſſimum promptuarium excogitavit, perfecitque: de quo priori decade latius. Ad hæc, in Eryce monte editiſſimo ad Veneris Erycinæ templum celeberrimum miro conſilio murum ampliſſimum duxit: quò aditus perfacilis, tutiſſimuſque eſt reditus, ubi & arietem aureum Veneri, & Eryci tanta induſtria fuſum appoſuit, ut vivus prope crederetur. Quibus, ac pleriſque ſingularibus teſtimoniis tam publicis, quam etiam privatis apud Cocalum Regem, ejuſque filias, ac denique Siculos omnes tantum ſibi gratiæ conquiſivit, ut nemo vel extrema quæque, nedum bellum pro eo libentiſſimè non fuerit ſubiturus. *Dædali opera in Sicil.*

Minois in Siciliam adventus. Minos itaque Cretenſium Rex cognita ejus in Siciliam fuga, ad Cocalum legatos miſit, poſcens, ut Dædalum ſibi dedat. Cui cum contumacius fuiſſet reſponſum, Minos, qui eo tempore mari dominabatur, multaſque inſulas armorum vi ſibi ſubjecerat, claſſem ingentem parat, inſtruitque, ac contra Cocalum Regem ſimul, & Dædalum in Siciliam ad Camicum navigat: in cujus fines obſiſtente nullo copias exponit. Inde Regis animum tentandi gratia, an fortaſſis exardeſcente jam bello, conſilii pœnituiſſet, Legatos rurſus ad eum expedit, Dædalum ſe repetere hoſtem ſuum, & Cretæ proditorem. Quem ſi ex æquo, amicèque ſibi traderet, ut mutua inter Reges pro tuendis, firmandiſque imperiis jura poſtulant, fore, ut copiis inde abductis domum placidè reverteretur. Legati, quæ in mandatis habebant, breviter, quid Minois conatus, quid vires poſſint, quo tendant, bellum præterea periculoſum, & longè ipſi perniciosiſſimum exponunt: tandemque Cocalum admonent, ut futura diligenter proſpiciat, conſideretque quid ſibi, imperioque ſuo magis conducat, an flagitioſi hominis cauſa bellum atrox ſuſcipere, an facinoroſum virum Minoi ad pœnam, ut jura expoſcunt, tradere. Et demum dum integra res erat, eum, ut pacem amplecteretur, hortantur, ne poſtea optatam, quæ nunc ſibi ultro offerebatur, pacem fruſtra requireret. Cocalus iis auditis, cum hinc pertinacem Siculorum animum ad Dædalum tuendum exploratum haberet; illinc bellum ſibi imminere, hoſtem in foribus eſſe, & tantæ ſe moli imparem cognoſceret, anceps quid ageret, aliquandiu immotus conſtitit; tandem præſenti fortunæ conſulens, ut ingruenti bello ſe liberaret, ad fraudem ſe convertit. Legatis igitur commento dolo Dædalum ſe deditorum (quod neutiquam habebat in animo) reſpondet, fœdus, *Minois legatio ad Cocalū* ami-

amicitiamque Regis Rex ipſe privato homini jure ſe præferre coram profert; ſed jam in Minois necem animum intenderat. Reverſos proinde cum reſponſo legatos ſuſcepit lætus, rataque Minos habuit, quę cum Cocalo compoſuerant. Utrinque igitur miſſis, & remiſſis internuntiis: demum cum numeroſa ex univerſo exercitu ſelecta militum manu Cocalus ſimulata benignitate ad mare deſcendit, cui Minos exultabundus continuò, & ipſe occurrit. Poſt mutuas gratulationes data, acceptaque dextra, fidem futuræ amicitiæ firmant. Fœdus inter Reges ictum eſt, inter exercitus ſalutatio facta. Inde cum ingenti lætitia in urbe regia amicè Minos excipitur. *Cocalus Minoem decipit.*

Erant Cocalo filiæ duæ forma longe pulcherrimæ. Eas Minois obſequiis genitor addixit, futurum ratus, quod & evenit, ut iiſdem authoribus hoſtem de medio tolleret. Igitur dum Camici plures dies otio, & luxu, & in Dædalo repetendo, quem in mediterraneis eſſe Cocalus edixerat, Minos conterit, virginum amore corripitur. Id ubi Cocalus animadvertit, cum filiabus conſilium capit, Minoique inſidias ſtruit. Erant in Cocali regia balneæ ad delicias miro ingenio à Dædalo elaboratæ, quibus Minos ſolis filiabus Cocali ſubſervientibus corpus abluendi conſuetudinem induerat. In his itaque dum de more ultimo Minos refovetur, nihil minus, quàm inſidias cavens, à puellis non magno negotio opprimitur, ſive (ut alii perhibent) aquæ calidæ per tecti culmen in balneas ab eiſdem demiſſo influxu, nimio æſtu ſuffocatur. Commiſſo facinore, ne patratæ cædis authores haberentur, ſtatim obiiſſe Minoem conclamant, repentinum Regis obitum deflere incipiunt, magno ejulatu queruntur, tantaque calliditatis audacia criminis atrocitatem contengunt, ut ſcelus pietatis ſpecie velarent. Ad voces eorum lugubres Cocalei domeſtici proſiliunt, quos & Cocalus ipſe verſuti vir ingenii, & ſceleris author, ne homicidii, perfidięque inſimularetur; & ut à ſe patratum facinus deliteſceret, querula voce inſecutus eſt. Cretenſes præterea rumore per regiam evagato, lymphatis ſimiles ad balneas, & ipſi procurrunt, ubi Minoem Regem jacentem, exanimemque conſpiciunt, cauſam mortis inquirunt; virgines conciſis, ſyncopatiſque inter ejulatum verbis referunt ex apoplexia, in quam repente inciderat, in balneas nimis calentes dilapſum obiiſſe. Cocalus, ut prorſus omnis ſuſpitio ab eo dimoveretur, quam ardentiſſimè corpus proſpicit, tangit, veſtibus nudatum an virus veſtigium aliquod ineſſet, explorat. Identidem & Cretenſes phyſicorum etiam arbitrio exploratius exquirunt. In hanc curam dimidium diei extractum eſt. Poſtremo cadavere regio currui ſubſelliis aureis decenter inſtructo ſuperimpoſito, ejus manibus parentandum procurarunt. Itaque cadaver regio funere elatum ingenti exequiarum apparatu proſequuntur, igni ſuperjiciunt, cineres mox peruſti corporis urnæ contradunt, & demum duplex illi ſepulchrum, (ut Diodorus refert) extruunt, clam unum, in quo ejus oſſa, cineresque condunt. Cœnotaphium alterum, palam ædificato Veneris templo, quod multis ſęculis poſteri quàm religioſiſſimè, ut templum Veneris coluerunt. Verum poſtea Agragantini regnante apud eos Therone, cum in eodem loco urbem conderent, repertum Minois ſepulchrum oſſibus in Cretam remiſſis demoliti ſunt. Hunc finem Minos, anno à condito mundo (ut ſupputat Euſebius) 4000. in Sicilia Rex habuit, dum nimię temere Dædali vitam inſectatur.

Minos occiditur.

Ejus exequiæ, & ſepulchrũ.

Digitized by Google

Cretenſes in Sicilia conſederunt.

Cocalus peracto parentationis officio, Cretenſes milites ad concionem vocat, eoſque prius mœrentes circuit, mox ad incolendam Siciliam impenſius cunctos pluribus hortatur. Cujus verbis incenſi Cretenſes Regis humanitatem, liberalitatemque excipiunt, & quoniam Sicanis aſſueverant, ſpreto in Cretam reditu in Sicilia conſederunt. Quorum plurimi urbem occidentem verſus à Camico p. m. ferè 20. diſtantem condiderunt, quàm à defuncto eorum Rege Minoam appellaverunt. Cæteri ab illis diſſidentes littus aliquandiu meridionale peragrarunt, tandemque in loco natura ſatis munito, utpote ſaxoſo colle, urbem & ipſi ſibi ſtruunt, quàm à fonte influente Engium vocaverunt. Et hæ quidem duę primæ Græcorum urbes in Sicilia ſurrexere. At verò etſi Regis jam milites in Sicilia perſtiterint, morte tamen Minois cognita, Cretenſes rati id, quod fuerat, dolo eum interemptum omnes præter Polychnitanos, & Preſios, magna claſſe, armiſque formidabili ad vindictam uſque in Siciliam concurrerunt, Camicumque urbem magna vi agreſſi, naturę, artiſque urbis munitione fruſtrati ſunt. Ea enim dura obſidione per quinque annos nequicquam expugnata, tandem commeatus inopia depulſi, fœde caſtris re infecta abiere, necnon in Italiæ oram tempeſtate diſiecti naves omnes amiſere. Quocirca ſpem omnem in Cretam redeundi planè ſibi ademptam videntes, mutato nomine ſe Japydes, & Meſſapios appellarunt: atque Hiriam urbem in Italia condiderunt, ut ſcribit Herodotus. Dædalus autem in Sicilia ne, an in Sardinia, quo Jolaus ipſum accerſiverat, an potius in Italia diem ſuum obierit, incertum eſt.

Minoam condunt, & Engyum.

Camicum Cretenſes fruſtra obſident.

Ægeſti Pater in Sicilia.

Poſt hæc Laomedonte Trojæ imperante. & paulò ante incendium vir quidam, ut ignoti nominis, ita non obſcuri ſanguinis à rege injuriarum damnatus cum tota proſapia præter filias virgines, capite plexus eſt. In virgines nanque cum & ob ſexus, & ob ætatis infirmitatem ſævire indecorum, fœdumque Regi viſum eſſet, procul inde aſportandas mercatoribus pleriſque Ilio profectis commiſit, ſupplicium illis ultimum, ſi mandatis deeſſent, interminatus. Navi igitur una virgines, & incerti nominis adoleſcens, illuſtri tamen, & ipſe Phrygio genere prognatus Siciliam conſilio, an vi pelagi incompertum, adnavigant, inque eam partem, quæ Drepano eſt contermina, quam & Sicani adhuc habitabant, appulſi, in agris inter Sicanos ſubſident. Ubi adoleſcens alterius virginum amore captus eam ſibi connubio jungit: filiumque ex ea ſuſcepit, quem quod inter Agrarios, & caprarum ſylvas ſit editus, Ægeſtum nominat. Qui inter Sicanos educatus, cum primùm adolevit, parentibus orbatus à Priamo Laomedontis in regnum ſucceſſore reditum in Trojam impetrat, quò cum perveniſſet, quibus eſſet majoribus genitus edixit, Gentilibus ſtatim nepotis ſubiit memoria, lineamentaque patris agnoſcunt: ad quæ cum convenirent & parentum ætas, & exilii tempus, à ſuis gratulanter, nec minori à cæteris Trojanis ſtudio excipitur. Subinde decem & ſeptem dies æſtivale ante ſolſtitium capto Ilio, Ægeſtus unà cum Elymo Phryge regia ſtirpe nato, fuga ſalutem ſibi quærens tribus cum navibus Siciliam aliquanto prius, quàm Æneas advectus, in littus Sicanorum juxtà Crinifium fluvium egreditur, agriſque vicinis ſedes ponit. Sicani ad novæ claſſis adventum occurrunt, Ægeſtum, ac Elymum. Trojanæ nobilitatis principem inſignem quàm benigniſſimè, & in hoſpitia, & in agrorum partem accipiunt.

Elymus Phrygius.

Inte-

Digitized by Google

Interea Æneas anno poſt captam Trojam primo, qui 20. poſt ſolſtitium die, hoc eſt 8. Kal. Jul. incipit, claſſe profuga Italiam navigans circiter autumnale æquinoctium per Helleſpontum in Thraciam cum ſociis advectus, ibi totam eam commoratus eſt hyemem, quo & ſuſciperet ex fuga reliquos, & pararet ad navigationem neceſſaria. Quo facto Epyrum venit: ubi Epyrotæ complures, Patro præterea Thurius cum Thuriorum non contemnenda manu ei ſe itineris inſtituti comites teſte Dionyſio addunt. Quorum Epyrotæ Jonio emenſo mari, ad eam Italiæ oram, quæ magna Græcia dicebatur, applicantes laborum perteſi, Epyrum revertuntur, Trojanis, & Thuriis cum Ænea curſum ſequentibus. Siciliam igitur veris initio freto peragrato tenent. Ubi Patro novandarum rerum cupidine ductus, relicto Ænea, Alontium circa eam Siciliæ oram, quæ Aeolias reſpicit, in edito colle ſitam urbem cum ſociis incoluit. Æneas verò, ut Veneris templum inviſeret, ſecundante vento Erycem verſus curſum tendit. Ubi & in eos Trojanos incidit, qui ad Crinifium fl. paulò ante cum Elymo, & Ægeſto inter Sicanos inſiderant. Cujus adventu cognito Elymus, & Ægeſtus ad littus occurrunt. Quibus poſt multos utrinque queſtus, ac mutuam congratulationem Aeneas ad ſedes ibi Trojanis inſtaurandas hortatur. Eoque monitu duas urbes ad Crinifium fl. & agros vicinos, uterque ſibi unam condunt. Hęc Aegeſta, quam proinde latini Segeſtam dixerunt, altera Elyma à conditoribus nomen eſt adepta (27). Ibique Æneas, quo citius eæ urbes accreſcerent, per hyemem ſecundo poſt Trojæ excidium anno cum ſociis manſit, conditiſque urbibus ex ea Trojanorum multitudine, quam ſecum adduxerat, ſive ut jactatis mari fluctibus exhiberet requiem, ſive ut ægri ex balnearum uſu, quæ ad Segeſtam ſunt, convaleſcerent, ſive ob incenſas à mulieribus naves (ut diverſa eſt authorum opinio) aſſociavit, civeſque adſcripſit.

Æneę errores Ilio capto.

In Siciliam delatus.

Ægeſta urbs conditur.

Sub idem fermè tempus Phocenſes ob varias calamitates è Troja in Libyam tempeſtate, ac deinde in Siciliam delati, accolæ, icto cum Trojanis fœdere, acceſſerunt. His igitur coloniis Trojani eas urbes, ac Schæram etiam vicinam habitantes, omnes uno nomine ab Elymi præſtantia Elymi ſunt appellati. Æneas deinde ſuorum ſucceſſu lætus, & templo Erycinæ Veneris, quàmreligioſiſſimè culto, pretioſiſque muneribus donato, & Eryce etiam colonia relicta, qui cum aliis etiam Elymi ſunt dicti, ibique ad ejus maritimum agrum, qui à Bonagia hodie nomen habet, genitore amiſſo, Tyrrheno mari Italiam ad Laurentem appulſus agrum, ſecundo poſt Ilium deletum anno, pervenit. Ubi icto cum Latino Rege fœdere, & accepta agri portione, ductaque uxore Lavinia Latini filia urbem ibi condidit, quam ab uxore Laviniam appellavit.

Phocenſes.

Dum hæc à Trojanis in Sicilia geruntur, Phœnices, ac Libyci in Siciliam communi claſſe trajecerunt: occupatiſque promontoriis Pachyno, & Lilybæo, aliiſque parvis inter Africam, & Siciliam interjacentibus inſulis, oram Siciliæ, quæ ad Aquilonem vergit, negotiandi cum Siculis ſtudio etiam ſunt adepti (28). Poſt Græcorum verò in Siciliam adventum inde recedentes, Motyam, Soloentum, & Panormum finitima Elymis oppida, tranſlatis eò ſedibus incoluerunt, freti tum Elymorum ſocietate, quam fœdere pepigerant, tum quod locus ille exiguo trajectu diſtat à Carthagine. Eodem fermè tempore poſt captam nimirum Trojam Merio Cretenſis, & cum eo ex Cre-

Phœnices in Sicil. trajiciūt

Cretenſium recens colonia Engyi excepta Creta inſula complures claſſe in Siciliam, voluntate; an maris excurſu delati incertum, ad Engyum urbem appelluntur. Ubi ab Engyatibus eorum cognatis humaniter, & hilari ſtudio ſuſcepti pro civibus profugi, pro domeſticis hoſpites adſcribuntur (29). Et hæc quidem in Sicilia ab initio ad Trojanorum uſque errores à Barbaris ſunt geſta. Quorum maxima pars ſcriptorum inertia, & temporum injuria à nobis deſideratur. Nunc temporum ordo expoſtulat, ut de Græcis, qui Siciliam poſtea cultu, moribus, lingua, & urbibus majorem in modum excoluerunt, diſſeramus.

1. Annos 2242. à Mundi exordio ad diluvium Septuaginta Interpretes, quos ſequitur Eccleſia, & noſter Hiſtoricus, fluxiſſe tradunt; communis tamen & recepta Chronologorum opinio vulgatæ Bibliorum editioni cohærens ad annos 1656. intervallum illud contrahit; Quo decurrente Gigantes quidem extitiſſe inficiatur nemo; quin mortales omnes proceræ, atque immanis ſtaturæ ab ipſo Adam progenitore ad Noem uſque, & filios, ætatem illam tuliſſe, complures ſtatuunt. At per univerſum penè orbem ab ortu ad occaſum, ne ipſis quidem exceptis inſulis, hujuſmodi hominum genus diffuſum omnes penè primæ notæ ſcriptores mordicus negant. Beroſus Annianus urbem Enos circa Libanum fuiſſe maximam ſcribit, ex qua Gigantes toti mundo dominabantur ab occaſu ſolis ad ortum. Verum id Beroſi opus ſubleſtæ omnino fidei communi calculo creditur; nec ſi legitimum, Fazelli aliunde intentum evincerent; de terris enim per ea tempora ab Adæ filiis occupatis loqui Beroſus potuit, quibus & ſolis ortus erat, & occaſus. Hæ porro à Paradiſo Eden ad oceanum extendebantur, teſte S. Ephrem Syro apud Syncellum in Chronographia, nec tractum illum, ubi poſtmodum Ægyptus, neque Africam ex conſequenti, minuſque Europam, immo neque Chaldæam, eodem Syncello authore, concludebant. Non deſunt cæterò, qui nedum Aſiam,ſed Europam, Africam, immo, & Americam ante diluvium inhabitatas affirmant. Horum præcipui Tirinus, Ferdin: Diana,Opmeerus,Mercator,Beirlinchius, & Salianus enumerantur. Æquè enim ajunt, Deus Adæ, ac Noe præcepit, creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ut igitur elapſis à diluvio ſæculis, orbis univerſus mortales complures habuit cultores, cur non per annos MDC. idipſum ante diluvium primis illis hominibus contigiſſe affirmabimus?

Ex his, uti aniles fabulas rejicias, quæ verus Beroſus de Chaldæorum Regibus apud eumdem Syncellum, & Manethon de Ægyptiorum Dynaſtiis ante diluvium evulgant: *Eos enim*, inquit Syncellus, *qui ſacris Scripturis ex æquo animum adjiciunt, Chaldaicam, & Ægyptiam omnem hiſtoriam illis repugnantem decet reſpuere*. Conſule Marianum Valguarneram pag. 367. qui ante diluvium primis illis hominibus navium uſum minimè fuiſſe adſtruit, proindeque extra Aſiam neutiquam propagatos eos ſtatuit.

2. Prioris Decadis lib. 1. cap. 6. de Gigantum corporibus per univerſam Siciliam paſſim Fazelli ævo effoſſis abundè actum. Ubi illud etiam adnotavimus: omnes uno agmine Siculorum rerum Scriptores, circa ſuas regiones hujuſmodi monſtroſa oſſa, calvarias, molareſque dentes diverſis temporibus repertos proferre, ex quibus tamen Ego nonniſi dentes, eoſque enormis magnitudinis apud varios obſervavi.

3. Super Armeniæ montes Arca poſt diluvium requievit, quæ humani generis reliquias in Noe, & filiis ſervavit; hinc ab Armenia univerſa mortalium progenies ſua repetit initia. Verùm in Campo Sennar, ubi Turris Babel ædificari cœpit, linguarumque confuſio evenit, diſperſio gentium eſt

eſt facta. Campus hic inter Tigrim, & Euphratem extendebatur; eſt hodie Diarbechia, antiquis Geographis Meſopotamia. Sed de celebri apud Babel confuſione, & gentium ſubinde migrationibus nihil Fazellus innuit. Didimi autem opinio infra examinanda; ſed Trogi aſſertio ſcribentis Gigantes fuiſſe, & ex ſeſe oriundos, cuinam probari poſſit non video; inde enim cum Ægyptiis, aliiſque ejuſdem farinæ vanis hominibus fateamur oportet: Siculam terram, aut limum mortales producendi vim habuiſſe, quod abſurdiſſimum. Id igitur contenditur, unde, aut quo tempore primos omnino incolas, ſive Gigantes poſt diluvium noſtra hæc inſula exceperit; quod ut exactius diſpiciamus.

Illud primo obſervandum linguarum confuſionem, generiſque humani per orbem terrarum diviſionem variè poſt diluvium reponi. Hebraicus quippe textus, cui vulgata Biblia adhærent, Phalegi ex Sethi nepotibus quarti, aut quinti, nativitatem, poſt quam Turris ædificatio incœpta, ſtatim ſub ſæculi ſecundi initium decernit; Medio hinc eodem ſecundo ſæculo Idiomatum confuſio, ac gentium diſperſio juxta hunc textum evenit. Lxx. verò Interpretes ad annum 531. Phaleg ortum ſtatuunt, & Penthateuci Samaritani lectio, quinto ineunte ſæculo eumdem enunciat. Qui Hebraico conſequenter adhærent textui ducentis circiter annis poſt diſperſionem vixiſſe Noe affirmant; Lxx. Interpretum, & Samaritanæ lectionis aſſertores longè ante mundo exemptum eumdem arbitrantur; Ad noncentos enim quinquaginta ætatem Noe produxit, ac anno poſt diluvium 350. exceſſit, qui ſexcentos circiter diluvii tempore numerabat. Scio Recentiores quoſdam in annum à Phaleg nato 601. Abrahami ortum rejicere, juxta Samaritanum textum, uti & ſeptuaginta conſtituunt, quem tamen Hebraicus, & Vulgata anno 251. poſt eamdem Phaleg nativitatem evulgant; breve quippe intervallum annos 250. putant illi, tutque per univerſum viciſſitudinum, quas Abrahami ævo ſuſpicere mortalibus datum; ferè incapax non incongruè tradunt.

Utut res ſeſe habuerit, illud cenſeo: ſæculo primo, aut altero poſt diſperſionem Inſulam noſtram incolis frequentem fuiſſe ad orientalem præſertim plagam, quæ prima ex Aſia venientibus occurrebat; aut ex proximo continenti transfretantes excipiebat; reliquas ſubinde oras tractu temporis occupatas. Non ergo, uti Caruſius ajebat Hiſt. Mem. tom. p. Abrahami ætate habitatores omnino primi in Siciliam delati; Tunc enim immania illa hominum ſtatura nimium decreverat; primi autem Siciliæ incolæ Gigantes, nemine contradicente, fuerunt, qui vulgarem corporum molem duplo ſaltem excedebant. Hos porro ex Japheti ſtirpe oriundos citra dubium omne affirmo, quidquid nugatores aliquot obtendant, qui Chamum, ejuſque ſobolem Siciliam ſibi primo vindicaſſe vulgarunt. Conſtat enim Noemum tribus filiis orbem diviſiſſe univerſum, quum annos numeraret 934. hoc quidem pacto: Semo à Perſide, & Bactris ad Indiam, ab India ad Ægypti Rhinocorura, Syriam proinde, Mediam, Scythiam, Chaldæam &c. colendas deſignavit. Chamo meridionales partes ad Africam vergentes ab Ægypti Rhinocoruria ad oceanum, Ægyptum nempe, Ætiopiam, Libyam, Mauritaniam, Pheniciam &c. Japheto demum ſeptentrionales, & occiduas plagas à Media ad Gades, inſulaſque oceani; quibus finibus Europa, Armenia, Iberia Aſiana, Pontus &c. claudebantur.

Diviſio hæc, quamvis aliis ſub nominibus Mythologos non latuit, Bianchinio teſte in Univ. Hiſt. Et in Noemo Saturnum Deorum Patrem, in Semo Plutonem, Jovem in Chamo, Neptunum denique in Japheto recognoſcunt. Plutoni inferas Regiones, quales ſunt Aſiæ; Jovi ſupremas, ſive cœleſtes, deſignatas per Africam, quæ ſoli vicinior cenſetur; Neptuno mari-

timas

timas, Europæ ſcilicet, aquis undique circumfluas, inſuliſque refertas, tribus veloti Regnis ſignificatas, hæreditario jure conlatas fabulantur, Quum hinc ad Europam Sicilia pertineat, & occiduis partibus accenſeatur, quis non eam inter Japheti regiones enumerabit, ac hujus filiis in ſortem ceſſiſſe negaverit? Eo vel maximè quod Cyclopes primos Siciliæ incolas veteres Poetæ Homerus, & Euripides Neptuni, ſive Marini Dei filios appellant. At Trinacum Apollonii Scholiaſtes, Euſtathius, & Stephani Epitomator Inſulæ imperium obtinuiſſe, nomenque Trinacriæ illi indidiſſe affirmant; de hoc verò ita Sibylla cecinit:

Trinacria, inſula, quam condidit Trinacus heros
Filius Marini præfecti, Neptuni Regis.

His ita firmatis, quiſnam ex Japheti nepotibus primam in hanc noſtram inſulam deduxerit coloniam examinandum.

Ex Julio Africano apud Syncellum Chronogr. lib. 1. Eliſa inducitur; habet enim: *Filii Javan* (filius hic fuit Japheti) *Eliſa, à quo Siculi; Tharſis, à quo Iberes; Citii, à quo Latini; Rhodios, a quo Rhodii.* Similia habentur apud Euſebium Scaligero interprete. Neque obtendat Caruſius: Siculorum nomine hic debere intelligi, eos, qui poſt Sicanos inſulam occuparunt, quam & Siciliam denominarunt. Author enim, qui illa ſcripſit, *Eliſa, à quo Siculi*, Siciliæ primos intellexit incolas, quemadmodum pro Rodiis Rodi inſulanos aſſumpſit; Ejus enim ævo Siculorum nomine noſtri dubio procul populi veniebant. Iberes quoque fuiſſe olim gentes in Aſia, & Iberiam Provinciam inferius demonſtrabimus; nec tamen à Tharſi niſi Iberos, ſive Hiſpanos fluxiſſe populos in Europa, inde colligit Syncellus; ſtatim enim enumerans ex Japheto oriundos ſubdit: *Galli, qui & Galatæ, Ligures, Celtiberes, Iberes, Galli, Aquitanici, &c.*

Jamvero ex Javan Jones denominatos, & Jonium mare dictum nonnulli perhibent; alii Janum veteribus notiſſimum Javan fuiſſe tradunt, qui in Italiam delatus Janiculo colli vocabulum appinxit. Nec enim illis deferendum puto, qui Noe Janum in Italia vocatum, ex quibuſdam Apocryphis tradunt; quodque biceps idcirco Janus effingatur, quia mundum ante diluvium, & poſt diluvium vidit; Quin & navis ſacra idcirco eidem fuerit, ob Arcæ memoriam, ubi humanum genus Noe opera ſervatum. Hæc enim aliter à Poetis, & ab Ovidio cum primis explicantur, uti fuſius inferius exponam. At fuerint Eliſę, ſive aliùs Japheti nepotis genus primi Inſulæ noſtræ habitatores, id ſumma contentione inter ævi hujus Eruditos quæritur: Undenam ſcilicet advenerint; an pelago emenſo, ex Græcia, aut Aſia, an ad fretum breviſſimo maris intervallo ſuperato, è proxima Italiæ, ſive continentis ora, an denique ex Africa trajecerint.

Threicios, qui Acarnaniam incolebant, primos in Siciliam veniſſe tradit cum Græcorum nonnullis Didimus, ut hic Fazellus advertit. Threicium genus ex Thracia latiſſima Europæ regione, quæ hodie *Romania*, ortum recognoſcit. Celebratur hæc Ptolemæo; Licophroni verò, Stephano, Suidæ, & Herodoto aliis ſub vocabulis innotuit; Hebræiſque Joſepho teſte, Thiras dicitur. Acarnania demum Epyri pars fuit, quę olim Curetis, hodie vulgo Deſpotatus appellatur. Unde autem Didimus, & qui eum ſequuntur Græci, eruerint Thraces primos in hanc Inſulam appuliſſe non habeo. Thucydides enim Græcus ipſe, & antiquiſſimus Cyclopes primos Siciliæ incolas, unde venerint, ſe prorſus ignorare ingenuè fatetur.

Æolicos vetuſtiſſimos Græciæ populos, qui ab Elyſa originem duxerunt, uti multis probat Valguarnera, de Orig. urbis Panormi, Siciliam primo occupaſſe, noſtri fere omnes Scriptores gentici tradunt; Hos, & Pelaſgos olim appel-

appellatos fuiſſe, & Thraciæ Gigantes idem Valguarnera affirmat; Hinc Didimi apud Fazellum opinio, Thraces nempe Gigantes, & genus Threicium ex Acarnania in Siciliam trajeciſſe autumantis in idem fortaſſe recidit.

Noviſſimè ex Iberia Aſiana, quæ Armeniam contingit, in Inſulam primos Incolas advectos Franciſcus Caruſius ſuadere Eruditis, non inanibus conjecturis, quæ ſingulari oratione expenduntur, aggreſſus eſt. An hos ex Tharſi Javan filio progenitos dicat (Ex Tharſi enim juxta Euſebium, & Syncellum *Iberes*) compertum non habeo, laudata enim oratio manu exarata apud authorem aſſervatur. Sed Europeæ Iberiæ, quæ vulgo Hiſpania, ab hiſce populis nomen fortè obveniſſe putant nonnulli, eorumq; ſimul Coloniam Siciliam occupaſſe ſatis probabile mihi etiam videtur. Moveor, quia meridionalem Inſulæ noſtræ oram Antiquam Hyperiam vocat Homerus, ſive ſpacioſam, & terræ Cyclopum conterminam vulgavit. *At Minerva ibat ad Pheacum populum, atque urbem, qui antea habitabant in ſpacioſa Hyperia prope Cyclopes, qui eos prædabantur, quum viribus forent potiores.* Levi quippe mutatione literarum, quæ Iberia ab Iberis dicebatur, Hyperiam poeta nominavit.

Ephorus hinc apud Strabonem lib. 6. Iberes primos de Barbaris Siciliam inhabitaſſe affirmat. Hos autem alios à Sicanis fuiſſe idem Strabo innuit, qui enumeratis Siculis, Sicanis, Morgetibus, alios nonnullos inſulæ memorat colonos, *ex quibus*, ait, *fuerunt etiam Iberi*. Inſulam quoque univerſam à figura trilatera Trinacriam appellaſſe eoſdem Iberos Marcianus Heracleenſis in ſua Periegeſi diſertiſſime oſtendit; de Inſulis enim agens mediterranei maris: *Deinceps*, ait, *Sicilia eſt inſula feliciſſima, quam primum alienigenas barbaros ajunt populos incoluiſſe Ibericos, ob trilaterem regionis figuram ab Iberis Trinacriam dictam*. Scio hæc Marciani à nonnullis ad Sicanos referri, qui ab Iberia Europea in Siciliam delati dicuntur. Verumenimvero Diodorus de Sicanis loquens, eos à Phyliſto malè alienigenas appellatos Timæi authoritate dicit; Sicani hinc Siciliæ incolæ ab Iberis Aſianis ortum fortaſſe duxere, atque idcirco indigenæ optimè vulgantur, ab illis enim progeniti, qui primi inſulam occuparunt. Conſtat aliunde Sicanos inſulam à ſe Sicaniam denominaſſe; Quum igitur Marcianus ab Iberis Trinacriam eamdem appellatam prodat, minimè de Sicanis loqui potuit; Sed & ante Sicanos Trinacriæ nomen inſulæ obveniſſe Thucydides, aliique liquido oſtendunt; Iberes itaque, unde Trinacria dicta, ante Sicanos ſtatuendi, quos Homerus Pheaces Hyperiæ incolas, Læſtrygones, & Cyclopes confictis nominibus prodidit. Iberes denique in Siciliam migraſſe à Liguribus pulſos idem Thucydides, aliique affirmant, à Liguribus nempe orientalibus, qui in Aſia, & in Cholchide fuerunt, regione Iberiæ finitima. Hinc Licophrones Medeam memorat urbem Liguſticam in Aſia, Ligureſque Aſiæ populos inducit. Opinionem hanc de Iberis Joſeph Pancratius ſuo etiam calculo confirmat in Agrigenti Hiſtoria; ſed hujus eruditi Scriptoris rationes mihi adhuc quoque inobſervatæ.

4. Beroſus id nullibi ſcripſit. Annius quidem Viterbienſis, qui Beroſi opus dudum deperditum confarcinavit Noe Janum fuiſſe effinxit; Hinc apud Syncellum, qui ex Beroſo legitimo plura recitat, nil tale offendas; Quin poſt Noe longè Janum vixiſſe Eruditis hodie veluti exploratum habetur.

5. Tam varia de hiſce monumentis, deque monte, ubi Arca requievit, Itinerantes enarrant, ut certi aliquid erui vix poſſit. Conſule, quæ noviſſimè Univerſalis Hiſt. Authores Angli tom. 1. hac de re congerunt:

6. Gigantum, qui Siciliam primi tenuerunt, efferi mores à Poetis paſſim conficti creduntur; Ab Homero præſertim, & Euripide. Ille enim Ulyſſem

ſem introducens ſuam è Lotophagorum inſula navigationem enarrantem, ita canit. *Hinc autem ultra obnavigavimus triſtes corde, Cyclopumque ad terram ſuperborum, & exlegum venimus: qui ſunt Diis freti immortalibus, neque plantant manibus, neque arant; ſed inſeminata, & inarata omnia proveniunt, triticum, & ordeum, atque vites.* Et paullo poſt. *Illis verò neque conciones conſiliariæ ſunt, neque jura; ſed ipſi celſorum montium inhabitant cacumina in ſpeluncis cavis. Jus autem dat unuſquiſque liberis, atque uxoribus, neque ſeſe invicem curant.* Ex quibus illud colligunt. Superbos nempe diei Cyclopes, quod ſtaturæ eſſent immanis, & virium ſupra quam credi poteſt, robuſtarum; Exleges verò, ideſt communi jure neutiquam viventes, aut ſeſe invicem curantes, ſed ſuæ cuique familiæ jus peculiare decernentes.

Euripides in Cyclopis fabula illa habet: *Jam prope Maleam navigantes ſubſolanus ventus adſpirans ad naves impulit nos ad hanc Ætnæam rupem, ubi monoculi filii Marini Dei Cyclopes habitant antra vaſta, homicidæ.* Et ſubinde colloquium inter Ulyſſem, & Silenum expendens ita concludit: *Sunt ne hoſpitales, ac pii in hoſpites? Dulciſſimas dicunt carnes hoſpites ferre. Nemo venit huc, qui non interfectus ſit.* Quibus ſane intelligit Cyclopes uberem colentes terram, quæ facile ad eam occupandam hoſpites appellentes alliceret, navigantibus exſcentionem omnino vetuiſſe, quod ſi fortè fortuna, aut tempeſtatis vi aliquis appuliſſet, mox ut terram tenuiſſet, ſtatim ab incolis occiſus, ne ad ſuos reverſus, regionis fęlicitatem illis proderet, pulſique inde veteres incolæ, patriam amitterent. Conſulendi cæterò Didimus, & Euſtathius veteres Homeri Interpretes, qui nobiſcum omnino ſentiunt; hinc unde execrandam adeo Siculorum Gigantum impietatem Fazellus eruerit, non habeo. Quod ad nomen attinet, Cyclops idem, ac Faber ſignificat; Plinius idcirco, aliique, Cyclopes ferrariam artem adinveniſſe ſcribunt; Turriumque, ac Męnium ædificatores omnino primos eos nonnulli adſtrunt, uti mox dicemus.

7. Læſtrygones nautas, quòd in finitimis Italiæ regionibus prædas agerent, perperam Fazellus affirmat. Cyclopibus enim, qui illis finitimi, non adeſſe naves pictas Homerus tradit, neque viros, qui naves perficerent. Eo igitur vocabulo ſunt appellati, uti ex Eſiodo Valguarnera tradit, quod tritici, & hordei ventilatores haberentur. Λαίſρον Πτύον enim, unde deducta vox *Leſtrygone* trideus eſt, ſive lignum, quo triticum à palea ſecernitur. Læſtrygones quoque apud agrum Formianum Italiam tuliſſe ex eodem Homero conſtat, qnos maritimos prædones nullus dixit; Siculi aliunde Leontinenſem occupabant regionem, quæ longè ab Italia diſtat; adeoque latrociniis infeſtam hanc illos reddere potuiſſe incongruum creditur. Agrorum contra culturæ deditos facile, vel ipſa loci ratio ſuadet; Leontinenſis enim terra præ aliis inſulæ feraciſſima.

8. Egregiè hic noſter author Cyclopum exponit allegoriam, primoſque inſulæ cultores ab ingenio, ac prudentiâ commendat. Videſis Carreram in Ætna monte.

9. Plinius lib. 7. cap. 56. fabricam ferrariam, & turres adinveniſſe, Cyclopes prodit, & Statius Argivorum męnia eoſdem perfeciſſe canit; Heſiodus denique tria Cyclopum genera enumerans illos inter primos recenſet, qui muris munitiſſimis Micænas circumdederant.

10. Maurolycus Tripim, & Pilainum ſicula in valle demanę oppidula à Sterope, & Piracmone nomen habuiſſe ſcribit, ac Tripim Strepium, Pilainum Piracmium appellat.

11. Cluverius, quòd ad Ætnæam oram nec hodie portum, neque inſulam illi prętenſam obſervaverit, Polyphemi ſedem, antrumque ad Ericis

mentis

montis radices ſtatuit, ubi Ulyſſis portum denominatum quoque deprehendit; ſed igneis eruptionibus tot poſt Homeri ętatem viciſſitudines oram eamdem fuiſſe paſſam, variamque induiſſe faciem, quis negaverit, niſi oculis fidem abnuat? Poſt Catanam meridiem verſus Cluverius ipſe apertam oram patenſque littus ante annum 1669. advertit; Jam hodie mutato aſpectu ad duo circiter paſſuum millia Ætnæorum ignium materies, nigrique lapides totàm adeo occupant regionem, ut alia omnino ab illa, quæ olim fuerat, videatur.

12. Recens diluvii memoria primos Siciliæ incolas non abſterruit, quin ſeſe mari committerent, atque in inſulam trajcerent; niſi ex proxima Italia advectos dicas, quo etiam caſu fretum illis fuit tranſnatandum. Eos igitur minus fortaſſe in ſedium delectu formido aliqua tenuiſſet. Scio Platonem ſcribere, idcirco in montibus Mortales primas ſibi ſedes quęſiviſſe, quod pręſens veluti illis eſſet diluvium. Verumenimvero id minime ex Homero erui poſſe videtur, qui Polyphemi antrum, in quod Ulyſſes cum ſociis penetravit, ab littore non longe locavit.

13. Conſule Platonem lib. 3. de legibus.

14. Scriptoris hujus verba inferius recitantur. Cęterum quæ ex Methaſtene, Xenophonte, aliiſque Fazellus concinnavit, inter apocrypha communi calculo cenſentur, atque ab Annio Viterbienſi confiſta, qui unà cum Beroſi opuſculo, aliorum quoque Methaſtenis nempe, Xenophontis, & Fabii libros e ſuo peno eduxit. Quod optime idem advertit Fazellus.

15. Javan potius Janum ab antiquis appellatum adſtrunt plerique, quod & ipſa nominis affinitas evincit. Noe cęterò in Aſia, & in Armenia conſenuit, ibique mortuus paſſim ſacris Scriptoribus creditur.

16. Quod Annianus Beroſus Saturnum olim Cham fuiſſe ſcribat, non inficior. At Diodorus, ubi de Saturno, id minime aſſeruit.

17. De hac urbe Camesena, authore Saturno, varia Siculi Scriptores tradunt. Ad Caput Xiphonium ſub Ætna conſtituunt nonnulli, ubi ager adhuc hodie *Caſena* vulgo dicitur.

18. Hammon Cham creditur. En conjecturæ: Chamo Ægyptus & Africa in portionem datæ, quas ille idcirco cum ſuis occupavit. Ægyptus hinc *Terra Cham* paſſim in ſacris ſcripturis appellatur. Ammonis religio apud Ægyptios vetuſtiſſima; quumque illorum dialectus litera C. careat, facilè Chami nomen in Am, ſive Ham commutare potuerunt, uti Blanchinius in Univerſ. Hiſt. pluribus evincere conatur. Illum conſule, ſi lubet.

19. Longęvam hanc Cereris ætatem veluti fabuloſam habent illi, quibus Anniani Beroſi fides ſuſpecta omnino eſt. Non inficior Iſidem eamdem eſſe, ac Cererem, ideſt Iſidis cultum per Phęnices in Siciliam delatum inſulanis occaſionem dediſſe, ut & ſuam ipſi Cererem inducerent. Cereris ſubinde religio in Græciam invecta, & apud Eleuſim urbem maximè Ceres celebrata. Eleuſinis ſacris initia dedit. Ejus cęterò hiſtoria cum Proſerpinæ raptu adeo antiquis ac tam frequenter Poetis memorato, allegoria doctis Viris omnino creditur, quod eruditiſſimus Bannier in ſua Mythologia confirmat.

20. Motya ad Pachynum, uti Dec. Primę lib. 5. cap. 1. vidimus, nulla extitit. Motyam igitur, quam de Muliere quadam, quæ Herculi, ubi eſſent amiſſi Boves indicavit, denominatam ad Lilybęum ſtatuimus; quamvis non deſint illi, qui utrobique ejuſdem nominis urbes locant.

21. Siculos hic noſter Fazellus Inſulæ populos vocat; Siculi enim qui ſubinde Siciliæ vocabulum inſulę indiderunt, longe poſt Herculem celebrantur. Diodorus Sicanos appellat eos Duces, quos Hercules confecit; Sicanos quandoquidem indigenas dicit, Herculemque Sicanis late per inſulã dominantibus,

cibus, inducit. Sed refragatur Valguarnera, qui Ducum nomina græce omnino originis facit. Verumenimvero, quis Sicanorum dialectum, unde deducta, aut cuinam affinis fuerit, penitius novit? Æolicos, Pelaſgos, Thraces, Iberes, aut ſi quos alios dicas primos Siciliæ incolas, veteri græco idiomate uſos inficiatur nemo, hinc & Sicanis Diodoro, indigenis, idem omnino ſermo fuit.

22. Nullibi apud Diodorum leges Jolaum Græcorum colonias in Siciliam deduxiſſe. Ex Græcis primos in Siciliam trajeciſſe Chalcidenſes circa XI. Olympiadem Thucydides teſtatur lib. 6. Hinc Cluverius, uti alibi vidimus, Mariani Valguarneræ opinionem ex eo ſugillat, quod Græcis ſcriptoribus contraria videatur, Græcoſque inter primos Æolicos, ſive Pelaſgos inſulæ cultores inducat. At Author hic de vetuſtiſſimis id firmat colonis. Thucydides vero recentiores memorat. Ut ut ſit, quod de Jolao Fazellus affirmat, non procedit. Nuſquam enim in Siciliam hic venit.

23. Hucuſque de iis actum, quos alii Heroas appellant, eaſque ætates complexus eſt noſter Author, quæ & Deorum ac Semideorum nomine apud Mythologos veniunt, ſive Poeticum, Heroicumque ævum dicuntur. At quum longe majora ſuppetant iiſdem in ævis recenſenda ad noſtram inſulam ſpectantia, illa hic ſubtexere quam breviſſimè non gravabor, quæ etſi fabulis involuta, ac fortaſſe omnino etiam fabuloſa, patriæ regionis nihilominus celebritatem declarant. Deucalionem igitur, & Pyrram in Sicilia, ejuſque Monte Ætna ſubſtitiſſe poſt diluvium, ibique ſervatos Hyginus in ſabulis evulgat. Deucalionis enim cataclyſmus cum Noetico univerſali paſſim confunditur, adeout Cluverius in ſua Germania Deucalionem fuiſſe Noam affirmare minime dubitaverit, quod & aliis perſuaſum. Hinc quamvis in Parnaſſum evaſiſſe Deucalionem veteres communiter tradant, & peculiarem in Theſſalia inundationem ſolummodo inducant, Hyginus tamen in Ætna, quod mons eſſet altiſſimus, illius appulſum confinxit. Fateor Recentiores nullum in Theſſalia Deucalionis, nullum in Attica Ogigis diluvium recognoſcere; Sed ex Ægypto, ubi Noetici hiſtoriam didicerat, in Græciam primò delatum Deucalionem, Græcos de eodem diluvio primum edocuiſſe. Ogigem verò Faraonis ejuſque exercitus in Mari Rubro ſubmerſionem ex eadem Ægypto in Græciam forte invexiſſe; Et quia Deucalion in Theſſalia, Ogiges in Attica regnum ſibi vindicarunt, hinc Theſſalici, & Attici Cataclyſmi manaſſe opinionem. Sed Hygini fabulam præterire, quod ad Siciliam ſpectaret, conſulto nolui. Jamvero Ariſtæus nedum mellis, pecoris, & olei, ſed & vini in Ætna quoque uſum, eodem Hygino teſte, adinvenit. Cianes ſubinde, & Arethuſa Nymphæ apud Syracuſanos celebrantur, quæ Cereri filiam Proſerpinam quærenti, hanc ad inferos ob Orco deportatam nunciarunt. Harum nomine duo urbis, & agri Syracuſani celeberrimi fontes ſunt etiam inſigniti. Ætna & Thalia non minus illuſtres ſuccedunt, quare illa monti appellationem tribuit, hæc Palicos Jovi peperiſſe dicitur, de quibus ſuperiori Decade actum. Adranus, unde vetuſto oppido nomen, Symæthus Inſulæ Rex, a quo fluvius eſt dictus, Aciſque Symæthi filius, qui & ipſe alteri flumini vocabulum tribuit, Symætides itidem Nympha ab illo etiam progenita hinc efferuntur. Sed & Acis Amores cum Galathæa Nympharum pulcherrima, & Polyphemi gigantis zelotipiam poetæ præ cæteris celebrant.

Zancli, unde Zancla urbs, Orionis Meſſanenſis portus architecti, & Eunapionis, qui Siciliæ quoque Regibus accenſentur, meminit Diodorus, uti Decade prima adnotatum. Pelori denique Gigantis, unde Promontorio, viciniſque oris denominatio, Hyginus, & Claudianus geſta recenſent.

Varias

24. Varias Scriptorum opiniones de Sicanorum origine hic veluti prætermittere Fazellus videtur, quas tamen fuſe expendere opere pretium putaverim. Silius igitur lib. 14.

Poſt dirum Antiphatæ ſceptrum, & Cyclopia regna
Vomere verterunt primum nova rura Sicani.
Pirene miſit populos, qui nomen ab amne
Deſumptum patrio, terræ impoſuere vacanti.

Eruit poeta latinus ex Thucydide, ex quo Philiſtus apud Diodorum, & Dionyſius Alicarn: Thucydidis verba lib. 6. initio hæc ſunt: *Poſt hos* (Cyclopes nempe) *Sicani primi demonſtrantur incoluiſſe, atque eſſe, ut quidem ipſi prædicant, illis priores, quando indigenæ eſſe cenſentur; Sed ut veritas comperitur, cum Iberi eſſent, a Sicano Iberiæ flumine, Ligures eos ejecerunt, & ab iis, tunc dicta inſula Sicania, quæ prius Trinacria appellabatur.* Quibus videtur innuere: Sicanos ſeſe indigenas jactare, quod tamen falſum Hiſtoricus putavit. Eadem habent Dionyſius ac Servius. Pauſanias vero in Eliacis: *Siciliam*, ait, *hæ gentes incolunt, Sicani, Siculi, Phriges; illi ex Italia, Phriges a Scamadro flumine, & Trade profecti.* Strabo lib. 6. *Manebant ad ea tempora,* Græcorum nempe, *Siculi, Sicani, Morgetes, & alii nonnulli, qui inſulam incolebant, in quibus fuere, & Hiſpani, quos Ephorus ait, primos tradi de Barbaris inſulam inhabitaſſe.* Haud dubiè Ephorus, ſubdit Cluverius, aut a quibus id habuit ille, ipſos intellexerunt cum aliis authoribus *Sicanos*, qui ex Hiſpania profecti, primi poſt Cyclopes, ac Leſtrygones inſulę hujus incolę dicuntur. Jam Solinus cap. XI. *Sicaniæ*, inquit, *diu ante Trojana bella Sicanus Rex nomen dedit, advectus illuc cum ampliſſima Iberorum manu.* Conſonat Martianus Capella lib. 6. *Hinc Sicilia memoranda, quæ a Thucydide Sicania, a multis Trinacria perhibetur. Sicania a Sicano Rege, qui cum Iberica manu in camdem terram ante bella Trojana pervenit.* Et Iſidorus lib. 13. cap. VI. *Sicilia a Sicano Rege Sicania cognominata eſt; Deinde a Siculo Itali fratre Sicilia.* A flumine igitur Hiſpaniæ veterum nonnulli Sicanos habuiſſe nomen tradunt, ſive Hiſpanos fuiſſe. *At è diverſo*, ſubdit Cluverius, *ſuos haud dubiè habuerunt authores Solinus, Martianus, atque Iſidorus; ex quorum ſententia non a flumine, ſed a Rege coloniæ Duce, & auctore Sicanorum gentem denominatam tradiderunt.*

Diodorus tandem lib. 5. *Sicilia antiquitus a figura Trinacria dicta eſt, poſtea a Sicanis cultoribus Sicania. De Sicanis primis Siciliæ incolis, quum Scriptores nonnulli ſententiis varient; ut breviter aliquid diſſeramus, neceſſe eſt. Philiſtus quidem ex Hiſpania per coloniæ deductionem translatos, eos in poſſeſſionem terræ veniſſe affirmat, a Sicano quodam Hiſpaniæ flumine id nominis ſortitos. At Timæus ignorantiam iſtius Scriptoris redarguens, indigenos eſſe liquidè probèque oſtendit, qui quia multas ad demoſtrandum eorum antiquitatem rationes affert, haud neceſſarium arbitramur eaſdem hic recenſere.* Dixerat paullo ante, eodem libro: *Sicanos vetuſtiſſimos inſulæ cultores, indigenas eſſe Scriptorum tradunt probatiſſimi.* Ex hiſce Scriptoribus Demetrii Calatiani ſola ſupereſt ſententia apud Scholiaſtem Theocriti Idylio primo. *Demetrius Calatianus tradit, Briarei, unius ex Cyclopibus liberos fuiſſe Sicanum, atque Ætnam, a qua nomen Monti*
Ex quibus illud eruo Timæo, & poſt hunc Diodoro, qui veteres omnes legerant Scriptores, minime probari illorum opinionem, qui ab Hiſpania Sicanos deduxere, quin etiam cordatiſſimos Hiſtoricos tradere, quod fuerint indigenę, Diodorus ſubdit, tantique Timæi rationes facit, ut ab eis recenſendis veluti efficaciſſimis ſibi abſtinendum putaverit. Nec Timæus aliunde, qui Philiſtum ignorantiæ arguit, Thucydidis opinionem ignoravit; Novit & illam Diodorus, nullaque ratione, ut eidem deferret, adduci po-

tuit

tuit. *Quapropter*, Cluverius ait, *vereor, ne illa Thucydidis veritas, ex ſimilitudine vocabulorum Sicoris, & Sicanorum, ſive ab ipſo, ſive ab alio quopiam ante eum Scriptura vana fabuloſaque pro ingenio, ac more gentis quaſita ſit. Attamen quia de Cyclopibus jam ante probatum eſt primos hos fuiſſe inſulę cultores, poſt hos tandem tenuiſſe eam Sicanos certum eſt. Ex Cyclopum eos genere prognatos vult antiquus cum primis Scriptor Demetrius* Galatianus, *quaſi vaſta illa priſcorum Cyclopum proceritas in iis defecerit.*

Quod ſi dicant extinctis omnino Cyclopibus, in vacantem terram novos immigraſſe colonos, proximos potius, ac conterminos e continenti eam occupaſſe credendum, quam ex Hiſpania Sicanos. Nam agros inſulæ tam feraces vicinas Italiæ gentes neglexiſſe, nemo ſibi ſuadere poſſe putaverim. Quod porro a Liguribus pulſi Iberi affirmentur, eidem Cluverio minime arridet; nuſquam enim Iberiæ partes Ligures tenuere; niſi Iberia latè ſumpta fuerit intellecta, ſub qua etiam Gallia veniebat, quam antiquiſſimis temporibus incoluiſſe Ligures in ſua Antiqua Italia Cluverius demonſtravit. Quod ſi Hiſpanorum fuerint Colonia Sicani, ſive ab amne, ſive ab rege aliquo ſic dicti, quo pacto, mari ſcilicet an terra migrationem hujuſmodi ex Hiſpania, in Siciliam fecerunt? Navibus neutiquam advenere, neque enim Hiſpani in Hiſpania, aut Sicani in Sicilia rei nauticæ operam dederunt, antequam Græci, & Phęnices in has regiones ſeſe effuderunt. Terreſtri igitur itinere ad Fretum uſque delati; *At terra qui potuere*, ſubdit Cluverius, *longinquo illo totius Galliæ Italiæque tractu per gentes validiſſimas Ligures, Tyrrhenos, Umbros, Siculos, Auſones, Opicos, Oenotros in Siciliam uſque penetrare? Nam hos populos ante bellum Trojanum tenuiſſe Italiam in deſcriptione hujus regionis oſtenſum eſt. Potior itaque*, concludit idem Author, *forte fuerit Timæi ſententia, Siculi itidem Scriptoris, qui contra ignorantiam Philiſti, liquidè, exactè, probeque, & multis documentis oſtendit, indigenas fuiſſe, primoſque Siciliæ incolas Sicanos.*

Non inficior inter Italiæ populos a Plinio, & Macrobio *Sicanos* recenſeri, & *Sicanum* amnem Deræ Hiſpaniæ regionis Stephani Epitomatori memoratum fuiſſe; quin & Oppidum Hiſpaniæ *Sicana* apud Hecatæum in Europa legit idem Stephanus. Sed quod ad Italiæ populos attinet, dixerim eos e proxima Inſula forte delatos aliquot Italiæ loca tenuiſſe, aut Sicanorum nomine Siculos apud illos authores venire, uti apud Virgilium Æneid. lib. 7. & 8. ubi, poetica utique licentia, Siculos Italos Sicanos ille appellavit. Quo ad Stephani teſtimonium fatetur Cluverius, neutrum aut regionis, aut opidi vocabulum, apud quempiam authorem in Hiſpania reperiri.

Cętorò errandi fortaſſe occaſio Thucydidi & aliis dedit *Iberorum* vocabulum, quos ex Aſia in Siciliam trajeciſſe primos nonnulli perhibent, quumque, & Hiſpaniæ populi Iberes etiam dicantur; hinc æquivocandi anſa ſcriptoribus hiſce data, ut Hiſpanos inter primos, & quidem barbaros, Siciliæ colonos haberent; Barbaros enim quoſcumque alios populos, qui ex Græcia non eſſent, gentis hujus Scriptores appellabant. Sicanorum nomina in Sicilia longe ante Trojana bella ex laudato Cluverio, & aliis. Et ſi Diodoro deferamus: Heroum ævo, Herculis vel maxime, celebre in Sicilia Sicanorum nomen habebatur. Igitur male nonnihil ante Trojanum excidium cum Solino a Fazello inducuntur.

25. Arguunt neo iniuria Dyoniſium Alicarnaſſeum noſtri, quod non multò poſt Sicanorum adventum Siculos trajeciſſe ſcribat, quum conſtet inter utraque regna aliquot fuiſſe ſæcula interjecta. Siculi nihilominus & ipſi ante Trojanum excidium Inſulam tenuere. Sed an primos dederit Siciliæ colonos Siculos Italia, an ipſa ab Sicilia eoſdem habuerit, qui per aliquot tempora quaſdam Italiæ regiones occupantes, ſubindè in patrias terras redire com-

pulſi

pulſi ſint, incertùm; Bochartus enim in ſua Geographia Siculos a Sicanis, neque gentem eſſe diſtinctam, neque linguam tradit, ſolumque ſitum utroſque diſcreviſſe, & varias in eadem gente ſactiones. Quum igitur aliundè compertum omnino ſit, Siculos per Italiam aliquando ſeſe effudiſſe, ac aliquot in ea loca occupaſſe, imo ex Tucydide, & aliis ab Italo quodam Siculi ſratre Italiæ nomen manaſſe, optimé inde deducitur ex inſula in proximum continentem Siculos migraſſe. Bianchinius ex Commentatore Germanici Cęſaris illud Nigidii afferens, quod ſuperius retulimus, de Deucalione. & Pyrra in Ætna monte poſt diluvium relictis, aliquot e Theſſalia Colonos in Siciliam migraſſe deducit Cecropis, & Jani temporibus, quibus vixit etiam Deucalion Theſſalus, Ex his porro Siculos in Latio ortum duxiſſe ſubdit; Probabile eſt enim Theſſalos in Sicilia natos, aut in Siciliam, cum Deucalione appulſos ad oram migraſſe Romanam, ibique populos fundaſſe Siculos appellatos, qui ab Eonotris, & Aborigiuibus ſubinde pulſi denuo in Siciliam trajecerunt, uti Dionyſius Alicarnaſſ. eſt author. *Hæc* Bianchinins. Græce aliunde originis Macrobius in Saturnalibus Siculos facit, qui in Italiam ſub Jano Duce venerunt. Verumenimvero ab Antiquis minimè diſcedendum putaverim, Siculoſque Italiæ diu colonos, in Siciliam primo trajeciſſe probabilius cenſeo.

26. Alibi Decade prima in Notis Lympetram aquarum ſuiſſe Stagnum ad ſontes amnis prope Megaram ſeſe exonerantis adverti ex Cluverio.

27. Elyma urbs nulla in Sicilia fuit, eodem Cluverio Authore, uti alibi Decad: prima expenlum. Elymos verò populos Troade proſugos fuiſſe appellatos ibidem docuimus.

28. An primæ hæ fuerint Phęnicum Coloniæ in Siciliam appulſæ maximè controvertitur. Sane longe a Pęnis ſive Carthaginienſibus diverſi cenſendi, etſi Pęni Phęnices etiam dicantur, quidquid nonnulli ſcribant; Pęni enim dilatandis imperii finibus Inſulam occuparunt; Phęnices verò negotiandi cauſa in adiacentes delati, ſunt, Melitam, Gaulum, & alias. Marianus hinc Valguarnera de Panormi Origine ſcribens, totus eſt orationis ſuæ initio, ut oſtendat: longe ante Trojana tempora Phęnicum in parvas haſce inſulas deductas fuiſſe colonias; Thucydidemque ordinem minimè ſervaſſe, Siciliæ incolas recenſendo probat. Si quos itaque velimus poſt Ilii caſum appulſos in Siciliam Phęnices, hi certè primi neutiquam fuere.

29. Altera hæc, Merione Duce, Cretenſium colonia Diodoro memoratur lib. 4.

Digitized by Google

DE GRÆCIS, QUI SICILIAM INCOLUERUNT.

CAPUT SECUNDUM.

Tyranni.

POST occupatam igitur à variis nationibus Siciliam, nemo fuit, qui ſolus in ea imperium obtinuerit: ſed magna ex parte ſingulis urbibus ſinguli imperitabant Tyranni. Reliquæ civitates liberæ ſuarum Rerum publicarum, qualeſcunque eſſent, conſervationi, defentionique operam dabant. Quo enim tempore Artaxerſes, qui & Longimanus eſt appellatus, Perſis dominabatur, Romani verò à Conſulibus regi cœperunt, Sicilia à populo (ut author eſt Cæſarienſis Euſebius) regebatur. Eoque rerum ſtatu anno ab orbe condito (ſi rectè Euſebius ſupputat) circiter 4400. & poſt Siculorum adventum trecenteſimo, & multo poſt Trojanum excidium Græci Siciliam traijcere cœperunt (1). Quorum poſt Creten'ſes, primi Chalcidenſes ex Euboea inſula, Hippobatis Chalcidem metropolim urbem (teſte Ariſtotele) moderantibus, Theoclis Athenienſis ductu, à Thucydide, Strabone, & Pauſania perhibentur. Enimvero Theocles curſu pelagi, ventorumque in Siciliam actus, viſa ſoli feracitate, mortalium ſolitudine, ac pulchritudine loci, in novandarum rerum cupiditatem pertrahitur. Athenas igitur regreſſus, cum cives ſuos ad mutandas ſedes flectere nequiret, Chalcidenſes, Jones, & Dorienſes nactus in Siciliam revertitur, & Naxum urbem in ora freto adjacenti, ad angulum, qui aliquatenus in mare procurrit, ubi hodie arx eſt Schixò appellata, condidit, & incoluit. Ubi & Apollinis Archagetę templum, aramque magno ſtructuræ ornamento extra urbem extruxit. Cujus oraculum deinceps Græci, antequam Sicilia ſive ad bellum, ſive ad negotium aliquod peragendum ſolviſſent, ſacris plurimis, libaminibuſque frequentabant, ac venerabantur.

Primi Græcorum in Sicil. Chalcidenſes.

Naxus condita.

Syracuſarum incrementa.

Sequenti deinde anno Archias Corinthius Herculis genere ſatus, magna Corinthiorum, ac Dorienſium, qui Zephyrum ſpectant, manu ſecum adducta, è Corintho ea, quam ex Plutarcho ſuprà retulimus cauſa, in Siciliam venit: Syracuſaſque in Ortygiam ab Aetolis primùm, & trecentis poſtmodum annis à Siculis habitatam urbem, claſſe applicuit: eamque copiis ibi omnibus expoſitis, magna incolarum ſtrage facta, milirati manu capit, Siculoſque, qui è prælio ſuperfuerant, inde in mediterranea Siciliæ oppida expulit. Erat tum ea ſola Syracuſarnm pars mœnibus cincta, quæ Omothermona ab Ætolis, Ortygia poſtea, & Naxos Græcè, inſula Latinè vocata eſt. Quam tum ſolum Siculos tenuiſſe ex veteribus conſtat. Mox ei nuovo incolatu, creſcenteque in dies multitudine, Acradina, Tycha, & Neapolis partes ſunt additæ, quibus in eam, quæ poſtea fuit, magnitudinem adolevit. Et hæc ſecunda fuit Græcorum in Sicilia urbs. Quæ naturali duorum portuum commoditate, & agri fœlicitate brevi maxima rerum, ac imperj ſuſcepit incrementa; Ita ut Syracuſani non modò dignitate, ſed Principatu quoque cæteros antecellerent, Barbaroſque omnes, qui Siculi erant, Sicani, & Morgetes, plureſque alii, qui ante Græcos Siciliam trajecerant, maritima inſulæ loca attingere non permittebant, ſed in mediterranea eos depulerant. Unde evenit, ut duo in Sicilia eſſent imperia, Siculorum unum, quod ſolum mediterranea poſſidebat, cujus regia urbs Trinacia fuit, alterum Syracuſanorum, quod latiſſimè poſtea etiam extra inſulam ad aliquot

Trinacia urbs Siculorum.

aliquot Italiæ, & Græciæ regiones, ac vicinas etiam inſulas propagatum eſt. Sed ad inſtitutum redeo,

Leontinum Chalcidenſes occupant, & Catanam.

Septimo anno poſt Syracuſas à Corinthiis occupatas, Chalcidenſium plurimi Leontinum urbem à Siculis multis antè annorum ſpatiis extructam, habitatamque, Corinthiorum adducti exemplo, armis aggrediuntur, & ſuperatis prælio Siculis, atque in mediterranea abactis, incoluerunt. Eodemque anno ejuſdem gentis complures ob inclementiam cœli Naxo diſcedentes, Evarcho Duce, Thucydidi, ſive Catano coloniæ ductore, ut alii ſcribunt (2). Catanam urbem à Siculis conditam adorti non magno labore capiunt, Siculis etiam inde in mediterranea remiſſis. Sub idem ferme tempus è Megara Græciæ urbe Lampis coloniam Megarenſium ducens, in Siciliam venit, & ad Pantagiam fluvium Brucam hodie dictum, conſedit, ibique oppidum nomine Protilium condidit (3). Qui cum Chalcidenſibus poſtmodum apud Leontinos Remp. adminiſtraret, à Leontinis eſt exactus; Idcirco Tapſum peninſulam non multum inde diſtantem petens, oppidum ejuſdem nominis in ea condidit. Quo poſtea decedente Megarenſes Tapſo profecti ſub Siculorum Rege, cui Hybloni nomen erat, & qui regionem prodiderat, Hyblam Siculorum urbem ibi propinquam occuparunt, quam poſtea à ſua patria Megarani dixerunt. Sed & anno quadringenteſimo ſupra centeſimum poſt Hyblam à Megarenſibus occupatam, Duce Pammilio, nova ex Megaris Græciæ eorum metropoli accita militum manu, Selinuntem in latere meridionali ſitam urbem, & à Phœnicibus conditam pulſis ex ea regione conditoribus, invadunt, & occupant. Sed & Hybla poſtquam à Megarenſibus eſt habitata anno quadrageſimo quinto ſupra ducenteſimum, à Gelone Syracuſarum Rege incolis urbe, & regione depulſis, funditus eſt deleta.

Megarenſium Colonia.

Hybla Megara.

Selinuntes.

Anno verò poſt captas ab Archia Syracuſas quadrageſimo quinto Antiphemus è Rhodo, & Entimus ex Creta ſocietatis inito fœdere coloniam Rhodiorum, qui Lyndii fuerant, legibus Doricis imbutam, & Cretenſium in Siciliam duxerunt, urbemque juxta Gelæ, fl. oſtium Gelam fundarunt. Sed & Geloi ipſi anno centeſimo ferme octavo à ſuis primordiis Ducibus Ariſtono, & Piſtilio Agrigentum urbem, datis etiam ei Doricis legibus, condiderunt. Syracuſani quoque anno poſt Syracuſas occupatas ſeptuageſimo Acras in nivoſis montibus oppidum, annoque dein nonageſimo Caſmenam urbem in planitie ædificarunt; Præterea, & anno centeſimo trigeſimo quinto Camerinam urbem ad littus meridionale ducibus Daſcone, & Menecolo condiderunt. Sed & iidem Syracuſani paulo pòſt Ennam in umbilico Siciliæ urbem ædificarunt. Cumani ſub eadem ferme tempora ex Cumis, quæ eſt in Opica Chalcidica urbs per Siciliæ fretum prædatoriis navibus graſſantes, Zanclam in freto à Siculis quadringenteſimo circiter antè anno conditam, parvo negotio pulſis incolis occuparunt. Sed & poſtea ab ejuſdem gentis Perhiere Cumano, & Cratimene Chalcidenſe ducibus, ſuperveniente hominum multitudine, communi fœdere cum majori tutela eſt habitata. Quo tempore Zanclæi adeo floruerunt, ut Himeram urbem deducta ab Euclyde, Simo, & Sacone colonia condiderint. Cum quibus plures Chalcidenſes, & Syracuſani etiam venerunt.

Gela cond. Agrigentum.

Acræ, Caſmena, Camerina. Enna.

Zancla a Cumanis occupata.

Himera condita.

Heraclea, & Heraclidarum gens.

Interiecto deinde non ita longo tempore, Heraclea in Sicilia à Dorieo Lacedæmonio conditur. Sed libet paulo altius ejus originem re-

repetere. Euryſtheo in Lacedęmonia rerum potiente, Heraclidarum genus, quod jam inde ab initio celebre, & apud Spartanos in ſumma veneratione vel ob id ſemper fuit, quod ex Hercule ſatum in Sparta urbe floruit, in Peloponneſum deſcendit, atque ſe Dorienſibus immiſcuit. Ex his Anaxandrides Leontis filius unus fuit, qui ſororis filiam in uxorem duxit. Quæ cum extrema ſterilitate laboraret, ne Euryſthei propago deficeret, ab Ephoris (qui & Tribuni erant) optimatibuſque ei conceſſum eſt, ut non repudiata priore, alteram ſuperduceret, ex qua ſuo tempore Cleomenem filium ſuſcepit. Quo nato, & prior concepit. Cui parturienti, ne uterum mentita partum ſibi ſubiiceret, cuſtodes aſſederunt: iiſque teſtibus Dorieum primùm, poſtea Leonidem, ac demum Cleombrotum edidit. Mortuo Anaxandride, etſi Dorieus germanos fratres, & conſilio, & militia longè antecelleret, Regnique vel ob id ſummam ad ſe delatam iri confideret: Ephori tamen Cleomeni natu, & mentis inopia maximo ſucceſſionis legitimo jure coacti, inviti ſanè Regnum tradiderunt. Quocirca Dorieus indignum ſibi prælatum moleſtè ferens; adduci non potuit, ut in Sparta permanens fratri ſubijceretur, eòque impetrata à Spartanis colonia, in conſulto Delphis oraculo in Africam delatus eſt. Ubi ad Synipen juxta flumen locum ſibi delegit tota Africa pulcherrimum, & ad futuræ urbis ſpem aptiſſimum, quemq; arte, & præſidio munitiſſimum etiam reddidit. At tertio vix exacto anno ab Afris, & Carthaginenſibus fœdè inde pulſus, in Peloponneſum rediit. Cui Antichares vir Cleonius ex Laij oraculis conſuluit, ut in Sicilia in Erycis regione, quæ Heraclidis, lege ab Hercule ob interfectum Erycem pacta, & non Barbaris, à quibus tenebatur, in Herculis honorem debebatur, Heracleam urbem conderet. Quo ille accepto, Delphos non impiger ad oraculum, prout ſuperſtitioſæ gentis mox erat, conſulendum ſeſe contulit; cui cum Erycis regionem Pythius polliceretur, ſumpta, quam paratam pro Africa repetenda habebat, claſſe, cum Theſſalo, Peræbate, Celea, & Euryleonte coloniæ Spartiatarum deducendæ Spartitatis Ducibus, Diodoro, & Chilone Athenienſi, Pauſaniæ, Lacedæmone ſolvens, & Italiam prætervectus Siciliam tenuit. Ubi regionem Erycis, quamprimum declarata progenie ſeſe dedentibus accolis, adeptus eſt, atque inter Agrigentum, & Selinuntem ad promontorium, quod Caput album hodie dicitur, ſuper ruinis urbis Minoæ jam deletæ urbem condidit, quam ab Hercule Heracleam appellavit. Qua ratione perſuaſi incolæ urbis Heracleæ Herculem authorem conditoremque prædicant.

Dorieus Patria profugus.

In Siciliam profectus.

Heracleam cōdit.

Ea verò, regnante ibidem Dorieo, adeo brievi coaluit, ut Carthaginenſes vel invidia, vel metu, nequando Heraclea viribus aucta ob vicinitatem Phœnicum deleret imperium, exciti, ſocia arma cum Ægeſtanis ſumpſerint, magniſque contra eam copiis conſpiraverint. Qui fractis bello Heraclidis, cæſiſque Dorieo, Theſſalo, Chilone, Celea, & cæteris Spartitatis Ducibus, uno Euryleonte excepto, captam urbem everterunt. Eam tamen non multo poſt Selinuntii inducta ſuorum colonia, reſtituerunt, quam Pythagoras deinde, aſſumpto Monarchiæ titulo adminiſtravit. Sed & ipſam Euryleon, qui ſolus Spartiatarum Ducum cladi ſupererat, collectis undique Heraclidarum reliquiis, à Selinuntiis veteri nomini, legibuſque redditam, Minoamque appellatam aggreſſus (ſublato Pythagora) magna vi recepit, Selinuntinoſque à monarchiæ jugo aſſeruit. Quam tamen ipſe poſtmo-

poſtmodum cum invaſiſſet, à Selinuntiis in ſeditionem actis in ipſo Jovis Forenſis templo, ad quod confugerat, ante aras confoſſus in ſuo ſanguine corruit.

Subinde Zanclęi non multo poſt Zanclam conditam, & Olympiade ſeptuageſima prima, cum Scythes Oenicinus Rex Zanclæ urbi imperaret, miſſis in Joniam nuntiis, Jones in pulchro Siciliæ littore, quod ad mare Tyrrhenum vergit, ad novam condendam urbem inducere conantur. Qua legatione ex Joniis Samii ſolùm, & Jonii quidam à Phœnicibus, & Medis victi cum Cadmo Coo Scythe Coorum Tyranni filio, qui Tyrannidem Coorum à patre acceptam juſtitia perſuaſus ſponte in medio urbis renuntiaverat, ad iter ſeſe, urbiſque decretę ſtudium paravere. Cumq; ad Zephyrium Locrorum promontorium, quod noſtra ætate vulgò Spartiventum appellatur, applicuiſſent, Zanclæi cum Scythe eorum Rege in urbis cujuſdam Siculæ, cujus nomen ſcriptorum inertia intercidit, obſidionem exierant, ſteteratque eo modo Zancla urbs vel ob id præſidio vacua (4). Invaſerat per ea tempora Rhegii Brutiorum urbis, quæ paucorum politia prius regebatur, Tyrannidem Anaxilas Critenei filius, qui paternum genus ad Alcidamidem Meſſenium Peloponneſiacum. 5. Polite*Scythes Zanclæ Princeps.* Ariſto. referebat. Is cum Zanclæorum odio laboraret, Samios hortatur, ut pulchro Siciliæ littore neglecto Zanclam urbem viris deſertam ſibi occuparent. Qui, ut perſuaſi fuerant, Zanclam, in qua amicè fuerant recepti, violata fide adoriuntur, atque nullo labore capiunt. Re cognita Zanclæi ſtatim ſoluta obſidione, advocatoque Hippocratis Gelæ Tyranni Gelonis fratris auxilio, ſtatim ad Zanclam, violatumque hoſpitii jus repetendum advolant. Quo & Hippocrates ſine mora delecta cum militum manu ad ſimulatas ſuppetias contendit. Ubi & ipſe diffracta fide in Zanclæos irruit, captumque Scythen Zanclæorum Regem, & Pyttogenim ejus germanum fratrem in oppidum Siciliæ Inyctum Gelæ vicinum, quod ſuæ ditionis erat, relegavit. Zanclæoſque poſtmodum, pacta cum Samiis prædæ totius, ac agrorum æqua portione Samiis prodidit, quibus & trecentos è Zanclæis viros patritios, quos captivos tenebat, ad lanienam tradidit. Illi verò neſarium facinus horrentes, vitam captis libertatemque donarunt, Zanclæ occupatione ſatis injuriæ factum rati (5). Quam deinde liberè veteribus exutam colonis cum ſuis inſedere; Scythes autem Zanclęorum Rex, effractis vinculis, Inycto fugiens, Himeram primùm, ac ſubinde in Aſiam, ad Darium Regem confugit. A quo benignè ſuſceptus, juſtiſſimus omnium ob id judicatus eſt, quod cum antea exorato Rege in Siciliam abiiſſet, rurſus nunc ultro ad eum rediiſſet. Protracta igitur apud Perſas multos annos vita ſenex tandem deceſſit.

Anaxilas.

Samii Zanclã occupant.

Scythes ad Dariũ confugit.

Poſt hanc Samiorum proditionem anno ferme decimo inter Samos, & Rheginos, ac Anaxilam eorum Regem odia, bellorumque etiam initia non parva ſuborta ſunt, ita ut Anaxilas pertæſus contilii, auxiliique quæ ad Zanclam invadendam Samiis dederat, eoſdem pellere in animo ſtatuerit. Cujus inſtituti occaſione Meſſenios complures Peloponneſiacos populares à Lacedęmoniis ſuperatos, & patrias ſedes relinquere cupientes pollicitationibus allectos in Samiorum iniuriam, profligationemque Anaxilas ad ſe evocavit. Eoque impulſu Gorgus Ariſtomenis filius, & Mantyclus magna cum Meſſeniorum multitudine in Siciliam trajecerunt. Cum quibus Anaxilas communi

Meſſenii Anaxilæ Socii Zãclã expugnãt.

muni Marte Zanclam terreſtri, maritimoque bello aggreditur. Zanclęi, cum hinc a Meſſeniis, illinc a Rheginis magna vi oppugnarentur, inferiores fiunt, & magna murorum parte dejecta, ad aras Deorumque templa confugiunt. Meſſenii urbem ingreſſi, cuncta diripiunt, populantur, & obvios quoſque trucidant. Anaxilas urbe potitus, ut Samios ad templa ſe recepiſſe cognovit, imperat (lib. 4. referente Pauſania) ut nulla Religionis verecundia ſupplices etiam ibidem hoſtes occidantur; reliqui cum uxoribus, & liberis ſub corona vendantur. At Gorgus, & Mantyclus facinoris atrocitatem horrentes, Anaxilam rogarunt, ne in eos Deorum ratione ſæviret. Igitur ab aris impunitas fuit. Anaxilas ſuperatis hoſtibus, Zanclam Urbem funditus delet, eique ad p. m. novam urbem ſubſtituit, quam à ſua, & ſociorum patria Peloponneſi ſcilicet Meſſena, extincto Zanclæ nomine, Meſſanam appellavit. (6) Quam deinde Mantyclus alter Meſſenenſis Ducum extra mœnia Herculis templo magnifice ſua ipſius impenſa conſtructo decoravit. In quo erectus Hercules viſebatur, Hercules Mantyclus nominatus.

Meſſanam appellant.

Mátyclus Meſſanenſis.

Anaxilas quoque Rhegii oppidi adminiſtratione Mycitho Cherî filio ſpectatiſſimæ fidei ſervo relicta, novæ urbi ampliandæ totus incubuit. Enimvero magna prudentia conſpicuus ſalutares leges tulit; nec quicquam, quod ad defendendum, honeſtandamque civium ſuorum ſtatum pertinere videretur, unquam prætermiſit. Quo effectum eſt, ut hinc ex Sicilia, inde ex Italia ad Meſſanam frequentandam turmatim homines confluerent; eaque ad naturalis portus commoditatem acceſſione mœnibus etiam circumquaque, ac propugnaculis erectis, privatorumque ædificiis brevi coaluit, & in pulcherrimæ urbis formam redacta eſt. Poſt hæc Anaxilas Cydippam Terilli Himerę urbis Tyranni filiam uxorem accepit, quæ duos ei peperit liberos. Sic igitur cum plures à Græcis coloniæ in Siciliam eſſent ductæ, & plures maritimæ urbes præclarę ab eis eſſent conditæ, mutuaque cum Siculis poſtmodum conſuetudine, uſuque complures quotidie Græci in Siciliam navigarent, mutato nomine proceſſu ævi omnes ſunt Siculi appellati. Sed & Siculi ipſi barbara omiſſa lingua græcam didicerunt, qua omnes deinceps publicè tanta conſtantia ſunt uſi, ut Græcæ adhuc Siculorum paſſim non parvi nominis Scriptorum variæ obſerventur voces (7). Sed de Tyrannis Siciliæ poſtulat ordo, ut loquamur.

Græca dialectus in Sicilia.

1. QUUM anno circiter LXXX. ante Trojam captam ex Philiſto Siculos in Siciliam transfretaſſe, vel LXXI. ex Antiocho ſuperius noſter Hiſtoricus ſtatuerit; Græcoſque anno CCCCXLVIII. ab ejuſdem Trojæ excidio eó perveniſſe liquidò ex Olympiadum epocha conſtet; Poſt Siculos anno DXXVIII. Græcorum in Siciliam adventus reponendus. Erravit itaque Thucydides, & qui eum ſequutus eſt Fazellus, non niſi trecentos annos inter utroſque fluxiſſe ſcribentes.

2. Coloniæ Ductor Catanus ſoli Fazello memoratur. Siculi porro male Catanæ conditores dicuntur; ante Siculos enim ſub Ætna monte primi inſulæ habitatores ſedes ſtatuerunt, ut alibi oſtenſum.

3. Trotilum primò a Lami Megarenſi in Sicilia opidum conditum tradit Thucydides lib. 6. minime Petilium, uti hic, levi quidem memoriæ lapſu, ſcribit Fazellus. Petelism a Philoctete Theſſalo in agro Crotonienſi ædificatam apud Strabonem lego lib. 6.

Urbis

4. Urbis Siculæ nomen Herodotus lib. 4. cujus ſunt hæc a Fazello relata, omnino reticuit. Scythe cęterum ab Æliano Variæ Hiſt. lib. 8. Ocycinus appellatur.

5. Unum e Colonia, quam e Coo Cadmus in Siciliam adduxerat, Epicharmum inſignem Poetam fuiſſe nonnulli tradunt, qui Zanclæ idcirco diù perſtitit, ibique Doricè complura edidit.

6. Quod Zanclam Anaxilas una cum Meſſeniis funditus deleverit, atque ad mille paſſus novam urbem Meſſanam condiderit, Placidus Reina mordicus negat, fretus vel maxime Herodoti, Thucydidis, Diodori, Pauſaniæ, & Strabonis authoritate, qui Zanclam urbem a Meſſeniis occupatam, ab illiſque Meſſenen dictam clariſſimè tradunt. *Fide data, & accepta,* inquit Pauſanias, de Zancleis ac Meſſeniis loquens, *unâ urbem incoluerunt, mutato vero nomine pro Zancla Meſſanam appellarunt.*

7. De Siculorum Lingua alibi fuſius dictum.

DE

DE TYRANNIS SICILIÆ, CLEANDRO, HIPPOCRATE, ET GELONE

CAPUT TERTIUM.

Sicilia Tyrannis referta. SICILIA ab initio incredibili Tyrannorum proventu longè omnibus orbis regionibus feracior, ab initio hominum monſtra gignere conſuevit: quæ potius à Tragœdis deflenda, quam à ſcriptore recenſenda ſunt. Hinc Cyclopes, Læſtrygones, & Saturnus; Hinc plurimi deinceps in ejus ſinu, ejuſque delitiis enutriti, efferatæ mentis ſævitatem in ea exercuerunt, quoſque inopinatum robur provexit, uberum ejus lacte ſaginati ejus viſcera recalcitrando diſcerpſerunt. Porrò Siciliæ civitates cum Oligarchia Græcorum tempore regerentur, anno mundi circiter 4550. (1) *Phalaris.* Phalaris inter Græcos primus Agrigentum Tyrannide invaſit, quam non ſine magno civitatis, civiumque potentiſſimorum tædio, & diſcrimine, advenarumque miſerandis, ſceleratiſque cladibus annos ſecundum Euſebium, triginta unum, ſecundum alios nonnullos, ſexdecim crudeliſſimè uſurpatam non multo mitius finire coactus eſt (2). dum à Zenone nequicquam conjurationis authores cruciatibus extorquens, à Telemacho Regiæ ſtirpis juvene ſaxis obruitur. De cujus adminiſtratione, vitaque latiſſimè priori decade memoravimus.

Thero aliiq. Tyranni. Sed non diuturna aſſertis hæc libertas fuit, poſtmodum enim eam Thero ibidem reſumpta circa annum mundi 4700. (3) Tyrannide perrupit. Quo tempore, & Panætius Leontinum, & Cleander Pataræus Gelā in ſervitutem ſibi ſubegit, qui poſt ſeptimum tyrannidis ſuæ annum à Sabyllo viro Geloo interemptus non indignum ſuæ vitæ exitum ſortitus eſt. *Hippocrates.* Sed eo mortuo Hippocrates frater ejus Gelæ ſuſcepit imperium. Cujus ſtatim initio Callipolitanos, Naxios, Zancleos, & Leontinos bello laceſſivit; ac eos fermè omnes, Gelone ſatellite ſuo, quem ob ſtrenuè deinde operam navatam equitum Præfectura donavit, & Æneſidemo Pataico ducibus ſuperavit. Barbaros quoque plurimos ſuæ ditioni ſubjecit. Pugnavit quoque Hippocrates cum Syracuſanis, quos cum ad flumen Elorum magna ſtrage fregiſſet, eorum complures ex primoribus cepit. Quos tamen, Corinthiis, & Corcyræis *Camerinam a Syracuſanis accepit.* intercedentibus, hac lege dimiſit, ut Camerinam, quam deletam à ſe deſeruerant, ei dederent. Quam in redemptionis pretium liberè acceptam Geloorum immiſſa coloniā, quibus arma, viaticum, & agri portionem viritim aſſignavit, continuò reſtituit. Quibus rite conſtitutis, rerum ſeptennio potitus Hippocrates, dum contra Siculos ante Hyblam cognomento minimam confligit, in ipſo prælio ab hoſtibus peremptus glorioſè occubuit. Dum hæc apud Hyblam geruntur, Syracuſæ urbs, quæ ea tempeſtate populari nomine moderabatur, potentioribus, nobilioribuſque populi ineptum regimen deteſtantibus, facta conſpiratione, in paucorum, & optimatum regimen, quod Græcè Ariſtocratiam vocant, deſcivit.

Gelon, ejuſque genus. Sub idem ferme tempus interfecto Hippocrate Gelon Gelæ urbis imperium ubi uſurpat, Sed libet ex Herodoto paucis ejus primordia recenſere. Gelon ex Oecetore deſcendit. Fuerat Oecetor ex Inſula Telo, quæ Rhodus eſt, oriundus, qui dum à Lyndiis Gela conderetur, aſſumptus non eſt. Cujus tamen poſteri interiecto tempore Deo-

rum

rum Inferorum ſacerdotes in Gela perſeverarunt, oriundi à Teline ex propagine Oecctoris, qui eos, Gelois quibuſdam per ſeditionem in Mactorium urbem, quæ ſita erat ſupra Gelam, relegatis, nullis militum copiis, ſed ſolis Deorum inferorum ſacris fretus, in Gelam introduxit. Oecetor igitur Dinomenen habuit filium, qui etiam ex ſe quatuor genuit liberos hunc Gelonem, Hieronem, Polybulum, & Traſybulum. Scribunt Timæus, & Diodorus, quòd Gelon dum puer admodum eſſet, & in Ludi literarii veſtibulo libellum manu tenens ſederet, Lupus accedens de manu ejus rapuit. At Gelon magno clamore lupum inſecutus maximum tumultum excitavit. Quo ludi magiſter, ac pueri omnes, qui centum ferme erant, commoti, ut Geloni ſuppetias ferrent, arma, fuſteſque tumultuariè per domum in qua erant, quærebant. Sed inter quærendum domus ſolutis contignationibus corruit, ac pueros omnes cum præceptore peremit, ita Gelon à Lupo ſervatus eſt. Gelon itaque Dinomenis filius cum in bellis, quæ Hippocrates geſſerat, præclariſſimum nomen eſſet adeptus, demoriens Hippocrates ob res egregiè geſtas Euryclem, & Cleandrum filios ei reliquit. Is verò, cum Geloi à fide liberorum Hippocratis defeciſſent, ſub tutelæ prætextu eos prælio vicit, ac ſubiecit. Qua fortuna inſolens factus pupillis hæreditate fraudatis, ipſe Gelæ dominatum ſibi uſurpat. *A lupo ſervatur.* *Gelæ dominatum uſurpat.*

Subinde cum plerique Syracuſani patritii ordinis, qui Gamori dicebantur, ob contentionem magiſtratus à plebe, & ſervis, qui Cyllirii nominabantur, conjuratione facta, ejecti in Caſmenam urbem ſeceſſiſſent, Gelon in auxilium ab eis evocatus, magna militum manu coacta, eos ab urbe Caſmena, ſubacta plebe, & ſervis, Syracuſas reduxit. Quo facto adeo apud eos illius nomen invaluit, ut ei Syracuſas advenienti uno conſenſu univerſitas & urbem, & ſeipſam dederit. Atque hoc pacto Syracuſarum imperium primus omnium ſolus Gelon eſt adeptus, anno ſecundo ſeptuageſimæ ſecundæ Olympiadis Hybride Athenis regnante, ut Pauſanias lib. 6. teſtatur. Quo tempore Demaratam Theronis Agrigentinorum Tyranni filiam uxorem accepit. Gelon igitur occupata per hunc modum Syracuſarum urbe, Gelam, quam tenebat, Hjeroni fratri conceſſit, ipſe verò ad Syracuſas muniendas, atque ornandas totum ſe dedidit. Ideoque ea civitas ejus opera confeſtim excrevit, ac propagata eſt. Nam Camerina ab eo inſolenter deficiente deleta, Camerinæos Syracuſas adduxit, civeſque adſcripſit, Geloos quoque complures Syracuſas habitandam tranſmiſit, Megarenſes præterea, qui temere bellum contra eum moverant, ſuperatos, locupletiſſimos quoſque & belli authores Syracuſas traduxit, & civitate donavit. Plebem verò, quæ belli moti fuerat expers, Syracuſas in vinculis adductam per Siciliam vendidit. Euboeam etiam Siciliæ urbem, quæ ab eo fide, & officio receſſerat, armis evictam evertit, Straboni lib. 9. Cujus proceres (plebe pretio proſcripta) Syracuſas etiam incolere voluit. Jure etenim Megarenſium, & Euboicorum plebem à proceribus diviſit, quod plebis contubernium proceribus ſæpenumero ſciret eſſe perniciem. *Syracuſas ſibi ſubdit.* *Urbem munit, & ornat.*

Iis itaque rerum momentis, & Syracuſæ urbs maxima ſuſcepit incrementa, & Gelon nobilitatis, adminiſtrationis, authoritatiſque commendatione, præclariſſimi Tyranni tam domi, quam foris nomen eſt adeptus. Cujus res nihilo inferiores, quam Græcorum, & bello & pace vulgo cenſebantur, ferebanturque: & ſi diſciplinarum liberalium teſte Æliano fuerit expers, bellicæ verò virtutis imperii ſui prin- *Gelonis clarū nomen.*

principio non obſcura exempla edidit. Mortem namque Dorici Lacedęmonii à Carthaginenſibus, & Ægeſtanis interfecti, ut memoravimus ulturus, bellum contra Ægeſtanos movit, quibus cum Carthaginenſes auxilia miſiſſent, ipſe ſuppetias à Lacedęmoniis, & Athenienſibus poſtulavit. Quibus negatis, ſolus ipſe in aciem egreſſus longè ampliſſimam victoriam contra hoſtes obtinuit. At cum ſubinde Xerxes juncto pontibus Helleſponto Græciæ bellum inferret: ad Gelonem Lacedęmoniorum, & Athenienſium legati venere, auxilia adverſus Xerſem petituri, quibus quam turpem in ſimili cauſa repulſam ab eis paſſus fuiſſet, prius ad dedecus recenſens, ducentas mox triremes cum viginti armatorum milibus, equitum verò duobus, ſaggittariorum totidem, ferentariorum totidem, levis armaturæ totidem, & funditorum totidem, & rei frumentariæ quantum cunctis Græciæ copiis eſſet uſque ad debellationem neceſſarium ea lege pollicitus eſt, ut vel maritimo, vel terreſtri ipſe præeſſet exercitui. Quam conditionem legatis prædictis recuſantibus, dicentibuſque milite, non duce Græcos indigere: ſubridens Gelon: *Vos* (inquit) *Athenienſes, qui apud vos imperent, non qui pareant, habetis. Abite igitur hinc quam celerrimè, & veſtris urbibus hoc renuntiate: Ver ex anno illis exaruit.* Hoc adagio ſubindicans ſuum exercitum præcipuum eſſe Græciæ florem, ac robur. Qui ſi illis deeſſet, defuturum quod erat in primis habendum. Ver enim præſtantior eſt anni pars, quo ſublato ne annus quidem dici meretur, quo reſponſo nuntii accepto profecti ſunt. Sed Gelon advertens quod Xerxis victoria ſibi periculum foret, ubi primum cognovit, eum Helleſpontum tranſmiſiſſe, Cadmum Scythei filium Coum hominum juſtiſſimum cum tribus triremibus, multaque pecunia miſit ad obſervandum, quò caſura eſſet pugna: uti ſi Xerxes vinceret, ei pecuniam ſuo nomine traderet ſimul, & terram, ac eorum locorum aquam, quibus in partibus Græciæ ipſe imperabat; ſin Græci ſuperarent, pecuniam rurſus reportaret. Cadmus in Græciam profectus, ubi Græcos navali pugna ſuperiores, Xerxemque cum exercitu retroceſſiſſe cognovit; & ipſe cum omni pecunia, prout in mandatis habebat, in Siciliam ad Gelonem eſt reverſus.

Contra Ægeſtanos pugnat.

Athenienſibus ſuppetias offert contra Xerſem.

Dum hæc Syracuſis agerentur, Terillus Crinippi filius Himeræ Tyrannus, à Therone Aeneſidemi filio Agrigentinorum monarcha magno exercitu, magnaque vi ab Himera eiicitur, imperioque privatur. Erat Terillo Himeræo Anaxilas Zanclæ Tyrannus gener (ut diximus) Is ulciſcendi ſoceri gratia Hamilcari Hamonis filio Carthaginenſium duci ingenio, & militia præſtantiſſimo, qui à patre quidem Carthaginenſis, à matre verò Syracuſanus erat, ut Herodotus refert, filios duos obſides dat, quibus Phœnicum, Pœnorum, Iberorum, Ligiorum, Eliſicorum, Sardorum, & Cyniorum trecenta milia contra Theronem, & ad Terillo Himeræ imperium reſtituendum ab eo impetrat. Quo cognito Theron virium acceſſione etiam opus ſibi ratus Gelonem generum in ſocietatem evocat. Juncti itaque Theron, & Gelon Hamilcari obſiſtere pergunt. Hamilcar itaque cum copias omnes terreſtres, navaleſque coegiſſet, Carthagine cum ducentis longis navibus, ac trecentis onerariis ſolvens, dum Lybicum mare navigat, ſuborta ventorum, ac maris vi naves omnes, quibus equites, curruſque vehebantur, amiſit. Tandemque coactus procella Panormi portum applicuit. Tum victoriam in manu ſe habere confidens, poſtquam maris ſævitiem evaſiſſet. Verebatur etenim ante, ne maris tempeſtas claſ-

Terillus Himeræ Tyran.

Carthaginenſes evocat cõtra Theronem.

Hamilcar Carthaginẽſis.

claſſem omnem profus abſumens, hoſtes metu, & periculo liberaret.

Refotis igitur triduo militibus, inſtructiſque omnibus, quæ maris agitatio concuſſerat, contra Himeram terreſtri itinere copias eduxit, adnavigante littori, ac pariter aſſequente claſſe. Ubi ad Himeram ventum eſt, bina caſtra muniri jubet: altera maritimo, pedeſtri militi altera opportuna. Tum naves longas in terram ſubducit, eaſque foſſis, vallo, & ligneo muro circumagit. Caſtra pedeſtris exercitus in urbis conſpectum fronte adverſa conſtituit, munitione à navali vallo uſque ad colles urbi imminentes producta. Poſtremò parte ad occaſum ſpectante munitionibus undique circumobſeſſa, commeatum omnem ex onerariis in terram expoſuit. Expeditiones in diverſa ex Africa, & Sardinia ad frumenta, & commeatum exercitui deferenda dimittit. Rebus igitur ita paratis, ipſe cum robore exercitus, mox ad pomœria urbem invadit. Cui Himerenſium agmen tumultuarie ſtatim occurrit. Sed Hamilcar primo impetu eos per vim fudit, pluribuſque cæſis intra mœnia compulit. Atque ea clades ad frangendos Himerenſium animos, perterrendoſque non parum valitura videbatur: niſi Theron, qui præſidio civitatem tuebatur, cognita ſuorum trepidatione, hoſtiumque vim ſuſpiciens, extemplo ad Gelonem re per nuntios declarata, Syracuſis ſuppetias exciviſſet. Qua legatione accepta cum quinquaginta peditum, equitum verò quinque millibus, quos jam paratos, expeditoſque ad omnem eventum habebat, Gelon magnis intineribus Himeram advolavit. Cujus ſtatim præſentia, aſpectuque, turbati obſeſſorum animi reſedere, atque in melioris fortunæ ſpem eriguntur. Subinde caſtra juxta urbem locat, foſſaque atque aggere munit. Quo facto clam equites contra barbaros, quos jam tum commeatus, & rerum omnium inopia palantes, vagoſque per agros turmatim ſine ordine in prædam coegerat, nihil minus, quam Græcos metuentes, dimittit. Qui & in incautos hoſtes irruentes ex abrupto occupant, parvo negotio ſuperant, eorumque ſupra decem millia in urbem captivos ducunt. Hac prima parta victoria authoritatem, quam ſibi apud confœderatos pepererat, ſociorumque ſpem, quos jam ex pavore in contemptum, ludibriumque hoſtium converterat, fortunæque applauſum, quibus intrepidè, conſtantique pectore uti cœperat, proſequitur.

Himeram obſidet.

Theron Gelonis auxilium poſcit.

Gelon rem bè gerit.

Urbis igitur portas, quas præ metu inimicorum Theron munitionibus obſtraxerat, in hoſtium deſpectum aperiri, aliaſque præterea patefieri jubet, quibus ſibi ad emergentes occaſiones patere præſentanea commoditas videbatur. Et quo ſuis animos faceret, infirmiſſimum quemq; hoſtium, quos per excurſiones ceperat, præſertim ex auxiliariis, qui nigerrimi erant, nudatum in conſpectu ſuorum militum produxit: quorum vilitate & formæ, & ſtaturæ, ad audendum provocarentur. (4) Quod & evenit; nam conſerto poſtea prælio ſuorum fiducia potius, quam viribus, aut numero adiutus, Carthaginenſes ingenti, ac memorabili clade affectos egregiè docuit, quantum eſſet in inſolentia, vanoque numero ſpei ponendum. Neque enimvero eo facinore contentus, meditari inſuper ſecum, ac ſcrutari cępit, quibus artibus totam hoſtium legionem eludere, copiaſque omnes citra ſuum diſcrimen poſſet evertere.

Hoſtes fundit.

Primum itaque de navibus eorum incendio abſumendis tentatum conſilium fuit, quod ſi ſuccederet, & de hoſte actum fore, & rerum omnium ſummam, belliquę victoriam ſibi in manus dari certò confidebat.

Claſſem Pænorum evertere ſtatuit.

ſidebat. Nec voto eventus defuit. Siquidem ſtatuto die, quo Hamilcar Neptuno ſolennibus hoſtiis de more ſacrificaturus erat, ab equitibus Gelonis interceptus nuntius, qui ab Hamilcare ad Soloentinos literas ferebat, quibus eo die, quo ſcripſerat, equites præcinctos ei mitterent, ad Gelonem adducitur. Quo examinato, perceptoque hoſtium conſilio, ad ſtratagemma ſe parat. Cumque dies ſacrificii inſtaret, equites ex ſuis delectiſſimos, Soloentinorum ritum, habitumque mentitos noctu ad circumvicina loca luſtranda emittit. Quibus injunxit, ut illuceſcente ad navales hoſtium ſtationes accedant, ſeq; à Soloentinis ſociis miſſos ſimulent, ac ſimul ut intra vallum amicè fuerint admiſſi, facto impetu Hamilcarem obtruncent, mox ad naves incedendas irrumpant. Cum his etiam exploratores in prejacentes colles dimittit, ut cum primum intra hoſtium ſepta receptos ſuos equites conſpexiſſent, ſignum extollerent, quo equites in caſtra hoſtium ingreſſos certum ſibi ſit indicium.

Igitur illuceſcente, ubi omnem exercitum paravit, è ſpecula ſignum à ſuis, quos miſerat, præſtolabatur. Equites ſub ſolis exortum ad navales Carthaginenſium copias, ut juſſum fuerat, pervecti, ſtatim intra munitiones à cuſtodibus, nil doli veritis, pro Soloentinis ſociis recipiuntur. Ingreſſi repentè in Hamilcarem ſacrificantem irruunt, inter ſacra deprehenſum trucidant, poſtea ex aris in naves ignem iniiciunt, ac omnia hoſtium cæde, & incendio fœdant. Exploratores, uti erant inſtructi eodem tempore patratæ rei Geloni ſignum extollunt. Gelon conſpecto ſigno confeſtim cum omni, quam paraverat militum acie, contra Carthaginenſes citato agmine progreditur, Phenicum duces, ubi Siculos ad ſe venire vident, ſtatim arma expediunt, & contra occurrere pergunt, collatiſque ſignis pugnam ineunt, tela vltro citroque pervolant, vir virum invadit, utrinque clamore ſublato, utraque alterno impetu in alteram concurrit acies, ubique cæſorum clades editur, diuque anceps cruentumque bellum geritur. Interea flamma in naves latè, atque in altum correpta multa cum ſumi nebula erumpens Carthaginenſium omnium oculos à pugna ad id, quod eſſet mali, incertique periculi imminens, convertit. Qui ubi Hamilcarem cæſum, naveſque incenſas accipiunt, adverſo, & inopinato gemino caſu perculſi, animo, ac viribus concidunt, & in fugam vertuntur.

Hamilcar confoditur, naves incedentur.

Græci audentiores facti ad certam victoriam læto clamore in barbaros incumbunt, fugienteſque inſequuntur. Et quoniam Gelonis edicto cautum erat, ne hoſtium quiſpiam vivus caperetur, fœda, ac miſerabilis barbarorum ſtrages committitur. Nec antè finis fuit cædendi, quàm centum, & quinquaginta hoſtium milia occubuerunt. Reliqua omnis Carthaginenſium multitudo in locum quendam natura munitum ſeſe recipiens, non ſpe victoriæ, ſed in mortis vltionem confertis animis, collectiſque viribus acerrimè reſiſtunt. Sed ubi loco arido ſe concluſos vident, cogente ſiti ad deditionem compelluntur. Herodotus diverſum quid à Diodoro de morte Hamilcaris tradit. Refert nanque non dolo à Syracuſanis enecatum, ſed in acie victum à conſpectu ablatum, nec uſquam deinde gentium aut vivum, aut mortuum amplius comparuiſſe. Carthaginenſes verò tradunt, quod dum barbari cum Græcis hoc prælio ab aurora ad crepuſculum dimicant, Hamilcar in caſtris ſacrificans cum ſuos in fugam verſos vidit, ſeſe in ingentem pyram vivus iniecerit, atque ita com-

Siculorum, & Gelonis Victoria.

Mors Amilcaris variè narratur.

combuſtus è conſpectu omnium ſublatus evanuerit. Porrò interea dum pugnant acies, & Carthaginenſium omnia igni corripiuntur: hoſteſque jam ferè omnes vel cæſi, vel capti in Gelonis poteſtatem veniunt, naves etiam flammis cunctæ periere, exceptis viginti tantùm, quæ incendium remis evaſerant. Quæ etiam cum ex fuſa acie barbarorũ pluribus,quot quæq; capere potuit, perfugis repletæ, verſus patriam vela verterent, in medio pelagi atroci maris tempeſtate ſuborta, omnes in tranſverſum abiere. Ex quo naufragio vix parva Scapha erepti Carthaginem nuntii tantæ cladis pervenere.

Pœnorum naves conſumptæ.

Gelon tam inſigni victoria, ceſis videlicet unica acie tot hoſtium milibus, quot nunquam antea Imperatori cuique obtigiſſe memoriæ eſt proditum, præclariſſimi ducis non modò apud Siculos, verum etiam apud omnes Græcorum, & barbarorum nationes nomen eſt adeptus. Carthaginenſes verò ſuorum audita tam ingenti ſtrage adeo cõſternantur animis, ut nil tutum, firmumque ſibi ſupereſſe amplius rati noctes, dieſque vigiliis domi incumberent, cuſtodirent, ac ſi Gelon cum victore ſuo exercitu victor & ipſe jamiam pro mœnibus expectandus eſſet. Luctu præterea publico Carthago ob interfectorum multitudinem innumeram repletur. Gelon itaque victor ſoluta acie ad victoriæ munia animum intendit, ac tum equites ſuos, tum milites omnes eoſque præſertim, qui Hamilcarem occiderant, ampliſſimis proſecutus eſt muneribus, unicuique pro meritis præmia diſtribuens. Hoſtium ſelecta ſpolia plura Himeræ templis, pleraque Syracuſanis Deorũ ædibus ſervari ſtatuit. Reliquum omne cum captivorum turba computatũ in militum ſociorum capita pro cujuſque ordine militiæ militibus, Centurionibuſque diviſit. Siciliæ urbes captivos, quos ſibi ſors dedidit, in publica, R. P. opera dedicarunt. Agragantini, quibus tanta deditiorum multitudo obtigerat, ut pleriſque quingenti annumerarentur, in urbis ædificationem, agrorumque cultus ſervorum more impenderunt. Quorum ingens numerus in publicum relatus ad lapides cædendos eſt addictus. Ex quibus non Deorum modò maxima extruxere templa, verum & aquæductus ſpectabilis ſtructuræ, mirique artificii defoderunt à Phæace viro Agrigentino, qui operibus ſtruendis præerat, Phæacos appellatos (5). Conſtruxerunt etiam eiſdem operis Acragantini Geloni, & ob memoriam tam inſignis victoriæ, & ob delitias piſcinam ambitus ſtadiorum ſeptem; de qua ſatis in Agrigento diximus.

Gelonis nomẽ celebre.

Hoſtium ſpoliis ſuos ditat.

Captivorum ingens numerus.

Gelon poſt hæc dimiſſis auxiliis, & Anaxila Meſſanenſium Tyranno in libertatem aſſerto, firmataque cum eo pace, Syracuſas revertitur tam numeroſo captivorum comitatu, ut omnis Africa in Sicilia hoc prælio capta videretur. Ibi verò Sicularum urbium, Tyrannorumque, qui Carthaginenſium partes tutando eum offenderant, legati confeſtim adſunt: detrectatique à ſe imperii veniam petunt, & quam facilimè impetrant. Pœni quoque veriti, ne Gelon elatus tam ingenti victoria Carthaginem cum exercitu traiiceret, legatos cum rerum componendarum poteſtate ad eum mittunt: quos adeo benignè recepit, ut ſtatim conditiones has illis propoſuerit: ut abſtinerent deinceps Saturno filios inpuberes ſacrificare, ut duo argenti talentorum milia ad belli ſumptus reſarciendos ſolverent, & ut duas præterea naves ei inſtructas in fœderis ſignum mittant: quibus receptis, nihil ipſis deterius metuendum foret. Pœni præter ſpem impetrata pace conditiones alacriter acceptant: coronamque auri centum talentorum pondo Da-

Anaxilas liber dimiſſus.

Pœnorum munera ad Damaratam.

maratæ Gelonis conjugi, quæ ad pacem impetrandam ſatis eis patrocinata fuerat, ultro offerunt (6). Numiſma deinde in aurum affabrè factum ab ejus nomine Damarateum eſt appellatum decem drachmas Atticas continens, quod Siculi *Pentecontalitro*, hoc eſt quinquaginta libras dixerunt.

Gelon a Siculis Rex ſalutatus. At Gelon jam tempus eſſe poſt impetratam bellis pacem ratus, quo ſuorum in ſe animos experiretur, comitia edicit, mandans omnibus, ut armis accincti, loricatique Syracuſas adveniant, ipſe verò non ſolùm inermis, ſed nudo etiam corpore, ſolo tectus pallio in concionem prodiit. Ubi tum vitam ſuam percenſere omnem, ſingulaſque res à ſe fortiter geſtas, beneficiaque erga Syracuſanos accurata oratione, cauſis unicuique adiectis, declarare cœpit. Cumque ſingula, quæq;, nutibus ſignisque apertiſſimis tota concio primum comprobaſſet, mox ſublata omnium voce læto clamore benefactor, liberator patriæ, & Rex Regum conſalutatur, principatuſque publico conſenſu totius Siciliæ ultro ei oblatus. Quem tamen ille ſumma alacritate vultus conſtantiaque recuſavit. Cujus facti magnitudine in vehementiorem amorem pertracti Siculi, quippe quòd eum populi, quàm monarchiæ ſtudioſiorem cognoſcerent, hujus reſponſi monumentum, e-

Gelonis Statua recto in Junonis templo, quod Syracuſis erat, Gelonis nudo ſimulacro, adiecta illi inſcriptione quoque paraphraſtica, factum egregium declarante, in perpetuum ſui animi teſtimonium depoſuerunt. Tum verò concione ſoluta, rebuſque compoſitis è ſoro diſceſſit; reique ad æquum bonumque adminiſtrandæ multo quam ante addictior, & modeſtia ſingulari, clementique natura gratiam ſibi omnium, ac ſingulorum etiam voluntates, privata ſibi munificentia devincire magis, magiſque in dies conſtituit, quo vel publica authoritate, vel privata gratia unumquemque ſibi obnoxium redderet. Nec ſacrarum etiam rerum curam neglexit. Syracuſis nanque ſubinde Cereris, & Proſerpinæ templa ex manubiis, ſpoliiſque hoſtium ſummo ornatu, miroque artificio, ingenti impenſa conſtruxit. Tripodem quoque ſexdecim auri talentorum pondo mira arte elaboratum Delphos miſit, Apollinique pro gratia numinis, & bene geſtæ rei referenda corroborandaque conſecravit. In Enna præterea Cereri templum ædificare cœpit: quod tamen extremo fato præpeditus, reliquit imperfectum (7). Scribit etiam Duris Samius poſt hanc victoriam apud Civitatem Hipponium locum ædificaſſe delitiis inſignem, luco, & pulchritudine celebrem, ac aquis irriguum, quem Cornucopiam appellavit (8).

Sacras res curat, Templa extruit.

Jamque ſub optimo Principe pace parta, vectigalibus, rebuſque ad uſum neceſſariis Syracuſani operam dabant; quo tempore Athenis Demoſthenes Præfectus, & Romæ Fabius, & L. Mamercus Conſulatum gerebant, Pax magna Sicilia habuit; ſtatu communi legibus

Pax magna opera Gelonis. optimis compoſito, comparataque Gelonis ſtudio vectigalium, rerumque ad uſum omnium ſingulis quibuſq; civitatibus copia. Sed ne Syracuſani deſidia otioque marceſcerent, eos tanquam in expeditionem ad agros colendos, & ſylvas cædendas ducere ſolebat, eaque arte munus plantationis longo bello ſepultum, velut ab inferis revocavit: tum agros & cultu feraciores, & ornatu jucundiores reddidit. Septem tandem annis rectè gubernato Imperio, gravi morbo corre-

Moritur Gelon. ptus, cum jam de ſalute deſperaret, nec hæredem relinqueret, Hieroni fratri natu majori Regnum Syracuſanum conſenſu populi tradidit; volenſque plebis ſcita inviolata ſuo exemplo ſervari in ſuo corpore

pore ſepeliendo, acerrimo interdicto ſtatuit, ne lex de ſumptuum in pompas imminutione edita violaretur. Ita tandem quietè diſceſſit, & in uxoris agrum, loco novem turrium à rè ipſa appellato, ducentis ſtadiis ab urbe diſſito elatus tumulatuſque eſt. Ubi pauco pòſt tempore Syracuſanus populus ſepulchrum inſigne, mirificique operis extruxit, titulíſque heroicis Gelonis nomen extulit (9). Quod poſtea *Ejus ſepulchrū.* Carthaginenſes, cum contra Syracuſas maxima vi veniſſent, diruerunt. Agathocles etiam Syracuſarum Rex livore & ipſe demortui Gelonis ductus, turres ipſas ſolo æquavit. Sed nec publica Carthaginentium ſimultas, neque privata Agathoclis pravitas, neque temporum vis Gelonis unquam potuerunt apud Syracuſanos memoriam, gloriamque delere. Mirum quoddam de Pyrrho Gelonis cane Philiſtus, & Plinius *Canis facinus.* memoriæ tradiderunt. Ubi etenim canis demortuum vidit Gelonem, & in flammas vetuſto more iniectum conſpexit, ſeipſum in Regis rogum iniecit, & ſecum exarſit.

1. DE Phalaris ætate eruditos inter viros antiqua eſt controverſia. Euſebium ſecutus Fazellus anno 4550. & Olympiade XXXII. ſtatuit. Suidas verò Olymp. LIV. tyrannidis ejus initia conſignat. Dodvellus Anglus noviſſimè eleganti diſſertatione Cyro Perſis regnante illum floruiſſe oſtendit, & ſub fine Olympiadis LXI. habenas arripuiſſe, occiſumque poſt annos XXVIII. Olympiade LXVIII. efficaciſſime probat. Euſebius ipſe Steſichori celebris Poetæ Himerenſis mortem LV. Olympiade, initi a Cyro regni primo conſtituit; coævus aliunde Phalaridi Steſichorus paſſim creditur ex celebri Apologo civibus ſuis recitato; Quo igitur pacto ante annos fermè centum Agrigenti tyrannidem Phalaris invaſit?

2. Annos XXVIII. habenas regni apud Agrigentum Phalaris tenuit ex laudato Dodvello, ejuſque idcirco mora in Olympiadem LXVIII. incidit. Phalaris ætate Pythagoras in Siciliam venit.

3. Theron LXXIII. Olympiade regnum ſuſcepiſſe dicitur, quo tempore Gelon Syracuſis tyrannidem exercebat, de quo inferius.

4. Unde hæc hauſerit Fazellus de nudatis ab Gelone in ſuorum conſpectu Charthaginenſibus, non habeo; quum neque Diodorus, aut Herodotus recenſeant.

5. Hæc Agrigenti urbis publica monumenta alibi dec. p. l. 6. expendimus in Notis, ubi Joſephi Pancratii Chorographiam laudavimus.

6. Julius Pollux Gelonis tempore, ait Aureos prodiiſſe ſtacteres didrachos ex auro damaratico. Cur autem ita fuerint dicti expendit: quod ſcilicet Damarata Gelonis in Sicilia uxor, ipſo nummis indigente, utpote bello ad Libyas implicato, fœminas aurum, & ornatum ſuum conferre ſuaſerit, quo conflato nummos inde, & Stacteres aureos procuderit, Marito ſubſidia præſtituros. Quæ ſi vera ſunt illud Patini falſitatis arguunt dicentis Numiſmata aurea Philippi Macedonum Regis ævo primum viſa. Gelon enim longe ante Philippum floruit. Apud Diodorum cetero Damaratiani auri vocabulum ea occaſione ortum habuiſſe dicitur, quam noſter expendit Fazellus.

7. Legunt alii apud priſcum Hiſtoricum: *In Ætna*. Sed eror in eorum fortaſſe exemplaria irrepſit. Verbo Diodori lib. 11. ſunt. *Poſt hæc Cereri etiam in Enna fanum ædificare ſtatuit; jamque Dea in ſacrarium collocata erat, ſed a fato interpellatus imperfectum illud reliquit*. Videſis Cluverius lib. 2. cap. 7.

8. Urbs Hipponium in Sicilia nulli alii memoratur, niſi Duri Samio apud Athenæum lib. 10. Hippanam vero apud Polybium invenio, quæ a Dio-

doro

Digitized by Google

doro Sitana ex errore appellatur. Hippanam porro apud Bibonam nonnulli ſtatuunt, locique amęnitas eidem congruit. Neque incongruum credit Bonannus, quod ibi Gelon locum ædificarit, Amaltheæ Cornu appellatum, quem in deliciis haberet; fuit enim in hac Siciliæ ora poſt debbellatos ad *Himeram* Carthagìnenſes. *Hipponium* Mirabella locum dicit deliciarum prope *Syracuſas*: vide quæ diximus ad lib. 10. dec. 1. cap. ultimo num. 10.

9. Stadia ducenta, xxv. miliaria conficiunt; error hioc in Diodori textum irrepſit, unde Fazellus excripſit. Nec enim loco adeo ab urbe diſſito Himilco Pęnus caſtra metatus fuiſſet ad eam oppugnandam; *Murum quippe caſtris obducere feſtinans*, uti Diodorus ait, *cuncta ſepulchra, quæ juxta erant, interque cętera Gelonis uxoriſque ejus monumentum mirifica quadam opera ſumptuque extructum ſubruit. Tria inſuper Caſtella unum ad Plemmyrium, alterum circa medium portum, ultimum prope Jovis templum conſtruxit.* Ut porro Caſtella hæc paucis ab urbe ſtadiis ſita, non ſecus & caſtra ab *Himilcone* conſtituta, quibus firmandis Gelonis ſepulchrum ſolo æquandum cenſuit. *Idem* etiam Diodoros, univerſam Syracuſanam turbam funus Gelonis comitatam fuiſſe ad Sepulturæ locum ſcribit, hæc igitur non longe ab urbe fuit, in Damarathæ uxoris agro inter novem turres operum mole ſtupendas, qui minime ducentis, ſed duodecim circiter ſtadiis, uti legendum putat & optimè Bonanus, ab Syracuſis diſtabat. *Sepulto* denique *magnifica monumentum ſtructura* ſtatim, neutiquam vero pauco poſt tempore, *populus erexit*. Id enim Diodorus non dixit.

DE HIERONE SENIORI, ET TRASIBULO

CAPUT QUARTUM.

Hjeron Geloni fratri abſimilis.

HIERON poſt Gelonis mortem reliquorum fratrum maximus natu Syracuſarum Rex ſufficitur, defuncto fratri ſupra modum abſimilis, quippe qui in inexhauſtam, inexplebilemque auritiam, immanitatemque extremè proclivis ab omni honeſto egregioque facinore prorſus fuerit alienus. Firmato namque ſibi principatu, cum Polyzelum fratrem natu minorem ſummæ apud Syracuſanos exiſtimationis eſſe conſpiceret, veritus ne ad ſuam dignitatem minuendam, imperiumque labefactandum tandem evaderet, inſidiis illum occupare ſtatuit, Primùm igitur milites conductitios, exuleſque quamplurimos ad corporis ſui, urbiſque cuſtodiam deligit; dein Sybaritanis, qui à Crotoniatis obſidebantur, implorata auxilia miſſurus, delectæ militum manui Polyzelum fratrem ex conſilio præficit, ut inter præliandum à Crotoniatis abſumeretur; Polyzelus dolos fratris provida ſuſpicione ſubodoratus, Præfecturam renuit, atque ad Theronem Acragantinorum Tyrannum, cujus poſt mortem Gelonis Damaratam filiam uxorem duxerat, ſalutem ſibi fuga quæſivit. Sed Hjeron fugientem inſequitur, atque ad Polyzelum perdendum ſe comparat. Quo facto iratus Theron, indignatuſque contra Hjeronem expeditionem educit. Quod bellum paulo poſt Simonides lyricus poeta Hjeronis ſtudioſiſſimus diremit: tantęque inter eos concordiæ fuit author, ut affinitate quoque arctius jungerentur, Hjerone Theronis ſororem in uxorem accipiente.

Polyzelú fratrem minoré inſidiis petit.

Traſideus Himera Tyrannus.

Interea Thraſideus Theronis filius, qui à patre poſt Carthaginenſium inſignem cladem Himerenſium Præfectus conſtitutus fuerat, cum licentioſius adverſus eos ſe gereret, civium à ſe animos avertit. Qui cum querelas contra filium apud Theronem proponere non auderent, ad Hjeronem, quem contra Theronem exercitum inſtruxiſſe ſciebant, legatos mittunt, Thraſidei iniurias enarrant, conqueruntur, auxilium expoſcunt, urbem ſimul, & ſe omnes cum eo contra Theronem profecturos offerunt. Hjeron occaſionem nactus, qua Theroni ſe gratificaturum, atque ita Polyzelum ſibi deditum iri arbitrabatur, Himerenſes, eorumque conſilia ei clam prodidit. Ille diligenti prius inquiſitione facta, ubi ea omnia vera eſſe comperit, Hjeroni ſe primum, & Polyzelum fratrem conciliat, deinde Himerenſes. qui ad eo deſcriverant, quorum maxima erat multitudo, comprehenſos uno die omnes necari jubet. Qua laniena Himera urbs cultoribus remanſit exhauſta. Sed Theron Dores, aliaſque ex Græcis gentes, quotquot habere potuit colonos eò deductos cives adſcripſit. Qui omnes prudenter Remp. adminiſtrantes ad octo & quinquaginta annos fœlici propagine profecere, quouſque urbs à Carthaginenſibus poſtmodum funditus eſt deleta. Et ex eo tempore ad Diodori uſque tempora colonis vacua, atque deſerta perſtitit.

Himerenſes prodit Heron.

Novi Himera Coloni Dores.

Poſt morbum vitam, moreſque mutat.

Poſt hæc Hjeron cum natura rudis, & ad eruditionem omnino Ineptus, atque ab omni humanitate alienus ſemper fuiſſet, in morbum calcularem, uti Pindarus in Pythiorum ode 3. ſcribit, incidens, vitam moreſque cum valetudine mutavit, tandemque longè omnium doctiſſimus evaſit. Enimvero tempus, quod morbus ei diuturnus ſuppeditavit, in audiendis ſummorum hominum ſermonibus conſumpſit: fa-

ctuſque

Digitized by Google

Eiuſque firmior aſſiduè erat cum Simonide Cæo, Pindaro Thebano, & Bacchylide Julite; per quos plurium rerum cognitionem adeptus, eſt, tantoque poſtea ad liberalitatem fuit proclivior, quanto antea perditioris erat avaritiæ: promptiorque fuit deinceps ad largiendum, quam petentes ad accipiendum. Animum denique verè illuſtrem, ac magnificum induit, unde cum germanis fratribus Traſibulo, & Polyzelo poſtmodum leniter, & amicè vixit, à quibus etiam plurimum diligebatur. Cum Catana, Naxo, & Leontino etiam urbibus potitur, minuſque in Catanæis, & Naxiis confideret: Cataneos & Naxios pulſos in Leontinos tranſcripſit; atque ex Peloponneſo, & Syracuſis colonos ad decem milia ducens Catanam inhabitare juſſit, quò ſibi ad neceſſitates imminentes ſubſidia quam paratiſſima, ac fidiſſima haberet. Cæterum cum non Tyrannus Catanæ urbis, neque Rex, ſed veluti conditor & haberi, & nominari vellet, abolito Catanæ nomine Ætnam eam urbem, & ſe Ætnæum appellari juſſit, legeſque tum Laconicas, tum Doricas incolis præſcripſit: quæ ſanè erant præſtantiſſimæ. (1)

Potitur Catana, & aliis civitatibus.

Cumanis auxilia mittit.

Poſt hæc Athenis Acateſtoride, Romæ Cæſone Fabio, & T. Virginio Coſſ. cum Tyrrheni Phænicum coloni adverſus Cumanos Italiæ populos bellum moviſſent, Cumani per legatos Hieronem ad ſuppetias ſolicitant, quibus annuens confeſtim claſſem parat, eamque contra hoſtes mittit; conſertoque certamine Syracuſani ſuperiores fiunt. Nam Tyrrhenis partim cæſis juxta Himeram fl., partim fuſis, ſubmerſiſque Siculi Cumanos ab hoſtibus eripiunt. Xerxes ſubinde cum Græciam magno exercitu invadere vellet, legatos ad Carthaginenſes mittit, ut in Siciliam navigantem Græcorum claſſem vel ſubverterent, vel incenderent, veliſque dein in Peloponneſum directis, ei præſtò adeſſent. Sed cum eodem tempore ab Athenienſibus ad Hjeronem legati affuiſſent, ſubſidia patentes, Hjeron illis obſecutus ducentas naves, equitum duo milia, peditum decem in Græcorum auxilium præbuit. Eaque Hjeronis claſſis Carthaginenſes, qui jam in Siciliam irruerant, adorta debellavit. Quo memorabili facinore Siculos ſimul, & Græcos ab imminenti clade liberavit. Scribit Epicharmus, quod cum Anaxilas Rheginorum, & Meſſanenſium Tyrannus Locros Epizephyrios funditus perdere tentaret, Hieron illum ſola interminatione compeſcuit.

Et Athenienſibus contra Xerxem.

Theron moritur.

Poſt hæc Romæ T. Menio, & C. Horatio Pulchro Coſſ. Theron Agragantinorum Tyrannus cum ſexdecim regnaſſet annos, morbo correptus interiit. Cujus funus ob ſingularem ejus imperandi modeſtiam, & quòd bonis artibus in conciliandis ſibi civium animis vitam omnem aſſumpſerat, heroicis laudibus Agrigentini ſunt proſecuti. Ei in imperio Traſideus filius ſucceſſit: qui ſicuti vivente patre infirmior adhuc, inaudita, odioſaque ſævitia flagraverat, ita poſtmodum illo mortuo viribus, & imperio immanitatem copulavit, in civeſque ſuos ſævire cœpit. Quo brevi factum eſt, ut cum crudelitate immodica ſuorum in ſe civium voluntates irritaret, nihil fidum ſibi, tutumque uſquam ratus, non aliter inter ſuos, atque inter hoſtes verſaretur: adeo omnia circumſpiciebat, adeo quemq; pro ſuſpecto ducebat, ut ſeipſum tandem propè timere cœperit. Hac igitur deſperatione potius, quam conſilio, coactis Agrigentinorum, & Himerenſium viginti peditum, equitumque milibus, ſola dominandi cauſa, contra Syracuſanos, Hjeronemque eorum Regem movit. Hjeron delecto,

Traſideus illi ſuccedit.

Agrigentinos fudit Hjeron.

ĉto, inſtructoque non impari exercitu contra occurrit, conſertoque prælio utrinque complures, Græcis cum Græcis acie dimicantibus, ea pugna ceciderunt. Superiores tamen Syracuſani fuerunt: quorum ad duo milia, Agrigentinorum ad quatuor ſunt cæſa. Traſideus hoc prælio fractus animo, rebuſque ſuis diffidens, imperio ſeſe abdicans ad Megarenſes cognomento Myſeos ſeceſſit: ubi mortem manu ſibi ipſe conſcivit. Agrigentini miſſis ad Hjeronem legatis pacem impetrarunt, & libertatem adepti populari ſtatu civitatem deinceps compoſuerunt.

Hjeron non ita pridem quam moreretur. L. Pinario Mamercino, & P. Furio Philo Romæ Coſſ. Anaxilæ filios jam adultos amice ad ſe Syracuſas acceſſit, quibus primum inſigni munerum pretio donatis, & quam benigniſſimè exceptis, beneficia a Gelone ejus germano fratre Syracuſarum principe Anaxilæ eorum genitori poſt cladem apud Himeram receptam, collata recenſuit; conſuluitque poſtea, ut Meſſanam regreſſi à Mycitho imperii adminiſtrati rationem expoſcerent. Meſſanam illi reverſi Regni Jura, ut Hjeron ſuaſerat, à Mycitho expetunt, quod ille nulla deliberationis poſtulata mora ſtatim fecit, regnumque illis reſignavit, prout in Meſſanæ deſcriptione. Illi verò paulo poſt Romæ Q. Servilio, & Sp. Poſthumio Albo Coſſ. è tutelari poteſtate imperio ſuſcepto in libidinem procliviores, cum Meſſanam, & Rhegium licentiori dominio adminiſtrarent, ac inſolentius in cives ſævirent, uterque Principatu a populo abdicatur; eoque pacto Meſſanenſibus libertate adeptis, magna & opum, & imperii in urbe poſtea facta eſt acceſſio. Hjeron poſt hæc Syracuſanorũ (qua cauſa incertum) in ſe infeſtiſſimum odium provocavit. Quocirca cum plebis ſeditiones, clandeſtinaſque conſpirationes admodum timeret, auricularios, & deductores inſtituit viros ſui ſtudioſiſſimos, quos ubicumque civium erat congregatio, ſubmittebat, ut quid Syracuſani loquerentur, perſentiſcerent, & ſibi referrent: eoque modo metum in Syracuſanos incuſſit, ne aliquid contra ipſum machinarentur. Cumq; aliquot è familiaribus ſuſpectos haberet, eos in publico foro occidit.

Anaxilæ filios benigne excipit.

Civium odiũ incurrit.

Refert Xenophon cum Simonides Hjeroni aliquando edixiſſet: Potiorem eſſe Regum, quam privatorum vitam, utpote qui ſingulis ſeſe expleant voluptatibus, reſpondiſſe eum in contrariam ſententiam. Quippe quod Veneris, cujus in privata vita ſpontaneus uſus mutuum amorem, & non coactum parit, ut Tyrannis, qui coacto, aut empto potiuntur, delectatio potior ſit. In cibis vero, Regibus nullum unquam famis condimentum epulas præ multitudine patinarum commendet; & idcirco ſemper acidis veſcuntur. In vita vero privata adeſt fames, & ob id major ciborum delectatio. Addidit præterea multa incommoda, Regni appetentiam, aliorum invidiam, ſuſpitionem, metum, angorem, & his ſimilia, quibus Tyranni fere ſemper hinc inde affligantur. Scribit Cicero in primo de Natura Deorum, quod cum Hjero quæſiviſſet a Simonide, quid aut qualis eſſet Deus, deliberandi ſibi unum diem ille poſtulavit; Cum idem ex eo poſtridie quæreret; biduum petivit; Cum ſæpius duplicaret numerum, admiratus Hjeron queſivit: Cur ita faceret; quia, inquit, quanto diutius conſidero, tanto ſpecies mihi videtur obſcurior. (a)

Fuit Hjeron pugil etiam ſtrenuus; terq; in olympicis certaminibus vicit, ſemel quadrigis, bis celete. At poſt alteram celete partam in olympiis victoriam Syracuſas regreſſus, Catanam poſtea petiit: ubi morbo correptus, poſtquam undecim regnavit annos, menſeſque octo

Victor fuit in Olympicis.

fato functus eſt: voto Jovi facto, regnique ſucceſſore Traſibulo fratre prius ab eo nominato. Reliquit autem unicum filium, cui Dinomeni erat nomen. Honores funeris non alios nactus eſt, quam ſi ipſius Catanæ urbis fuiſſet Conditor. Mortuo patre Dinomenes filius, quæ Jovi Olympio, voverat ſtatim ei perſolvit, conteſtata hoc Regio epigrammate græcis literis inſcripto: *O Jupiter Olympie, cum Hiero tuum venerandum viciſſet certamen quadrigis ſemel, unico equo bis, hæc tibi largitus eſt dona. Filius autem dicavit Dinomenes Syracuſani patris monumentum*. Syracuſani quoque Hjeronis Traſibulum, uti ultima voluntate decreverat, fratrem Regem ſalutant.

Catanæ moritur, Traſibulo in regnum ſuffecto.

Is principatus initio Hjeronem improbitatis, & pravitatis ſævitia ſuperavit. Nam pleroſque cives non ſolùm iniuriis affecit, ſed etiam crudeliter necavit. Nonnullos proſcriptis bonis innoxios in exilium egit; cumque in dies magis, magiſque inviſus populo redderetur, ſibi timens, collectum exterorum exercitum ad ſui tutelam apud ſe tenuit. Sed cum nullus eſſet extremæ crudelitati modus, in deſperationem acti Syracuſani eum regno pellere, ſeq; in libertatem vindicare electis ad hoc ducibus ſtatuunt. Traſibulus verò conſpirationem civium cum reſciſſet; mutato conſilio placidis verbis ſeditionem frænare nititur. At ubi fruſtra civium animos flectere conatur, confeſtim ex Ætna viros, quos ibi colonos Hjeron inſtituerat, aliorumque oppidorum ſocios ad ſe evocat: atque ex iis, & mercenariis militibus exercitum ad quindecim hominum milia cogit. Syracuſani igitur pro libertate vindicanda ſe invicem exhortantes dato à ducibus ſigno, contra Tyrannum inſurgunt, atque eam urbis partem, quæ Tycha dicitur, occupant: deinde legatos Gelam, Agrigentum, Selinuntem, Himeram, & ad mediterraneas etiam Siculorum civitates mittunt, auxilia ad Syracuſas tyrannide liberandas petentes. Traſibulus interea multorum militum manu, Acradinam, & Naxon duas urbis partes muniens, eruptionibus aſſiduis Syracuſanos laceſſebat, illiſque terrorem incutiebat.

Qui male adminiſtrat.

Bellum inter Traſibulum & Syracuſanos.

Dum Syracuſis hæc ancipiti Marte geruntur, ex Gelois, Agrigentinis, Selinuntinis, Himerenſibus & Siculis pedeſtrium, atque equeſtrium præſidia, & claſſis etiam ſatis ad bellum inſtructa Syracuſas adveniunt. Syracuſani auxiliis receptis, claſſe, & exercitu ſatis expedito freti, Traſibulo terra, marique pugnandi copiam faciunt, eum ad bellum provocant, atque urgent. Quibus ille conſpectis, claſſe ſua, quam paratam habebat, confeſtim magna vi Syracuſanorum claſſem adoritur. Sed conſerto prælio cum plures triremes amiſiſſet, in Inſulam confugiens peditatu ex Acradina educto contra Syracuſanos ſub mœnibus urbis pugnam iniit: ubi magna ſuorum clade recepta, intra Acradinam vi compellitur. Poſtremò deſperatis rebus legatos ad Syracuſanos mittit, cum quibus (ut po[illegible]t) rebus compoſitis, Syracuſis libertatem reſtituit. Atque fœdè dec[illegible]n poſtquã rerum potitus eſt menſes, inde diſcedens Locros abiit, ubi cum regnum bonis artibus à Gelone partum, firmatumque ſua ſevitia, vecordiaque ante annum amiſiſſet, privatam apud Locros vitam deinceps ad mortem uſque peregit.

Traſibulum fudant Syracuſani.

Syracuſani verò nova lætitia perfuſi Jovi Liberatori ſtatuã Coloſſeam erigunt: ſacraque Libertati quotannis libamina, in quibus Diis ſuis quingentos quadraginta boves in civium convivium immolabant, perſolvunt. Magiſtratus vetuſtis, & indigenis civibus diſtribuunt,

novi-

novitiis prorſus excluſis, quos Gelon ad decem milia civitate donaverat: quorum ad id uſque tempus ſeptem milia ſupererant: ſive quia eos tanto honore indignos cenſebant; ſive quoniam tyrannidi jamdiu aſſueti facilè, ſi magiſtratu potirentur, ad eandem aſpirare potuiſſent, mercenarios quoque milites liberè Syracuſis abire permittunt. Reliquas poſtea Siciliæ urbes tyrannide, & præſidiis occupatas in libertatem revocant, ſtatumque popularem ubique conſtituunt. Quo per ſexaginta propè annos ad Dionyſii uſque dominatum placidè uſi, ſolo fœcundo ubertatem ſuggerente, & opibus, & imperio maxime profecere. Sed tandem fœlicitas hæc in licentiam, ſuperbiamque converſa, ſeditionum cauſas illis ſuppeditavit, quæ Syracuſis primum emerſerunt. Enimvero cum Gelonis coloni, & quos civitate donaverat, magiſtratu ſe abdicatos viderent, iniquo id ferentes animo, inito inter ſe conſilio in Syracuſanos conſpirant, atque armis inſtructi in ſeditionem vertuntur: duaſque urbis partes maximo muro cinctas Acradinam ſcilicet, & Inſulam invadunt, parvoque negotio occupant. Syracuſani in tam repentino tumultu conſternati reliquam urbis partem, quæ aperta erat, & ad occidentem & agros, locoſque apertos vergebat, confeſtim inſident, muroque claudunt. Ex qua quidem parte facilimè conſpiratores, qui duas occupaverant partes, prohibere poterant, ne in agros ad commeatum habendum egrederentur. Quo factum eſt, ut ſeditioſi obſidione ſimul, & annonæ inopia premerentur: At cum, rei militaris præſtantia Syracuſanis ſuperiores eſſent, & ſi numero inferiores, excurſionibus frequentibus urbem infeſtabant, atque victores apparebant. Poſt hæc Syracuſani Acradinam peditatu acriter oppugnant. Sed cum aſperitas loci nimis conſpiratoribus faveret, irritos etiam illorum conatus reddidit. Idcirco Syracuſani claſſe eos adoriuntur, atque ita bello navali inferiores facti, cedere tamen noluerunt. Quinimo eductis in apertum copiis acerrimè certamen redintegrant. Aliquandiu ancipiti marte, æquiſque viribus, ac utrinque plurimis cæſis, prælium geritur: tandem Syracuſanis victoria ceſſit. Parta victoria plebs Syracuſana ſexcentos viros eo bello cæteris præſtantiores, quorum inſigni opera hoſtes ſubacti in deditionem venerunt, coronis aureis donarunt. Cæteris omnibus qui pro Rep. dimicarunt, per capita argenti nummum diſtribuerunt.

Alios à Tyrannide liberant.

Turbæ rurſus apud Syracuſanos.

Syracuſani Victoriam adepti.

Sub idem tempus à Catanæ urbis incolis, quos Hjero ibi cives adſcripſerat, Siculi & Syracuſani agros ſibi per vim ereptos repetunt, & ni reddant, ad bellum ſe parent, indicunt. Quocirca Catanenſes contrà armis inſtructi in aciem exeunt. Ubi conſerto prælio inferiores fiunt, tandemque fracti animis, cum ſe tueri amplius non poſſent, agros, & urbem Catanam illis cedunt; atque in montanam Ætnæ oram, quam Ineſſam Thucydides, Inueſam Stabo, Enneoſiam Diodorus appellat, quæ à Catana 12. p. m. diſtabat, commigrarunt, urbemque Ætnam appellant; Et conditorem Hjeronem ſimulant. Priſci verò Catanenſes qui ab Hjerone fuerant expulſi, redeuntes proprias ſedes incoluerunt, & Hjeronis tumulo inſigni ſolo æquato urbem ipſam priſco nomine Catanam, & non Ætnam dixerunt. Quicumque præterea aliunde propriis urbibus ab Hjerone ejecti, ad eam uſque ætatem exulabant, ſociorum auxilio in patrias urbes redierunt: illoſque inde eiiciunt, qui per vim Hjeronis eas poſſidebant. Quorum ex numero Geloi, Agrigentini, Himerenſes, Rhegini quoque, & Zanclæi fuerunt. Exules verò omnes, & eos, qui Hjeronis imperio loca, & jura

Catanenſes in patriam redeunt.

Alii exules ad ſuos revertuntur.

& jura aliena ſibi uſurpaverant, Meſſanæ incolas conſtituerunt. Civitates præterea cæteræ ad delendos advenas, colonos, omneſque hoſtes viribus communibus conſurgunt, eiſque ſuperatis ſeſe in ſua jura reſtituunt. Ita ſeditiones omnes, quæ per Siciliam frequenter antea concitabantur, hoc pacto ſunt compreſſæ. Poſtremò civitates omnes, lapſaſque urbes inſtaurare, leges reformare, cives bonis moribus inſtruere, & agros per civium capita diſtribuere pergunt.

Bellum inter Segeſtanos & Lilybetanos.

Poſt hæc dum Romæ Qu. Fabius Vibulanus, & L. Cornelius Curetinus Conſulatum gererent, inter Segeſtanos, & Lilybitanos, pro agris ad Mazarum. fl. poſitis, maximum bellum eſt exortum. Facto igitur inter eos atroci certamine, multi utrinque occubuere: adeoque cruenta utriſque fuit hæc dimicatio, ut ab armis, & à contentione, ſubſecuta inter eos pace, diſceſſum ſit. Eodem fermè tempore civitates quoque Siciliæ denuo motibus civilibus, & popularibus, inteſtiniſque diſcordiis paſſim uno, eodemque authore vexari cœperunt. Quæ labes urbem Syracuſas in primis invaſit. Erat etenim Syracuſis vir, cui Tyndario nomen erat, uti opibus, ita & incredibili audacia, & omni ſcelere inſignis; Is tyrannidem captans, initio egenis pleriſque alimenta neceſſaria propensè ſubminiſtravit, poſtmodum plebi ſavere, atque aſſiſtere cœpit. Ita hac via ſavorem ſibi popularem cum devinxiſſet, ad urbis tyrannidem occupandam ſe parabat. Comperto ejus inſtituto, in judicium trahitur, & à judicio in vincula ducitur. Quo cognito ii, qui ab eo ali conſueverant, conſerto agmine in eos, qui in carcerem Tyndarionem deferebant, irruunt, pugnamque ineunt. Tumultu excitato urbis primores, & ii, qui magiſtratus officio ſungebantur, ſimul conveniunt: ſeditioſos cum Tyndarione capiunt, ac ſimul ad ſupplicia raptos capite puniunt. Et cum eo tempore tyrannidis in ea urbe occupandæ frequenter pericula emergerent: Pentaliſmum (quod exilii genus eſt) Senatus, populuſque Syracuſanus ad imitationem Athenienſium, quibus lex antè Oſtraciſmus fuerat inſtituta, introduxit; Athenis quippe qui ad tyrannidem aptus videbatur, à civibus ſuper petram, Syracuſis verò in olivæ foliis nomen inſcribebant. Qui igitur tyrannidis ſtudioſior ex multitudine ſcribentium apparebat, quinquennii exilio mulctabatur. Nulla in lege juris utrobique, ſed nominis ſola eſt differentia: niſi quòd apud Athenienſes diu, ſed apud Syracuſanos pauco tempore fuerit obſervata. Nam cum prudentiſſimus, ac potentiſſimus quiſque delati, Regis præceptò exulaſſent, ſi qui remanſerant prudentia inſignes metu legis Rempub. deſeruerunt. Quo effectum eſt, ut pravi, ſeditioſi, & rerum ſemper novarum cupidi ad urbem gubernandam bonorum inopia eligerentur. Oratorum præterea, deſerentiumque numerus erat ingens, & optima quæque conſuetudo propterea interierat, morumque pravitas nimis admodum inoleverat: nullique probitatis, juſtitiæ, boni, æquive jam amplius cura ſuberat. Quo animadverſo lex jacturæ magnitudine damnata, abrogataque eſt.

Tindarion Tyrannidem affectat.

Pentaliſmus Exilii pœna.

Ejus incommoda.

Abrogatur.

Poſt hæc Romæ. C. Nautio Rutilio, & L. Minutio Carutiano Coſſ. cum Tyrrheni mare Siciliense incurſionibus, ac deprædationibus affatim vexarent: Syracuſani claſſem inſtruunt, eique Phaylum Syracuſanum Prætorem præficiunt, & contra Tyrrhenos mittunt. Is primo curſu Ætaliam liguſtici maris inſulam depopulatus eſt, tum magno auri pondo à Tyrrhenis, ne eorum oram tangeret, clam accepto, nihilque ſtrenuè ea expeditione geſto, Syracuſas rediit. Senatus

In Tyrrhenos Claſſem Syracuſani mittùt.

tus facinore comperto eum in judicium pertractum, ut Reip. proditorem, exilio mulctavit. Appellem ſubinde ſexaginta triremium claſſi contra Tyrrhenos præfectum conſtituunt. Qui prima ſui excurſione Tyrrhenam deprædatur oram, deinde Cyrnam inſulam, quæ Corſica eſt hodie, invadit, poſtremo Aethalia inſula vi capta, præda magnoque captivorum numero, ac rebus aliis ad varios uſus accommodatis onuſtus, Syracuſas eſt regreſſus.

1. Catanæ *Hjeron* Chromium quendam ſibi ob ſingularem modeſtiam, probitatem ac fortitudinem chariſſimum, præfecit, qui & ipſe in Pythiis victor Ætnæus Pindaro teſte proclamatus eſt.

2. Quod Simonidem ſub *Hjerone* II. Fazellus ſtatuat, miratur Bonannus. Sed non advertit Fazellum in Emendationibus, ex Xenophane, qui aliunde longe ante Hjeronem ſecundum floruit, ad *Hieronis* I. vitam hæc addidiſſe.

F. TH.

F. TH. FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORUM
DE REBUS SICULIS.
POSTERIORIS DECADIS.
LIBER SECUNDUS.
DE DUCETIO SICULORUM REGE
CAPUT PRIMUM.

Siculorum regnum, Ducetius tenet.

SICULI (ut diximus) à Græcis maritimis locis expulſi in mediterranea Siciliæ receſſerunt: diſtincto à Græcis Principatu res ſuas gerentes. Potiebatur eodem ſermè tempore Siculorum regno Ducetius patria Neetinus, genere, & opibus inſignis, nec minus acri vir ingenio, & ad egregia quæq; facinora obeunda promptiſſimus. (1) Is Menoenon urbem condidit, ejuſque agros colonis per capita diviſit. Subinde contra Morgantium urbem bellum movit, quam tandem magna vi oppugnatam cepit. Qua victoria apud Siculos, Græcoſque etiam magnum Ducis nomen promeruit. Poſtmodum Siculas omnes urbes, Hybla excepta, ad æquale tributum coegit: eoque ære publico ingentes ſibi coacervavit opes. Quo factum eſt, ut maxima pecunia per vim contracta, magni quoque potentiſque nomen ſibi vendicaverit. Deinde Neas urbem (quæ Netum eſt hodie) ſuam patriam in collis vertice à Siculis ab initio fundatam in planitiem monti ſubiectam tranſtulit. Juxta templum Palicorum urbem inſignem condidit, quam à Palicis Palicem appellari juſſit: eamque cum muro ſatis firmo circummuniſſet, finitimum agrum colonis diviſit. Hæc urbs ſicuti ubertate agri, incolarum multitudine, & majeſtate templi brevi coaluit, ita & brevi poſt mortem Ducetii deſecit. Sed de Palicis, eorumque templo ſatis priori Decade ſcripſimus.

Menas condit.

Morgantium expugnat.

Neas transfert, Palicam ædificat.

Ennam invadit, Motyon adoritur, & capit.

Ducetius poſt hæc maxima militum manu coacta Romæ, L. Poſthumio, & M. Horatio Coſſ. Ennam Græcorum urbem invadit, necatoque per fraudem ejus Principe, ea potitur. Deinde in Agrigentinorum agros exercitum trajiciens Motyon oppidum non longe ab Agrigento ſitum Agrigentinorum præſidio munitum magna vi adoritur. (2) Quo cognito Agrigentini Motyenſibus ſuppetias mittunt. Sed Ducetius expedito agmine contra eos ſtatim occurrit; conſertaque pugna victor Agrigentinos, & Motyenſes caſtris ſpoliat, & Motyon capit. Verùm hyeme ingruente à ſe mutuo diviſi ad propria ſunt reverſi. Syracuſani, qui Siculis erant infenſiſſimi, contra Ducetium exercitum & ipſi miſerunt ingentem, illique Bolconem Syracuſanum præfecerunt. Pugna inita Ducetius ſuperior factus Syracuſanos profligavit. Sed cum rumor certis indiciis firmatus ad Syracuſanos perveniſſet; Bolconem cum Ducetio conveniſſe, ac fugæ, amiſſæque victoriæ authorem fuiſſe, Syracuſani Bolconem in jus vocaverunt, ac veluti Reip. hoſtem, proditoremque publico ſupplicio affecere. Deinde exercitum parant, illique ducem alterum præficiunt, cui jubent, ut contra Ducetium moveat, eumq; omni arte delere nitatur. Is igitur mandata exequitur, caſtraque hoſtis circa Nomas metata adoritur. Ubi utrinque inita pugna acerrimè decertatur, non

Cum Syracuſ. vario marte pugnat.

fine

ſine utriuſque aciei memorabili ſtrage. Tandem Siculi Syracuſanorum vi propelluntur, ac in fugam vertuntur, quorum Syracuſani terga ſecuti, multos quidem trucidarunt, major verò fugientium pars in munitiſſima quæq; oppida unà cum Ducetio ſeſe recipientes ſalutem ſibi quæſierunt. At deinde Siculorum magna multitudo, Ducetio (quod ei vires non ſufficere ad audaciam, perſpiceret) deſerto, ad ſua quiſquam loca ſe contulerunt. Quo intellecto, Agrigentini oppidum Motyon confeſtim magna vi agreſſi (cum pauci in eo bellatores eſſent) non multo labore recipiunt. *Vincitur ac fugit.*

Motyone recepto, Agrigentini fœdus cum Syracuſanis contra Ducetium ineunt; ſocia arma contra eum jungunt, ac demum ex Agrigentinis, & Syracuſanis contra Ducetium ingens conflatur exercitus: Ducetius ubi effœtas vires, ſeq; à ſuis deſertum videt, veritus ne & etiam eis, qui pacuci in fide perſtiterant, exoſus fieret, deſperatis rebus, callido conſilio uſus: noctu Syracuſas properat, in forum ante aras proſternitur: mox ad Senatum ſupplex accedit, ſeipſum, regionemque Siculorum in Syracuſanorum fidem tradit. (3) Ubi per urbem inſperatus Ducetii adventus divulgatur, turmatim ad forum Syracuſani concurrunt, rei novitate permoti, admiratione etiam penè tabeſcunt. Deinde ad concionem omnes vocantur: quid de Ducetio agendum ſit deliberant. Qui plebis partes tuebantur, ſupplicium de eo veluti de hoſte ſumendum cenſuerunt. Urbis primores, & qui prudentiores erant, parcendum Ducetio, neque fidem ei violandam, qui fortunæ ludibrio projectus ſupplex advenerat: Deorum, qui violatæ fidei crimen ulciſci ſolent, iram pertimeſcendam. Quid Syracuſanam majeſtatem deceret, ac demum quid vetuſta Syracuſanorum instituta, decretaque juberent, & non quid Ducetius ſua culpa mereretur, inſpiciendum eſſe dixerunt. Horum igitur ſententia prævalente, populus uno ore ignoſcendum Ducetio conclamat. Quorum conſenſu Senatus Ducetium ultimo ſupplicio ea conditione abſolvit, ut Corinthum relegatus reliquum ætatis agat, illique vitæ neceſſeria ſatis ubunde eidem ſuppeditentur. *Motyon Agrigentini recuperant.* *Syracuſanis Ducetius ſe dedit.* *Corinthum relegatur.*

Ad Corinthum igitur Ducetius in exilium actus ducitur. Ubi non ita diù commoratus exilij conventa rupit, flagitium religione velat, rumore ficto ſibi ſatis, ac Deorum oraculo ſub interminatione indictum, ut in pulchro Siciliæ littore, quod mare Tyrrheno alluitur, urbem condat. Oraculo per Corinthum divulgato maxima hominum multitudo ad novam urbem Deorum juſſu promovendam Ducetio adhæſit. Cum quibus in Siciliam reverſus, ubi ejus adventus innotuit, Siculorum ſuorum non contemnenda manus ad reducem poſtliminio Principem ſuum refluxit, operaque ei ſua ultro oblata, novam cum eo rem ſuſcepere. In quorum numero, & Archonides fuit Herbitæorum Princeps. Qua acceſſione Ducetij ductu, ſtudio, curaque ſtrenua urbs ad pulchrum littus, pluribus Siculorum colonis eo adductis infra paucos menſes exędificatur, quam Collatinam appellarunt. (5) *In Siciliam redit Calactā condit.*

Interea Agrigentini veteri in Syracuſanos odio exciti, ſimul, & quod Ducetium communem hoſtem eis inconſultis contra jura, libertate donaverant, bellum Syracuſanis inferunt. Bello indicto Siculorum inter ſe urbes diſſentiunt, ac aliis Agrigentinas, pleriſque Syracuſanas partes tuentibus, eaque diſcordia prorepente, magna utrinque militum multitudo, populis ipſis æmulatione quadam in arma *Bellum inter Agrigent. & Syracuſ.*

ma ruentibus, copiiſque eductis, ad Himeram fluvium è regione caſtrametantur. Acie inſtructa, collatis ſignis in pugnam deſcendunt: acerrimè utrinque, ac æquis ferè viribus dimicatur. Tandem Agrigentinorum ſupra mille in ea acie cæſis, Syracuſanis victoria ceſſit. A quibus, ſedato prælio legati ab Agrigentinis pro rerum compoſitione miſſi pacem impetrarunt. Cæterum dum hæc inter Agrigentinos, & Syracuſanos gererentur: Ducetius, Collatina urbe jam condita, & Siculorum regno ab interitu vendicato, interrupto rerum magnarum conſilio, morbo correptus obiit. Quo mortuo, & pace inter Syracuſanos, & Agrigentinos nuper facta perſeverante, & icto jam pridem inter Gelonem, Syracuſanoſque, & Carthaginenſes fœdere durante, Græcorum in Sicilia urbes ſummam imperij rerumque adminiſtrationem penes Syracuſanos eſſe ultro permiſere. Jamq; eorum magnæ tunc erant opes, lateque patebat imperium, quippe qui non ſolum Græcorum, ſed Siculorum quoque urbes omnes (Trinacia excepta) ſibi addictas habebant.

Ducetius moritur.

Erat Trinacia Sicularum urbium Princeps, ac regia, opere, & præſidio munitiſſima, civibus quoque optimatibus, virtute, ingenio, ac opibus præſtantiſſimis, referta. (2) Quocirca Syracuſani veriti ne Trinacini magnitudine virium, & militum cognatorum multitudine freti, vi ſubactis Syracuſis, univerſum ſibi Siciliæ uſurparent imperium: Trinaciam totis viribus agredi conſtituunt, habitoque militum undique tam ex ipſis Syracuſis, quam etiam ex ſociis urbibus delectu, contractiſque quantis tum poterant copiis, exercitum contra eam urbem movent. Trinacini ſociis Siculis, atque externo præſidio deſtituti, contra inſtructo ex ſe ipſis exercitu occurrunt, atque acerrimè, irociterque dimicant, magnamque hoſtium multitudinem cædunt. Sed cum numero ſatis eſſent inferiores, prævalentibus poſtea Syracuſanis heroicè præliando mortem omnes oppetiere. Senum quoque complures invictis adeo animis fuerunt, ut propria manu ſibi vitam effuderint, ne captivitatis contumelias, ludibriaque experirentur. Syracuſani parta victoria, ac proſtratis, penituſque deletis Trinacinis, qui antea inexpugnabiles eis habebantur, plebe incoliſque omnibus in prædam, & ſervitutem adductis, urbem etiam ipſam funditus evertunt. Ex omni autem præda, manubiiſque quicquid ſelectum fuit, Delphos ad Apollinem miſerunt, quem ſuperſtitioſa religione & Deum, & fortunarum ſuarum authorem, auctoremque arbitrabantur, gratias pro tam inſigni atque ingenti victoria referentes.

Trinacinos Syracuſani adoriuntur.

Prædam Delphos mittunt.

Erant tum Romæ L. Julius, & M. Geganius Coſſ. Olympiaſque octuageſima quinta. Syracuſani harum rerum ſucceſſu, opibus, & animo elati, cum jam pridem univerſam ſibi Siciliam ſubigere meditarentur, centum triremes ædificant equitum, ac peditum numerum conduplicant; & ne pecunia ad neceſſarias belli impenſas minor eſſet, contributiones augent, majoraque ſubiectis Siculorum urbibus vectigalia jmponunt, imperantque ut peculiares quaſdam, quæ ſupererant reſpublicæ, & ſuis adhuc legibus vivebant, ſubjugarent.

1. Alibi Decade prima ex Diodoro adnotavimus: Ducetium Menas in æquum campum tranſtuliſſe, atque idcirco patria Meneninum illum dicit Cluverius. Ibidem nihilominus Netinorum vindicias contra Cluverium expendimus.

2. Ple-

2. Plerique ex noſtris Motyen Agrigentinorum caſtellum cum Motya celebri urbe confundunt, turpiterque allucinantur. Ennam porro minime Ducetium expugnaſſe, ſed Ætnam, laudatus Cluverius obſervat Diodori recitans verba: *Athenis ſummum gerente Magiſtratú Antidoto, Ducetius Siculorum Dux Ætnam per dolum occupavit, principe ejus interfecto, ductiſque hinc in Agrigentinorum agrum copiis, Motyum Agrigentinorum præſidio cuſtoditum oppugnare adoritur*.

3. Nomas oppidum male a Cluverio longiſſimo a Syracuſana Urbe ſpatio diſſitum locatur; Ducetius enim ex Nomæis partibus nocte una Syracuſas venit, ut a civibus veniam impetraret, quæ non niſi triginta, aut quadraginta millium intercapedinem unius ab altera arguunt.

4. Calactam condidiſſe urbem ad Tyrrhenum littus Ducetium tradunt paſſim Scriptores, quæ perperam idcirco Calatina hic nominatur.

5. Trinaciæ ſitum alibi Decade prima indicavimus.

DE BELLO INTER LEONTINOS, ET SYRACUSANOS.

CAPUT SECUNDUM.

Leontini Syracuſanis infenſi.

ERAT inter Siciliæ urbes Leontinum Reſp. Græcorum inſignis: Hanc igitur, & propinquitatis occaſione, quòd ſuis agris multum momenti allatura ejus acceſſu videretur, & veteri totius Siciliæ poſſidendæ animo, Syracuſani, M. Manio. Q. Sontitio, Servitio Cornelio Romæ Conſulari poteſtate Tribunis, ut Diodorus ſcribit, apud quem mira eſt librariorum, ſive interpretis vitio, tum annorum, tum Magiſtratuum perturbatio, invadere ſtatuunt, viresque ad id omnes exacuunt. Quo accepto Leontini, cum opibus, potentiaque longè Syracuſanis inferiores ſeſe cognoſcerent, in diſcrimen patriæ amictendæ adducti, legatos ad Athenienſes, quorum erant cognati, utpote ex Naxiis Chalcidenſibus exorti, mittunt, orantes, ut quam celerrimè in ſuæ originis urbis jam periclitantis auxilium properent. Favebant Syracuſanis quæcunque Dorici nominis in Sicilia erant civitates, præter Camerinenſes, Leontinis Camerina, & Chalcidicæ omnes urbes, quæ eædem, & Jones erant, ſuppetias ferebant. (1) Ex Italia propinqua Syracuſis Locrenſes, Rhegini, utpote cognati Leontinis ſtudebant. Preſſi itaque Leontini Syracuſanorum viribus, incumbente jam periculo, Gorgiam Rhetorem omnium ſuæ ætatis ſermonis acrimonia longe præſtantiſſimum Legatum, & ipſi Athenas ad auxilia petenda miſerunt. Gorgias Athenas cum applicuit, ſuper fœdere contrahendo, auxilioque impetrando publicè luculentiſſimam habuit orationem. Athenienſes novitatem rei, & ejus miram in dicendo induſtriam admirati, & ejus verbis, & quia jampridem Siciliæ invadendæ ob loci opportunitatem, ſolique feracitatem libido eos ceperat; & quoniam ſperabant fore, ut quandiu in Sicilia Atticæ naves eſſent, commeatus inde Lacedęmoniis, cum quibus bellum eo tempore gerebant, non apportaretur, ad ſuppetias Leontinis ferendas facilè ſunt perſuaſi.

A Sociis auxilia ſibi adſciſcunt.

Et ab Athenienſibus Gorgiæ opera.

Decreto igitur Leontinis auxilio, centum naves ducibus Lachete Mechanopi, & Chareade Euphileti filio in Siciliam mittunt. Rhegium igitur ſecundante vento Attica claſſis advecta, centum navibus à Rheginis, & Chalcidenſibus colonis in id collatis augetur. Inde enavigantes inſulas Æolias, quæ partes tuebantur Syracuſanorum, invadunt. Quas cum ad deditionem compellere non poſſent, hoſtiliter agris populatis diſcedentes, in urbem Locros, quæ cum Syracuſanis fœdere juncta erat, deferuntur; captiſque ibi quinque Locrenſium navibus, oppidum Peripolion, quod ad flumen Halecen ſitum eſt, obſident, quo tandem, conſerta cum oppidanis pugna, & eorum ſupra mille cęſis, & ſexcentis captis, magna vi potiti, Rhegium revertuntur. Poſt hæc, cum Syracuſani magna claſſe contrà, & ipſi Athenienſibus occurriſſent, Athenienſes cum ſociis invictis eos adoriuntur: commiſſoque prælio in ea pugna Careades occubuit, Laches, penes quem unum remanſerat claſſis poteſtas, Mylas oppidum, ubi duæ Meſſeniorum erant cohortes, obſidet. Sed cum illi inſidias Athenienſibus paraſſent, Athenienſes eos invadunt, atque in fugam vertunt, multiſque ex eis cæſis, copias Mylas admovent, quibus Mylenſes oppreſſi deditionem fecerunt.

Athenienſes Leontinorum Auxiliarii.

Mylas capiunt, Meſſanam in fidem recipiunt.

Poſt-

Niſam fruſtra adoriuntur, & Himeram.

Poſtmodum contra Meſſanam ſolvunt, urbemque oppugnant. At Meſſanenſes, cum viribus ſe cognoſcerent inferiores, deditionem ſtatim fecerunt: datiſque obſidibus, & quæ ad tutelam pertinebant, præſtitis, in fidem ab Athenienſibus ſunt recepti. Subinde Athenienſes cum ſociis Græcis, & cæteris, qui vel ex Siculis, vel ex Syracuſanis ad eos defecerant, è Meſſana movent, & Niſam oppidum, cujus arcem Syracuſani tenebant, aggrediuntur, a) Unde oppidanis, Syracuſaniſque fortiter obſiſtentibus, fœdè re infecta, abire coguntur. Quos inſecuti Niſenſes, & Syracuſani, magno impetu in fugam vertunt, atque eorum multos occidunt. Athenienſes poſt hæc per littus maris navigantes, cum ad Himeram urbem perveniſſent, è navibus egreſſi cum Siculis ſociis urbem ipſam magna vi oppugnant. Sed cum Himerenſes acerrimè urbem defenderent, Athenienſes depopulatis tantùm eorum agris, regreſſi ad Æolias navigant, & paulo poſt ad Rhegium nullo egregio facinore geſto rediere. Siculi, qui Athenienſium erant ſocii, cum Syracuſanos viderent & terra, & mari ſuperiores, Athenienſeſque fruſtra contrà niti, perſuaſerunt, ut majori claſſe ſe munirent. Igitur Athenienſes Pythodorum Iſolochi filium, Lachetis in Præfectura claſſis ſubrogatum ducem cum aliquot navibus in Siciliam mittunt, cum reliquis Sophoclem Soſaſtridæ, & Eurymedontem Thucleis filium propediem miſſuri. Laches cum Rhegium applicuiſſet, Pythodorum, qui nova cum claſſe Athenis venerat, offendit, quem confeſtim (translata in eum Præfectura) ad Peripolion Locrorum præſidium proficiſci jubet.

Syracuſani vario marte pugnant.

Ineunte deinde ſeptimo belli Peloponneſiaci anno, Syracuſani decem cum ſuis, totidemque Locrenſium navibus Meſſanam à civibus vocati, recipiunt. Quam cum primùm præſidio muniſſent, Eurymedon, & Sophocles quinquaginta cum inſtructis triremibus Athenis in Siciliam applicant. Erant eo tempore, & ad tuendas freti anguſtias, & ad Rhegii præſidium Atticæ naves duodeviginti in ſalo ſtantes. Eas Syracuſani Locrenſium hortatu cum triginta ferme inſtructis navibus in medio freto ſub occaſum Solis adoriuntur. Vicit Attica claſſis, etſi numero impar. Syracuſani fœda fuga diſiecti navi, una ad Rhegium, ad Meſſanam altera amiſſis, ad Pelori Siciliæ promontorii oram iterum ſe collegere. Quibus Syracuſanorum peditatus ſtatim affuit. Athenienſes verò, Rheginique, ubi hoſtium naves militibus vacuas audiunt; eas iniecta ferrea manu aggrediuntur. Sed inter præliandum Athenienſium navis una ſubmergitur, viris ſolùm nando elapſis. Quo caſu Syracuſani erectis paulisper animis ſuas naves aſcendunt, eaſque fune per littus Meſſanam verſus trahunt. Athenienſes ubi hoc vident, ſua claſſe hoſtes invadere ſtatuunt. At Syracuſani, qui ad oram jam parati erant, dato ſigno, prius in Atticas irruunt, atque conſerto prælio, eas, amiſſa altera navi, propulſant. In hunc modum Syracuſanæ naves in portum Meſſanæ tandem incolumes venere.

Athenienſ. Camerinam cōſervant.

Poſt hæc Athenienſes, cum Camerinam, quæ eorum erat ſocia, ab Archia Camerinenſi, & pleriſque aliis ad id facinus conjuratis, proditum iri Syracuſanis cognoviſſent, eo contendunt; eamque (interfectis conjuratoribus) periculo liberant. Dum hæc Camerinæ aguntur, Meſſanenſes, & Syracuſani, qui Meſſanenſibus præſidio aderant, contra Naxum urbem Chalcidicam terra, & mari bellum movent. Et primo die intra mœnia repulſis Naxiis, eorum quidem a-

 grum

grum populantur. Sequenti verò die ad amnem Aceſinem claſſe adnavigantes agrum vaſtant, & terreſtri exercitu urbem oppugnant. Cognita, ac vulgata Naxi obſidione, Siculi montani Naxiorum ſocii ad ferendam eis opem ſtatim properant, & in obſidentes deſcendunt. Naxii ut ſociorum adventum reſciunt, rati Leontinos cæteris cum Græcis eis auxilio adveniſſe, reſumptis animis ſe mutuò hortantur, atque repente ex urbe erumpentes & ipſi in hoſtes irruunt, eoſque in fugam vertunt. Qui dum fugiunt, in Siculos, turmatim ad Naxo ſuppetias ferendas accurrentes, incidunt. Ita inter duos hoſtium exercitus poſiti ſupra mille eorum trucidantur, cæteris in domum ægrè elapſis.

Naxus a Syracuſan. incaſſum petitur.

Dum hæc Syracuſanorum naves, quæ Meſſanam tenebant, cognoſcunt, in ſuam quæque urbem & ipſæ redierunt. Leontini verò, ubi Meſſanam præſidio deſertam audiunt, aſſumptis Athenienſibus, & ſociis ad eam armis laceſſendam quàm celerrimè contendunt. Athenienſes igitur à portu claſſe, ſed Leontini cum ſociis à terra urbem obſident. Meſſanenſes ubi obſidione preſſos ſe vident, Demotele Præfecto, & Locrenſium aliquot ad urbis, ne ab hoſtium claſſe invaderetur, præſidium, relictis, ex urbe contra Leontinos erumpunt, in eoſque impetum faciunt. Leontini repentina incurſione attoniti fœdè ſe fugæ committunt. Quorum inter fugiendum complures à Meſſanenſibus interficiuntur. Athenienſes, qui portum obſidebant, clade Leontinorum cognita, confeſtim navibus egreſſi lapſis ſociis opem ferunt: mox Meſſanenſes adorti eos intrepidè in urbis mœnia compellunt: ac demum veluti victores erecto trophæo Rhegium revertuntur.

Leontini, & Athen. Meſſanam premunt.

Subinde Græci, qui erant in Sicilia, ſe invicem, ſine Athenienſibus, bello infeſtabant, Camerinæi Geloos, & alii alios: ita, ut Sicilia plurimis bellorum domeſticorum anfractibus premeretur. At non ita multo poſt inter Camerinæos, atque Geloos induciæ primùm initæ, dehinc ex omnibus civitatibus legati Gelam miſſi, ſi quo modo pacem componere poſſent. Cujus cum nullus eſſet modus: Hermocratis tandem Syracuſani longa oratione, qua quid damni bellum, quæ bona pax afferret, & quòd Athenienſes non ut Leontinis opitularentur, ſed ut Siciliæ imperium incolarum diſſidiis adipiſcerentur, bellum gererent, luculenter exprimebat, inducti Sicilienſes pacem hac lege pepigerunt, ut ab armis diſcederent, & retineret unuſquiſque quod poſſidebat: dummodo Morgantina Camerinis cederet, ſi certam Syracuſanis pecuniæ ſummam penderent. Igitur Leontini cæteris cum ſociis diutino bello lapſi per legatos pacem cum Syracuſanis hoc modo componunt, ut Syracuſani Leontinos Syracuſana civitate donatos, Syracuſanos cives adſcriberent; Leontinumque urbem municipium Syracuſanum eſſe declarent. Leontini deinde convocatis Athenienſis armaturæ, claſſiſque, quæ centum quinquaginta triremium, præter Rheginenſes erat, Præfectis, pacem compoſitam, & fœdera cum Syracuſanis inita manifeſtarunt, eaque omnia cum eis etiam communia eſſe dixerunt. Verùm Senatus, populuſque Athenienſis, quorum fuerat ſtudium Siciliam ea claſſe conquirere, ubi re infecta claſſem reverſam vident, Pythodorum, & Sophoclem duos ex ducibus exilio, Eurymedontem ex eis tertium pecunia mulctaverunt, imponentes eis, quod Siciliam, quam ſubigere in eorum fuiſſet manu, muneribus corrupti fœdè incolumem reliquerunt. Vo-

Sicilia, variè diſciſſa.

Geloi, & Camerinæi, ſeſe invicè infeſtāt.

Pax inter Siculos cōponitur.

Athenienſ. domum redeunt.

Verùm, cum poſtmodum anno belli Peloponneſiaci decimo Leontini poſt conventionem plures in civitatem adſcripſiſſent, & plebs agros per capita diſtribuere vellet: qui primores erant in civitate re percepta, Syracuſanis accitis plebem ejecerunt. Qua paſſim vagante, ii, qui plebem profligarant, Syracuſanis ſe dedentes, Leontino prorſus deſerta, habitaculiſque ſolo æquatis, Syracuſas tandem ut cives commigarunt. Cujus facti paulopòſt plerique pertæſi, relicta urbe Syracuſana, locum quendam Leontinæ urbis Phoces nomine ceperunt, ac deinde arcem in Leontino agro munitiſſimam Bricinnas nomine etiam ſunt adepti: quibus quamplurimi plebi extorres ſe addiderunt: ubi & ſe tuebantur, & cum hoſtibus ſæpenumero præliabantur. *Leontini Syracuſas ſe recipiunt.*

His Leontinorum motibus cognitis Athenienſes, quibus nondum deſerbuerat Siciliæ captandæ deſiderium, Phæacem virum impigrum, & rerum bene gerendarum ſolertem cum tribus navibus Siciliam miſerunt, ſi quo modo ſocios, qui ibi erant, atque alios inducere poſſet, ut reſumptis viribus, atque armis, coercita Syracuſanorum potentia, populum Leontinum liberarent. Phæax ubi Siciliam advenit, Camerinæos, atque Agrigentinos ſolum in ſuam ſententiam pertraxit: Geloos autem, & cæteros alios Syracuſanorum ſocios emollire non potuit. Quocirca re infecta per mediterranea Siculorum oppida Catanam venit, ac deinde Bricinnas; ubi Leontini ſe munierant, quos ad conſtantiam, fidemque hortatus Sicilia deceſſit. Hunc igitur finem habuit bellum, quod inter Syracuſanos, & Leontinos, & ſocios eorum Athenienſes pluribus annis geſtum eſt. Poſtulat nunc hiſtoriæ, & temporum ordo, ut bellum memoria digniſſimum, quod poſtea inter Athenienſes, & Syracuſanos geſtum eſt, ejus initiis, & cauſa paulo altius repetitis, enarremus. *Rurſus Athenienſes de Sicilia cogitant.*

1. CHalcidicas inter urbes Catana erat, quæ majori id circo affinitatis & amicitiæ vinculo Leontinis adjuncta, legatos etiam ſuos Athenas miſit, ut Juſtinus teſtatur.

2. De hoc Niſæ oppido, ejuſque ſitu variant Scriptores. Alii enim in plaga inſulæ orientali, haud longe a Meſſana, ubi hodie oppidulum Niſa, ſive Niſæ flumen vulgo appellatum adhuc perſtat; Ad Septentrionale vero latus, ubi Niſida, vulgo Naſus, nonnulli locant. Conſule quæ diximus Decade prima.

DE

DE BELLO MEMORABILI INTER ATHENIENSES, ET SYRACUSANOS

CAPUT TERTIUM.

Segeſtanos inter & Selinuntinos diſcordia. INTER Segeſtanos, & Selinuntinos ob quædam ſponſalia, & agrorum fines, quos utriſque fluvius Amphisbetes dividebat, octingentis ferme poſt Trojanum excidium annis, Romæ T. Claudio, Sp. Nautio. L. Sentio, & Sex. Julio Conſularem poteſtatem quatuor Tribunis gerentibus, maxima eſt exorta diſcordia. Selinuntini igitur torrentem tranſgreſſi, primum agri partem fluvio adiacentem per vim ſibi occupant, & deinde proximi quoque agri ablata magna parte Segeſtanos illudunt, contumeliiſque afficiunt. Segeſtani iniuriis excandeſcentes primùm verbis, ne alienum agrum invadant, & per vim occupatum, ut ratio ſuadebat, cedere velint, precantur. Sed ubi fruſtra & precibus, & queſtibus laboratum eſt, armis rem experiri decernunt. Proinde in juris humani violatores copias inſtruunt: inſtructas educunt: locoque ejectis Selinuntinis agrum per vim occupatum vi quoque & ipſi ſibi reſtituunt. Exacerbata inter utroſque contentione, litem bello dirimere conſtituunt. Expeditis igitur militum copiis utrinque in aciem deſcenditur, atrocique certamine diu pugnatum eſt. Demum Selinuntini maxima Segeſtanorum cæde facta, victores fiunt. Segeſtani hac clade preſſi, Agrigentinorum, Syracuſanorumque auxilia implorant. Quibus fruſtrati ad Carthaginenſes ſupplices mittunt. His verò etiam opem recuſantibus, cum Leontinis, quos eo tempore Syracuſani urbe ejectos agris quoque ſpoliaverant, ſocietatem ineunt: communique decreto ab Athenienſibus, ut urbibus vetuſta ſub cognatione aſtrictis, Syracuſanorum, & aliorum vi oppreſſis ſuccurrant, vehementer contendunt; ſimulque eis ad Siciliam invadendam operam ſuam pollicentur, Segeſtanis ingentem pecuniæ ſummam, quam paratam habebant, pro hujuſmodi belli impenſis offerentibus.

Bellum committunt. Segeſtani vincuntur.

Athenienſes a Siculis rurſus evocati. Catanenſes præterea, quibus fœdus à Syracuſanis violatum fuerat, oratores, & ipſi eodem tempore pro ſubſidiis Athenas legant Qui veſte ſordida, barba, capilloque prolixis, demiſſo vultu, lacrymis obortis Athenarum Senatum, populumque ut auxilientur, rogant, obſecrant, obteſtantur: erraſſe ſe, quòd eorum copias remiſiſſent, confeſſi. Athenienſes tribus Siciliæ civitatibus uno, eodemque tempore invitati, ne occaſionem Siciliæ potiundæ imprudenter reliquiſſe viderentur, auxilia eis pollicentur. Sed inſulæ regiones, ac Segeſtanorum opes diligenter antea explorandas eſſe edicunt: eoque nomine tres naves in Siciliam mittunt, ut cognoſcant & quænam eos eſſent civitates excepturæ, & an Segeſtanorum res nummaria tanta ſit, quantam eorum Legati Athenis protulerant. Exploratores Segeſtam primùm adnavigant. Segeſtani, qui tot opes, quot ad tam ingens bellum requirebantur, non habebant, ne ob ſumptuum inopiam Athenienſes à bello deſiſterent, commentum hujuſmodi invenerunt. Legatis in fanum Veneris, quod Segeſtæ erat, adductis, ſacraria, phialas, trullas, turibula, cæteraque alia Veneris donaria, ac non te-

Exploratores mittunt.

nuem

nuem ſacrarum veſtium ſupellectilem oſtentarunt; quæ cum eſſent argentea, vel aurea, multo impenſius pretium ſerebant, quam parvæ civitatis expectatio permitteret. Sunt qui ſcribant frumenti quoque acervos in horreis poſitos argento, & auro amictos pro aureis oſtendiſſe. Privatim præterea hoſpitio exceptis Trierarchis, ex Segeſta, & ex omnibus Phœnicum, & Græcorum circum oppidis corrogata pocula argentea ſimul, & aurea in conviviis pro ſuis exhibuerunt. Quorum omnium aſpectu decepti legati vehementer obſtupuere, Athenaſque reverſi Segeſtanorum opes ad ſumptus belli perferendos pluſquam ſuffecturas, Senatui renunciant.

Qui a Segeſtanis decepti divitiarũ jactãtia.

Porrò Comitiis de bello contra Siracuſanos ſuſcipiendo, & claſſe in Siciliam trajicienda Athenis cum Senatu, & populo habitis, Nicias Nicerati filius, vir inter Athenienſes virtute, & authoritate præſtantiſſimus, minimè bellum Sicilienſe ſuſcipiendum eſſe edixit. Cum Athenienſibus non eam eſſe vim opum, ut ſimul cum Lacedæmoniis Græcorum potentiſſimis bellum, quod plures annos gerebant, & Syracuſanis ſuſtinere poſſent; temerariique eſſe conſilii Athenienſibus. qui Græciæ imperium ſæpe coactis, integriſque viribus tentatum vendicare ſibi non valuiſſent, mox vana ſpe cum copiarum parte maximam totius orbis terrarum, opulentiſſimamque inſulam aggredi: quam Carthaginenſes in terris potentiſſimi, & quorum admodum pollens latè pateret imperium, bello moliri, & variis artibus ſibi ſubigere fruſtra tentaſſent. Quibus eleganter propoſitis, Alcibiades Athenienſium vir clariſſimus, & qui acerrimum in dicendo ingenium, facundiamque ſuper cives omnes vehementem, elegantiſſimamque habebat, & cui genus nobiliſſimum, utpote paternum quidem ab Ajace, maternum verò ab Almeonide, ampliſſimæ opes, reique militaris peritia ſumma, & nomen apud omnes gloria erat celebratiſſimum, in contrariam ſententiam, non Reipublicæ Zelo, ſed ſuæ libidinis, ambitioniſque impetu eſt adductus: populumque diverſis rationibus hortatur, ut bellum illud confidenter aggrediatur; ingens imperium, perpetuamque gloriam Athenienſium Reipublicæ allaturum: audendum aliquando, quò ulterius imperium extendatur; nec pedetentim, ut antea, ſed totis viribus tentandam eſſe Siciliam. Siculos præterea nulli rei minus aſſuetos, quàm bello, ſeditioſos, ſuique commodi, plus quàm publici ſtudioſiores, invicem invidentes, atque eò Syracuſanis magis invidere, quo opibus præter cæteros ſunt præſtantiores. In Sicilia demum barbaros pleroſque eſſe, & Græcos complures, qui Syracuſanis infenſi Athenienſium facilè partes ſequantur.

Nicias Athenienſibus Siculum Bellum diſſuadet.

Alcibiades cõtrariũ tuetur.

His, plurimiſque aliis Alcibiadis perſuaſionibus ſupervenere Segeſtani, & Leontini exules, in Senatum introducti, qui multis precibus, & lacrymis obſecrare, obteſtarique cœperunt, ne ſe, & ſocios in tanto diſcrimine deſerant. Nec parum valuit apud dominandi cupidos tot rationum contendentium, atque in idem deſtinatarum numerus. Acceſſit & per ea tempora, quòd Athenienſes oraculum, an in Siciliam eſſet trajiciendum, ſciſcitati cum fuiſſent, reſponſum hujuſcemodi in Dodone habuerunt. In Siciliam coloniam deducendam eſſe; quos tamen nomen ambiguum feſellit. Erat etenim non longè ab Athenis terræ non ſanè magnus tumulus, cui Siciliæ nomen erat, de quo oraculi edictum loquebatur, quod ab ignaris ad inſulam tractum extra fines, ſuſcipiendi belli non parva fuit occaſio. Bellum igi-

Siculorum legati Auxilia exorant.

Oraculum malè intellectum.

Bellum contra Syracuſ. decretum, Duces adſciti. igitur Senatuſconſulto contra Syracuſanos decernitur. Duces ejus expeditionis tres deliguntur: Nicias Nicerati, Alcibiades Cliniæ, & Lamachus Xenophontis filii. Quibus a Senatu hæc in mandatis data fuerunt. Contra Selinuntinos Segeſtanis auxilio ſint. Et ſi proſperè in bello ſuccederent omnia, Leontinos in ſua ſede collocent. Selinuntinos, & Syracuſanos in prædam dent, adducantque prorſus in ſervitutem. Reliquas Siciliæ urbes vectigales Athenienſium faciant: ſtipendiaque ſingulis annua imponant, aliaque tranſigant, quæ Athenienſium Imperio profutura cenſuerint. Erat Lamachus adeo pauper, *Horū cōditio.* ut quoties Dux crearetur, pallium ei, & crepidas ex publico ærario comparari neceſſe eſſet, & licet ad ſenectutem vergeret, erat tamen in periculis adeundis longè audacior, quàm ætas poſtulabat. Ditior Alcibiades, ſed ferociſſimus; & ingenium in eo ad optima quæque ſimul, & peſſima verſatile. Nicias ditiſſimus, & ob opes, præclareque res geſtas apud ſuos magnæ exiſtimationis, qui etſi ob collegarum ſocietatem imperium detrectaret: populus tamen eum coegit: ut ſua cunctatione modeſtiaque Lamachi, & Alcibiadis furorem, ferocitatemque cohibere, & temperare poſſet.

Claſſis expedita. Extemplo claſſem ad bellum idoneam centum triginta triremium & ipſi, & ſocii quinque armatorum millibus inſtructam ædificant, cui olcadum onerariarum numerus magnus, qui commeatum veheret, adjungebatur; militum præterea peditatus, & equitatus, ſcutatorum, ſagittariorum, funditorum, tormentorum, ac machinarum pro expugnandis urbibus erat ingens. Sed dum hæc magno civium, quos ardens belli Siculi cupiditas inceſſerat, ſtudio parant, *Portēta Athenis viſa.* magna rerum portenta Athenis ſunt viſa, veluti funeſti hujus belli eventus præſagia. Nam Methon aſtrologiæ peritiſſimus, per id tempus in Magiſtratu conſtitutus, ſive artis peritia, ſive portentorum ſignis admonitus, ſive humano ingenio ductus furere ſeſe ſimulavit, & propriam domum, quæ vicina erat, incendit, ac in concionem prodiit, conqueſtuſque domus jacturam, eſſlagitavit ne filius, cui proprio ſumptu triremem ad bellum inſtruxerat, Siciliam pro hac expeditione proficiſceretur; nam funeſtum hoc bellum futurum ipſe ſibi prævidere videbatur. Socrates præterea ſolito fortaſſe de more agitatus, cives terrebat, ne hoc bellum pacto aliquo ſuſciperent. Sacra quoque Cereris, quæ per id tempus celebrabantur fœda, horrendaque portendere, & matronas paſſim per urbem magno cum gemitu noctu, & interdiu, veluti funera celebrantes, *Mercurii Statuę detrūcatę.* audiri prædicabant. Mercurii poſtremò ſtatuæ, quæ per urbem depoſitæ plures erant, omnes incerto authore truncatis capitibus mane ſunt repertæ. Facinus hoc non caſu eveniſſe, ſed ab iis, qui ſtatum popularem diſſolvere cupiebant, plebs excepit. Alii ad Siculæ hujus expeditionis augurium ſunt interpretati. Propoſita ſunt indicanti præmia, & impunitas promiſſa, ſiquis ejus ſacrilegii conſcius rem deferret ad Senatum. Inter hæc ex privatis quidam intempeſta nocte Alcibiadem intra inquilini cujuſpiam domum ſe vidiſſe Senatui refert. Interrogatus quonam pacto per noctis tenebras vultum diſcernere potuiſſet; reſpondit: Lunæ radiis. Pluries itaque ſuper eodem quæſitus ob ſermonis inconſtantiam pro falſo rejectus eſt. Verùm cum vulgato per noctem Alcibiadis præter ſolitum laſcivo diſcurſu, flagitium ipſe negaret, ac priuſquam in provinciam proficiſceretur, ſe judicio ſtaturum polliceretur, quia omnia ad bellum op-

opportuna parata erant, accuſatione Magiſtratus in aliud tempus rejecta, ipſum dimiſit.

Claſſis profectio, & iter in Siciliam.

Erat igitur jam dimidium æſtatis, cum claſſis ex Pyræo profecta, omnium ad id tempus unius Græciæ urbis longè ornatiſſima, remigio (circum emenſa Peloponneſi ora) Corcyram defertur. Inde ſolvens, navigato maris Jonii tractu, ad extremam applicuit Iapigiam: atque inde mota Italiæ oras perlegendo, a Tarentinis cum eſſet recepta, ad Thurios appulſa, & benignè ibi excepta, mox Crotonem petunt. Et inde ſuperatis promontoriis, quæ Dioſcuriada dicuntur, Scyllatium, Locroſque prætervecti non procul ab urbe Rhegio in ancoris conſtituuntur.

Syracuſani ad bellum ſe parãt, Duces deligunt, auxilia poſcunt.

Syracuſani his cognitis tres Dictatores ſtatim creant, Hermocratem, Sicalium, & Heraclidem. Hi primùm delectos undique milites habitos conſcribunt. Legatos per Siculas urbes mittunt, eas, ut pro ſalute communi ad bellum accingantur, armaque ſumant, hortantur. Athenienſes enim licet bellum contra Syracuſanos ſuſceperint, imperium tamen Siciliæ eos affectare pro comperto, admonent, & idcirco vel ſervitutis jugo colla ſubmittere, vel contra hoſtium ferocitatem acerrimè confligere neceſſe eſſe. Ab Agrigentinis, & Naxiis eis eſt reſponſum, ſe pro ſervanda fide Athenienſium ſocietatem non poſſe deſerere. Himerenſes verò, ac Meſſanenſes bello aſſore ſunt polliciti. Selinuntini, Geloi, & Catanenſes arma vireſque ſuas Syracuſanis ſunt polliciti. (1) Siculorum quoque urbes illud idem in ore quidem habebant: animo tamen pacem optabant, & periculo abeſſe ſatius ducebant.

Athenieſ. Ducum varia cõſilia.

Dum Rhegii Athenienſium claſſis moratur, Duces inter ſe conſilia conferunt. Lamachus recto curſu Syracuſas nondum armis inſtructam urbem invadendam: Alcibiades finitimas prius civitates ad deditionem compellendas, deinde de Syracuſis cogitandum. Nicias nihil in Sicilia tentandum tenebat: ſolùm in Selinuntinos navigandum; contra quos præcipuè miſſi erant. Sententiam tandem Alcibiadis ſectari omnibus viſum eſt. Igitur Alcibiades ſua provectus navi Meſſanam trajicit, atque cum Meſſanenſibus de ſocietate verba facit; exiſtimabat enim eam urbem & ob portus capacitatem, & ſitus vicinitatem ſatis ſibi ad res gerendas accommodam. Porrò

Meſſanenſ. fruſtra ſolicitant.

Meſſanenſes ſocietatem quidem, atque hoſpitium negant: res tamen venales offerunt. Alcibiades parùm benignè auditus Rhegium regreditur: & confeſtim duo ex Ducibus reliqui ſexaginta navibus in Naxum Chalcidicam navigant, tertio cum reliqua claſſe ad Rhegium relicto. Duces a Naxiis intra urbem amicè ſunt recepti, mox Catanam petunt. Ubi licet primo ingreſſu repellerentur; poſtmodum ſolis Ducibus introeundi poteſtas facta eſt. Duces Catanam ingreſſi ad concionem vocato populo de ineunda ſimul ſocietate, quam per legatos petierant, ſuadere nituntur. Quod dum ibi agitur; ex improviſo valvis per vim evulſis, milites Athenienſes, qui extra mœnia conſiſtebant, intra urbem irrumpunt: Catanaque occupata ſocietatem cum Catanenſibus contra Syracuſanos ineunt. Hoc initio proſperè geſto, jam ad reliqua magnis animis Alcibiade ſolo duce Athenienſes ſe parabant.

Catanẽſiũ ſocietatẽ obtnẽt.

Interea Athenis qui privatas cum Alcibiade inimicitias exercebant, de truncatione imaginum Mercurii, & in patriam conſpiratione eum inſimulant. Ab accuſatoribus perſuaſus populus navem

Salaminiam in Siciliam navigare jubet, mandatque ut quàm celerrimè Alcibiadem Athenas revehat, cauſæ, judicioque reſponſurum.

Alcibiades in patriam revocatur. Navi Catanam delata, Alcibiades, ubi Legatos audivit, ira percitus Meſſanam primùm, quæ certam defectionem eo authore paraverat, ex manibus abſtulit Athenienſium, clam rem omnem Syracuſanis, adverſus quos id bellum præcipuè gerebatur, aperiens, ac detegens eos, qui prodere Meſſanam decreverant. Deinde triremem ſuam aſcendit, atque ea vectus cum navi Salaminia in altum navigat. Cumque ad Thurios perveniſſet, ſive magnitudine periculi, ſive impietate ſceleris perterrefactus, ſive civium ingratitudine offenſus, deceptis cuſtodibus e triremi, qua vehebatur, repente proſiliit, ac ſe e proſpectu nautarum celeriter eripiens cum certo in loco delituiſſet, facilè perſequentium manus effugit. *Fuga evadit.*

Legatis Athenas regreſſis, fugamque Ducis renuntiantibus; Athenienſes Alcibiadem, omneſque fugæ ſocios abſentes ob contumaciam capitis reos una voce condemnarunt. Ille ubi non multo poſt ſibi a populo mortis ſententiam dictam percepit: *At ego* (inquit) *oſtendam Alcibiadem vivere.* Quocirca in Peloponneſum profectus ad Lacedæmonios, quibus antea fuerat infeſtus, habita eorum fide publica, ſe contulit, a quibus mutata rerum fortuna, comiter, hoſpitaliterque ſuſceptus eſt. *Ad Lacedæmones tranſit.* Quos de Syracuſano bello conſultantes multis compulit rationibus, ut Gilippum Ducem auxilio Syracuſanis, exercitumque contra Athenienſes emitterent: aliaque ad hæc perſuaſit, quæ eorum eſt inſtituti recenſere, qui Alcibiadis vitam, vel Athenienſium res ex profeſſo ſcribunt. Poſt Alcibiadis ex Catana diſceſſum; Duces, qui rem Athenienſem in Sicilia regebant, e Catana ſolventes Syracuſas verſus adnavigant, ac Teriam propinquum Catanæ fluvium ſubeunt: Ubi ſtationem eo die cum feciſſent; illuceſcente, decem triremes Syracuſas præmiſerunt, quæ & portum explorarent, & Syracuſanis, ſi Leontinos diutius in exilio detinerent, bellum indicerent. *Syracuſas Athen. adnavigant.* Quo facto contigit, ut ſorte Athenienſium naves triremem Syracuſanorum unam ceperint: quæ a Jovis Olympii templo tabulas cum Syracuſanorum civium, qui ad arma cenſebantur idonei, nominibus inſcriptas vehebat. Hæ tabulæ ad Athenienſium Duces delatæ, & inter milites vulgatæ aruſpicum mentes mirum in modum turbaverunt; quod oraculum Apollinis iis tabularum nominibus perfunctum arbitrarentur. Reſponderat enim aliquando Pythias fore, ut Athenienſes Syracuſanis omnibus potirentur: verùm non ad id tempus, ſed cum Athenienſis Calippus Dione interfecto, Syracuſas eſt adeptus, oraculum reſpexiſſe videtur.

Poſt hæc Athenienſium duces bipartita claſſe Camerinam Lamachus, Segeſtam Nicias navigant. Sed cum Lamachus Camerinæos ad ſocietatem inducere nequiſſet, admoto littori exercitu Hyblam minorem oppidum in agro Geloo, quod hoſtium erat, oppugnare cœpit. (a) Quod cum viribus nequicquam ſuperaſſet, advocatos ad colloquium oppidanos ad deditionem fruſtra etiam eſt adhortatus. Quamobrem non minus apud ſuos, quàm apud hoſtes malè audire cœpit.

Nicias Segeſtā contendit, Hiccarā diripit. Nicias ex parte altera ſua claſſe recto curſu Segeſtam tendit, exploraturus Segeſtanorum, Selinuntinorumque res, & an daturi eſſent pecuniam Segeſtani, quam pro claſſe Athenienſibus promiſerant. Dum igitur per Tyrrhenum mare navigat, ad ſiniſtram Siciliam habens, Himeram urbem tenuit. Ubi non receptus, ſed recto curſu Segeſtam pe-

petens Hyccaram Sicanorum (quod nunc Carinis eſt) ad mare tunc ſitum, Segeſtanisque inimicum oppidum cepit. Unde & Laidem formoſiſſimam poſtea meretricem, tunc verò parvulam inter alios captivos cepit. Hyccara direpta, & ad centum viginti talenta per haſtam ex ſpoliis, & omni præda coactis, Segeſtanis, quorum equitatus jam aderat, eam tradidit. Inde protinus Segeſtam delatus, ibique triginta talentis pro claſſe exactis, Catanam ipſe ex hac ora, & Lamachus ex altera cum claſſe redierunt.

Athenienſes porro, cum nihil adhuc præclari geſſiſſent, eoque nomine in contemptum & ſuis, & Siculis veniſſent; Syracuſani eos reſumptis animis illudebant: atque ad eorum uſque caſtra provecti, tum alia, tum hæc probra eis ingerebant: Nunquid potius ad habitandum ſecum in alienas, quam ad Leontinos in proprias ſedes collocandos veniſſent. His verbis Duces irritati conſilium ineunt, ſi qua ratione locum magno Syracuſarum portui proximum ſine dimicationis periculo occupare poſſint. Commentum igitur hoc ſunt machinati. Virum Catanenſem, probatæ fidei Syracuſanis perquam familiarem Syracuſas mittunt: qui Catanenſium quorundam Syracuſanæ urbis ſtudioſorum, quorum nomina explicaturus erat, nomine ſe miſſum diceret: ad hoc, ut conſtituta nocte Syracuſani inſtructo exercitu Catanam peterent, fore proculdubio, ut Athenienſes ſomno oppreſſos, & armis nudatos invadant, deleantque: atque eadem celeritate, ſi velint, eorum naves etiam incendant. Id verò certiſſimè ſucceſſurum, præſertim Catanenſibus iis, quorum nomine mittebatur, ad rem gerendam auxilia porrigentibus. Ille mandatis acceptis, protinus Syracuſas verſus impigrè iter arripuit. Intrepidè omnia Syracuſanis exponit. Re ſine ulla fraudis ſuſpicione, quam fides nuntii familiaris removerat, temere credita, Syracuſani cum eo, & qua nocte copias educturi eſſent, & quæcumque ad rem gerendam neceſſaria eſſent, conſerunt, componuntque; eumque iis paratis remittunt. *Athenienſes Siculis contemptui ſunt.*

Interea Selinuntini, & Geloi, & complures ex ſociis alii aliarum urbium jam Syracuſas advenerant, & delectum militum numerum urbs habebat ingentem. Igitur ad ſtatutam diem Syracuſani Catanam verſus profecti ad Symethum flumen caſtrametantur. Quod ubi Nicias, & Lamachus cognoverunt, omnibus copiis in naves celeriter impoſitis, Syracuſas curſum intendunt, magnumque portum nullo obſiſtente ante Olympicum ingreſſi, per otium copias opportuno loco munitionibus, ac cæſis arboribus, ſtagnis inſuper, & locis abruptis munito collocaverunt. Navibus præterea cæſas arbores, & ad mare comportatas, cancellatimque confixas protexuerunt. Partem verò caſtrorum, quæ depreſſior erat, adituque facillima, electis lapidibus, ac lignis arduam fecerunt. Syracuſani, ubi ſe fraude deluſos animadverterunt, conſternato agmine ad opem patriæ ferendam citato retro curſu procurrunt, ac primùm ad Athenienſium exercitum propius accedunt. Deinde cum ab Athenienſibus non occurreretur, via Elorina transmiſſa caſtrametati ſunt. *Syracuſanum portú occupat, copias educit.*

At verò Athenienſes, ut Syracuſanos ad bellum paratos conſpexerunt, ita ſe & ipſi ad prælium inſtruxerunt. Argivi dextrum cornu, & Mantinei: alterum ſocii: Athenienſes medium tenebant. Copiarum dimidium in fronte octonis ordinibus munitum erat. Dimidium alterum, quod ad tentoria erat, & ipſum octonis ordine qua-

drato agmine præferebat, cui præceptum erat quamcumque partem exercitus laborare videret, ad eam ſublevandam ſe continuò conferret. Intra hos ita inſtructos lixas, calonesque poſuerunt. Syracuſani, qui militia præſtabant, denos ſenos compoſuerunt, populum videlicet, & ſocios, qui aderant. Nam Selinuntini primùm auxilio venerant, mox Geloi equites ducenti, Camerinæi viginti, Sagittarii propè quinquaginta. Quos equites non minus mille & ducentos dextro cornu juxta jaculatores collocaverunt. Igitur ſigno ab Athenienſibus primùm dato res ad manus devenit, dubioq; Marte aliquandiu dimicatum eſt. Sed fœda interim tempeſtas cœlo oborta tonitrua, & fulgura magno aeris fragore Syracuſanos, veluti prodigio territos à certamine avocant. Athenienſes, ubi Syracuſanos conſternatos, averſoſque ordines conſpiciunt, invadere illorum aciem ſtatuunt. Et primi omnium Argivi in lævum Syracuſanorum cornu impetu feruntur. Et poſt Argivos in oppoſitam ſibi partem Athenienſes in reliquas irrumpunt copias, atque in fugam vertunt. Occubuerunt tum ex Syracuſanis, & ſociis quadringenti, ex Athenienſibus circiter quinquaginta. Etenim equitatu Syracuſanorum; qui permultus erat, & prope invictus, inhibiti, cum tutò perſequi hoſtem nequirent, in caſtra ſe receperunt, trophæumque extulerunt. Syracuſani verò in via Elorina congregati præſidium ad Olimpicum oppidum, quod adhuc ipſorum erat, poſuerunt, (3) Cæteri in urbem redierunt: ibique collectis ſuorum cæſis corporibus, digna parentatione præſtita, extrema obſequia addiderunt. Athenienſes receptis etiam ſuorum cadaveribus, ac pyræ impoſitis Catanam navigarunt, ac partim ibi, partim ad Naxum in hybernis conſedere.

Ad bellum ſe ſe inſtruunt. *Prēliū ineunt, Syracuſanos fugant.* *Catanā redeūt.*

Poſthæc videntes Syracuſanos equitatu præſtare, nuntios Athenas miſerunt, qui equites, ac pecuniam peterent. Syracuſani quoque cum bellum atrox in longum procedere proſpicerent, a Corinthiis, & Lacedæmoniis ſuppetias & ipſi implorant. Quorum precibus adducti Gilippum Teandriæ filium rei militaris ducem exercitatiſſimum cum auxiliaribus copiis eis tranſmiſere, & Corinthii quoque uti requiſiti fuerant, identidem pollicentur. Syracuſani cum multitudinem Imperatorum damnoſam in prima pugna potius, quàm frugiferam ſenſiſſent, Hermocratem Hermionis filium virum cum rerum omnium peritia, tum in primis rei militaris præſtantia nulli Syracuſanorum ſecundum, & Heraclidem Lyſimachi, & Sicanium Exceſti filium, abdicatis quindecim viris, quos antea rei bellicæ præfecerant, Imperatores totius exercitus creant, cum quibus deinde ſegnitie Athenienſium conſpecta, excurrentes Catanam uſque omnem regionem urbi adjacentem populati ſunt, ac caſtra etiam hoſtium, quæ non procul ab urbe aberant, incenderunt. Poſt hæc Hermocrates unà cum aliis pluribus Camerinam pro ſocietate cum Syracuſanis obtinenda profectus, quo fortè & eodem tempore Euphemus Athenienſium legatus, ut in fide jam data Camerinenſes perſtare hortaretur, convenerat: a Camerinenſibus utrique conſultò reſponſum eſt, ſe neutri auxilia permiſſuros: cùm tamen equites aliquot Syracuſanis clam ſubmiſerint: ne ſi id Athenienſes, qui victores erant, reſcirent, perfidiæ ab eis pœnas repoſcerent.

Syracuſ. ſuppetias poſtulāt, & obtinēt Duce Gilippo. *A Camerinēſibus auxilia ſollicitant.*

Interea Athenienſium claſſis, quæ Catanæ hybernabat, ad Meſſanam per proditionem (ſi poſſet) recipiendam ſe contulit. Sed Syracuſani perduellibus, quos Alcibiades jam magiſtratu abdicatus detu-

tulerat, interemptis, Meſſanam jam antea firmiori, optimoque præſidio munierant. Munierant & per ea tempora Syracuſas, urbemque muro, qua parte ſpectat Epipolim, incluſo intra mœnia Fortunæ templo, corroboraverant: ne ſi fortè malè pugnatum eſſet, ea parte, quæ fragilior erat, circumvallari poſſent. Apud Megaram etiam, Olympicumque præſidia poſuerant; quinimo & quamcumque regionem, qua deſcendi a mari in littus poterat, cancellato vallo præcluſerunt. Dum hæc Syracuſis geruntur, Athenienſes ineunte primùm vere, Catana moventes adverſum Megaram navigaverunt. Cujus agros populati ad caſtellum quoddam Syracuſanorum ſunt progreſſi; & cum id non expugnaſſent, rurſus, & pedeſtri itinere ſimul, & navigatione ad flumen ſe Teriam receperunt. (4) Inde tranſgreſſi campeſtria vaſtaverunt: quoſdamque Syracuſanos viros, in quos fortè inciderant, occiderunt, atque trophæo erecto ad claſſem, quæ Catanam jam appulerat, redierunt.

Urbē muniunt, & firmant.

Athenienſ. cōtra Megaram.

Subinde cum omnibus copiis Centoripen, quod Siculum oppidum erat, profecti cum oppidanis conventione facta, ſunt ingreſſi. Poſtea Ineſſæ ſimul, & Hyblæ magnæ oppidorum, quæ prope Centoripen ſunt, ſegetibus incenſis, Catanam ſunt reverſi. Ubi dum morantur; Athenis ducenti quinquaginta equites, argentique talenta trecenta advecta eis a Senatu, prout petierant, venere. Syracuſani eo cognito veriti, ne hoſtes Epipolas locum præruptum, urbique imminentem clàm occuparent, & Syracuſas ex ea parte muro obſtruerent, loci aditus obſervare conſtituunt. Non enim alia poterat parte conſcendi, cum cæteræ arduæ, ac præruptæ ſint. Sub Auroram igitur ſexcenti viri ex omnibus cohortibus, quibus Hermocrates juxta Anapum flumen præerat, ad præſidium Epipolarum ſeliguntur, iiſque Dyomilius Andrius exul præfectus datur. Sed ea nocte Athenienſes cum copiis omnibus Catana relicta, ad locum quemdam, cui Leoni nomen erat, mille paſſus ab Epipolis diſtantem peditatum omnem claſſe advectum clam in terram exponunt: Navales verò milites claſſe Tapſum peninſulam, Manghiſi hodie dictam, ſubierunt: ibique iſthmo vallis obſtructo ſubſederunt. At peditatus extemplo ad Epipolas defertur, conſcendenſque ab Euryelo, locum occupat; priuſquam Syracuſani ex Anapi agro, ubi ingens eorum exercitus aderat, ei ſuccurrerent. Cognita Syracuſani loci occupatione, ſtatim ex urbe auxilio affuerunt; tum alii, ut quiſque celerrimè poterat, tum verò ſexcenti illi milites cum Dyomilio eorum præfecto. Diſtabat autem ab agro Anapi locus, ubi hoſtibus Syracuſani occurrerunt, tribus paſſuum millibus, ubi inito inter eos prælio, cæſiſque Syracuſanis ferme trecentis, unà cum Dyomilio Præfecto, victoria penes Athenienſes ceſſit. Qui, Syracuſanis iam in urbem regreſſis, & redditis eis ſuorum cadaveribus, victoriæ trophæum erexerunt.

Ineſſæ & Hyblæ ſegetes incendunt.

Prope Syracuſ. exercitū ducūt.

Inito prælio, vincunt.

Sequenti die cum nullus Syracuſanorum obſiſteret: Athenienſes adverſus urbem progreſſi arcem apud Labdalum in excelſa Epipolarum crepidine excitarunt, qua parte Epipolæ Megaram ſpectant. Interea eis ex Segeſta equites trecenti, & a Siculis, & Naxiis ducenti quinquaginta, & ex Catana totidem auxilio ſupervenere. Itaque octingentis jam equitibus elati, relicto apud Labdalum præſidio contra Tycham ipſi ſunt profecti. Quam obſidione tentatam cum muro præpropere concluſiſſent; Syracuſanos pavor ingens invaſit. Eaque trepidatione mœnibus egreſſi in opifices fabros, qui murum extruc-

Urbē oppugnāt.

truebant, irruunt; atque ab incæpto repellere nituntur. Sed Athenienſibus equitibus contrà oppugnantibus equeſtre certamen conſeritur, magniſque utrinque animis dimicatur. Sed cum Syracuſanorum Duces abſque ordine præliarentur: crebrò in terram eorum milites proſtrati profligantur, diſſipanturque. Cumque nec in ordinem legio cogi poſſet, pars una equitatus per Duces in urbem reducitur, pars altera ad impediendos Athenienſes, ne lapides legerent, longiuſve vagarentur, in agris dimittitur. Sed hanc cohors una Athenienſium, atque equitatus omnis adorti, primùm in fugam vertunt, deinde eam inſecuti nonnullos etiam occidunt. Poſtremò locum Polichnam Græcè dictum, qui civitatulam Latinè ſonat, qui & Olympicum eſt Oppidulum, portui magno imminentem, hoſtes invadunt, capiunt, communiunt: Joviſque Olympici templum eodem munimine concludunt, atque hoc pacto Syracuſas utraque parte obſident. Cumque milites Jovis Olympii fanum præcipuis opibus, & pretioſis argenteis, atque aureis donariis inſigne diripere vellent; Nicias religione ductus, ſacrilegium horruit, & tam ipſe, quàm cæteri Athenienſes magna circa templum uſi veneratione, nihil ex omnibus donariis amoverunt, quinimo & ſacerdotem etiam Syracuſanum, qui ea cuſtodiret (teſte Pauſania) ibidem reliquerunt.

Equites hoſtes in fugâ vertûs

Jovis Olympii fanum.

Sequenti die murum Aquilonem verſus extruunt ſimul, & apud locum, cui nomen erat Trogilo, qua parte a magno portu ad alterum mare a Lamacho murus breviſſimus fiebat, lapides, & materiem conſerunt. Sed dum ille operi fabricæque murorum nimis curioſè aſſidet, morbo correptus, quem ſreneſim appellant, machinam inchoatam relinquere coactus eſt. Tantis igitur unà calamitatibus preſſi Syracuſani, Hermocratis per quem eorum vires jam in periculum erant deductæ, pertæſi, ejus rejectis conſiliis, qua parte Athenienſes ædificationem inſtituerant, murum & ipſi ne ſe circumvallari contingeret, urbe egreſſi excitant, ducto ab urbe principio, ſubter ambitum muri Athenienſium ex transverſo, exciſis oleis Fani Jovis Olympici, ex quibus turres ligneas erexerunt. Adhuc enim tum maritima obtinebant. Hoc verò hoſte aut inſcio, aut non repugnante ſaltem, cum celerrimè Syracuſani abſolviſſent, una cohorte in operis præſidium relicta, in urbem redierunt. Verùm Athenienſes interea Syracuſanis aquæductus, qui ad potandum ex Sortino oppido in urbem aquam ſuggerebant, diſciderunt: eoſque poſtea paſſim in tentoriis, partim pro vallo ſegniter excubantes, partim quoque in urbem regreſſos conſpicati, trecentos ex ſuis milites, levis præterea armaturæ aliquot conſtituunt, qui repente in ſubjectas Syracuſanorum munitiones irruant: cæteris copiis bipartitis, altera manu ad urbem, ſi illinc ſuccurreretur, altera ad vallum, quà vicinum portale erat, ordinatis. Proinde trecenti Athenienſes impetu facto vallum capiunt, cuſtodibus illud deſerentibus, & ad murum templo circumdatum refugientibus; quo pariter & ipſi irrumpentes a Syracuſanis vi rejiciuntur, pluribus Argivorum, & Athenienſium occiſis. Cæteræ verò copiæ diruto muro, revulſoque vallo tenſis trophæis, velûti victores retro ad ſua caſtra receſſere.

Syracuſ. variè urbê muniunt.

Athenienſ. Aquæductus obſtruunt.

Poſtero die locum arduum paludi imminentem, unde ex Epipolis in portum magnum proſpectus jucundus, & facilis eſt deſcenſus, pariete cingunt. Sed Syracuſani exeuntes rurſus & ipſi vallum reparant inchoatum ab urbe per mediam paludem, foſſamque pari-

Foſſam, & aggerem circa urbẽ ducunt.

riter, & aggerem ducunt, ne Athenienſes ſtructuram uſque ad mare poſſent producere. Athenienſes completo ſuperiori opere, iterum Syracuſanorum foſſam, & vallum demoliri intendunt. Itaque ex Tapſo claſſem in portum magnum circumagi jubent, ipſi ſub ſolis ortum ab Epipolis in planum deſcendentes per paludem, quæ licèt limoſa eſſet, aquis tamen carebat, ſubſtratis foribus, latiſque aſſeribus, ac ſuper inſcendentes priuſquam dies inſerbuiſſet, foſſam, & vallum præter exiguam partem, ſed mox & id, quod erat reliquum, capiunt: prælioque ibi commiſſo Syracuſani ſuperantur. Quorum qui in dextro cornu erant, ad urbem, qui in ſiniſtro, ad flumen Anapum profugerunt. His tranſitum trecenti illi viri præcludere conati curſum ad pontem dirigunt, quos Syracuſani equites Callicrate duce rei militaris gloria præſtantiſſimo ſuborti, fugere compellunt: dextrumque deinde Athenienſium cornu aggreſſi primam illius cohortem non mediocri formidine perculere. Lamachus, qui jam ex morbo ad ſe redierat, re perſpecta, e ſiniſtro cornu mutis cum ſagittariis, aſſumptis etiam pleriſque Argivis, labentibus viriliter ſuccurrit. Verùm cum foſſam quamdam tranſgreſſus a ſuis deſereretur, cum omnibus iis, qui ſecum aderant, fortiter occubuit: licet Plutarchus ſingulari eum certamine a Callicrate provocatum in duellum deſcendiſſe, atque inter dimicandum multis vulneribus ictos tandem ambos cecidiſſe referat.

Lamacus fortiter occúbit.

Syrac. Athen. caſtra ĩvadũt.

Syracuſani Lamachi & corpore, & armis potiti quàm celerrimo curſu Athenienſium muros, & caſtra petebant. Quo viſo, & hi, quos ſub initium pugnæ timor in urbem coegerat, reſumptis animis & ipſi contra Athenienſes rurſus aciem inſtruunt: atque eorum pars ad ambitum hoſtium, qui Epipolis erat objectus, viriſque deſolatus, converſi, illico exteriores decem jugerum munitiones invadunt, atque expugnant, expugnaturi proculdubio & ipſum ambitum, niſi a Nicia illinc ob oppreſſam valetudinem prohibiti fuiſſent. Is etenim ſolus, & abſque copiis infirmo etiam corpore cernens nullo pacto ob militum inopiam locum teneri poſſe, miniſtris, qui ſecum aderant, injunxit, ut quicquid lignorum ante muros machinis parandis conjectum fuerat, ipſaſque etiam fabricatas ex lignis machinas in acervum congeſtas incenderent. Eoque conſilio irruentium Syracuſanorum, qui per flammas progredi non audebant, impetum cohibuit. Poſtea mortuis, qui levi hoc prælio etiam cum Lamacho, ſi Thucydidem ſequimur, ceciderant, hinc inde redditis, Athenienſium claſſis ex Tapſo ad portum magnum conceſſit. Athenienſes præterea, qui indefatigatè Syracuſanos fuerant inſecuti, jam ad urbem obſidendam appropinquabant. Quo animadverſo Syracuſani, qui ſuperius erant, omniſque pariter exercitus properè ad urbem redierunt; rati non ſatis virium ibi ad prohibendum Athenienſium in muro ad mare pertrahendo inſtitutum ſupereſſe. Proinde cum Athenienſium navales pariter, & terreſtres copiæ omnes adjunctæ eſſent, ab Epipolis, rupibuſque, extructo uſque ad mare duplici muro, Syracuſas urbem concluſerunt.

Niclas illa ab hoſtibus ſervat.

Defectio Sicul. ad Atheniẽſes.

Interea plures Syracuſanorum res labantes conſpicati, apertè ad Athenienſes defecerunt; ita, ut undique etiam ex ora maris Tyrrheni navigia omnis generis convenirent, quæ commeatum militibus Athenienſibus, ac neceſſaria ſuppeditarent. Iis calamitatibus Syracuſani penè exanimati, propriiſque jam planè viribus diffiſi, de pa-

ce

ce inter ſe cum Nicia etiam tractare cœperunt: præſertim cum auxilia e Lacedæmoniis, & Corinthiis promiſſa non adventaſſent. Hinc omnia etiam ſibi jam tuta timebant: adeo, ut inter ſe quidem mutua ſuſpicione vacarent. Duces præterea ipſos, quorum ductu tot cædes, & bellorum clades ſibi obvenerant, vel ut imperitos, vel ut proditionis ſuſpectos abdicarunt: eorumque loco Heraclydem, Eucleam, & Telliam ſuffecere. Dum in hoc infelici rerum ſucceſſu res Syracuſanorum eſſent: Gilippus Lacedæmonius Cleandridæ filius a Spartanis, & Pythen a Corinthiis cum copiis auxiliaribus miſſi circa Leucadem adſunt, recto curſu Syracuſanis auxilio venturi. Sed audita Syracuſanorum obſidione, duplicíſque muri circumvallatione: Gilippus deſperans ſociis poſſe amplius ſubveniri, in Italiam curſum deflexit: ubi fœda tempeſtate jactatus navibus penè omnibus concutitur. Quibus deinde cum in Locros ex Tarento adnavigaſſet; certior ibi factus, Syracuſis per Epipolarum partem copias inferri poſſe, ex Locris in Siciliam navigare cœpit.

Novi Duces a Syracuſ. creati.

Nicias Gilippi accepto adventu, ejuſque claſſis naufragio, & rerum ſucceſſibus, ſupra modum etiam animo elatus nullam advenientis Gilippi habebat rationem. Augebant præterea ejus animos clandeſtina per occultos nuntios cum Syracuſanis habita colloquia: quæ ſub certis conditionibus urbis deditionem pollicebantur. Ea itaque fiducia Nicias factus ſecurior, neque aditus munire cuſtodiis, neque Gilippo advenienti præſidia opponere curabat. Interea Gilippus, & Pythen ſecum diu conſuluerunt, dexteriora ne Siciliæ littora tenderent, & cum periculo per hoſtium claſſem Syracuſas ingrederentur, an verò navigatione ad levam directa, fretum excurrendo Himeram peterent: ut comparata ibidem, quàm poſſent, militum manu, incautis Athenienſibus, terreſtri itinere in urbem Syracuſas per Epipolas reciperentur. Tandem de induſtria præterita Siciliæ dextra, Rhegium & Meſſanam prætervecti, emenſo freto Himeram verſus navigarunt. Ubi Himerenſibus ad belli ſocietatem inductis, Selinuntinis etiam, qui in Syracuſanorum fide perſtabant, certum locum, diemque, quo ab eis copias expectarent, præſcripſere. Geloos quoque ad ſubmittendos milites excitarunt, Siculorum poſtremò complures urbes (defuncto eo tempore Archonide eorum Rege) ſocietatem quoque cum Gilippo inierunt. Qui auctis hac ſociorum confœderatione ad tria ferme armatorum millia ſuis copiis, terra Syracuſas contendebat.

Cũ Lacedem. auxiliis in Siciliá Gilippus appellit.

Siculos ad ſocietatem trahit.

Harum rerum Syracuſani inſcii populum in concionem conciverant: ut quibus conditionibus pax a Nicia eſſet petenda conſulerent: inter quos tum de legatis primùm ad petendas inducias mittendis conventum eſt. Interea verò ex improviſo Gongylus unus e ducibus Corinthiacæ claſſis cum una tantùm triremi a Gilippo miſſus Syracuſas appulit. Ad quem repente totius civitatis frequentia concurrit. Qui ubi eum a Gilippo miſſum, illumque brevi maximis copiis auxilio affuturum audierunt: licèt lætis animis omnibus lætum omen exciperetur: non tamen plena verbis ejus fides adhibita eſt, quouſque nuntius alter ſuperveniens a Gilippo mandata detulit, ut venienti ſibi obviam Syracuſani occurrerent. Eo demum nuntio alacriores redditi urbem conſtantius tutantur. Nec multo poſt Gilippus dum Syracuſas properat, in itinere Legam Siculorum oppidum, hoſtium ſtudioſiſſimum expugnat. Et deinde acie expedita ad Epipolas, tan-

Gongylus Corinthius Syracuſas venit.

Mox Gilippus cum ſuis.

Digitized by Google

tanquam ad prælium proficiſcitur, aſcendenſque ab Euryelo, qua parte Athenienſes primùm aſcenderant, contra hoſtium munitiones perrexit. Athenienſes etſi murum duplicem ad mille ferme paſſus ab Epipolis ad portum magnum extruxiſſent: interruptum tamen circa maris proſpectum, aliquot adhuc locis, erat opus: quod in tanta celeritate perfici non poterat. Inde igitur conſpicati adverſus eos Gilippum aciem dirigere, & prævidentes Syracuſanos in pugnam exituros, ſeſe ad prælium & ipſi expediunt. Ibi verò dum utrinque inſtructæ ſtarent acies: Gilippus in conſpectu Athenienſium depoſitis armis progreſſus per preconem eis edixit. Si Sicilia intra quinque dies abire vellent, tutò inde eis exire licere. Cui Nicias nec reſpondere quidem dignatus eſt.

Qui e Siciliæ diſceſsú Athenienſ. indicit.

Scribit Timæus, Gilippum, cum primùm adveniſſet, parum apud Syracuſanos exiſtimationis promeruiſſe: imò & proceſſu temporis contemptui quoque habitum, ludibriiſque, ac ſcommatis potius, quàm honore exceptum fuiſſe; adeo populi animos primo ſuo aſpectu offendiſſe. Thucidides verò, & Philiſtus Syracuſanus, qui hujus belli rebus adminiſtrandis non otioſus ſpectator interfuit, cum admiratione quadam, & reverentia a Syracuſanis veneratum tradunt, cum in clamide ſemilacera, & ſolo baculo, quibus Gilippus prodibat in publicum, civitatis Laconicæ ſpeciem, & dignitatem contemplarentur. Porrò Gilippus paratis utrinque legionibus cum tumultuariò Syracuſanos, perturbatoſque progredi cerneret, in locum patentiorem eos reduxit. At Nicias milites contrà non movit, ſed quietos ſub caſtrorum muro continebat. Quod ubi Gilippus animadvertit, exercitum ad verticem montis Temenites adduxit: ibique caſtrametatus ſequenti die majorem militum manum ad muros Athenienſium admovit, ne per vices hoſtibus ſibi mutuò ſuccurrendi poteſtas eſſet. Miſſa deinde copiarum parte, Labdalum arcem vi cepit, occiſis Athenienſibus, qui in præſidio latitabant. Nam reliqui Athenienſes in caſtris erant, & arcem hanc inde conſpicere minimè poterant.

Athen. caſtra adoritur. & Labdalú capit.

Eodem quoque die Triremis Athenienſium una dum portum magnum ſubiret, a Syracuſanis eſt capta. Poſt hæc Syracuſani ab urbe per Epipolas ſurſum verſus murum extruxerunt: ne Athenienſes urbem amplius vallo cingere poſſent. At illi abſoluto jam ad mare muro, quem totis viribus perfecerant, in ſuperiora ſe receperunt. Cumque quædam muri pars fragilis eſſet; Gilippus ad eam noctu cum exercitu profectus, cum Athenienſes id ſenſiſſe, obviamque prodire vidiſſet, tacito agmine retro abiit. Hunc murum cum ſubinde Athenienſes ſublimius excitaſſent, per ſeipſos ibi excubias faciebant, ſociis ad reliquas muri partes tutandas collocatis. Viſum præterea eſt Niciæ Plemmyrium promontorium, quod e regione urbis prominet, & portus magni fauces coarctat, muro ſepiendum fore: ut & commeatus, ac rerum neceſſariarum facilior, propinquiorque eſſet receptus, & fauces portus in poteſtate haberet. Jam enim poſt Gilippi adventum, cum terreſtribus copiis urbis expugnationem minus ſperaret, ad navale bellum totum animum adjecerat. Inſtructa deinde militibus claſſe poſtquam triplici præſidio murum firmaſſet, Plemmyrium capit, claſſemque in ſtatione ponit. Ex eo tempore Athenienſibus ſucceſſus ſimul, & fortuna defecit. Enimvero & aquæ penuria multi eorum interierunt. Et quoties ad cædenda ligna prodibant, ab equitatu Syracuſanorum, qui apud oppidum Olympicum ſtativa tenebat, fœdè opprimebantur.

Plemmyrium Nicias munit.

Hoſtiũ naves intercipere ſtatuit. Interea Nicias cognito . quòd cæteræ Corinthiorum naves in Syracuſanorum auxilium adventarent, ad eas intercipiendas viginti naves circa Locros, & Rhegium, & promontoria Siciliæ & ipſe mittit. Gilippus verò cum murum inter Epipolas extruxiſſet, ubi ſibi tempus prælìandi adeſſe viſum eſt, inter utrumque murum primus omnium hoſtes invaſit. Cumque ad manus deventum eſſet: Athenienſes (Syracuſanorum magna clade facta) victores Gilippi culpa, extiterunt, qui cum intra muros aciem inſtruxiſſet, bellandi uſum equitibus, & jaculatoribus eripuiſſet. Qua clade Gilippus non animo fractus, quàm primùm mortuorum cadavera recepiſſet: mutato aciei ordine rurſus poſtridie in hoſtes irruere ſtatuit. Milites proinde longius a muris, quàm nuper produxit, equiteſque, ac jaculatores *Pugna inter Syracuſ.& Athenienſes.* in loco ſpatioſo e regione Athenienſibus oppoſuit. Pugnam igitur majoribus animis redintegrat, ſiniſtrumque equitatus Athenienſis cornu, quod in ipſum ſpectabat, continuò impetit, profligatque. Quo viſo, & reliquus Athenienſium exercitus animis dejicitur, atque in fugam diſſipatus vertitur. Quos Syracuſani uſque ad caſtra fugientes inſecuti ſunt. Ac tum ibi, quantum in bello rei militaris ſcientia poſſet, Gilippus hoc ſuo exemplo, apertaque re geſta declaravit; quippe qui iiſdem militibus, atque in eodem loco pugnans aciei ſolùm mutato ordine, Athenienſes vicerit, a quibus paulò ante ingenti ipſe *Victores Syracuſani murum ducunt.* prælio ſuperatus fuerat. Parta victoria, Syracuſani ſequenti nocte murum, quem ceperant, uſque ad hoſtilem perduxerunt, ita ut ab Athenienſibus neque amplius ab opificio prohiberi, neque contrà circumvallari poſſent.

Poſt hæc appulerunt Ambracienſium, & Corinthiorum duodecim, quas ſupra diximus, naves, quibus Eraſinides Corinthius præerat. Quorum interventu muri opus a Gilippo inchoatum celerrimè ad ſummam perfectionem eſt perductum. Quo facto Gilippus urbe egreſſus, terreſtri itinere Siciliæ civitates, quæ a Syracuſanis deſciverant, obibat, eaſque rurſus in fidem recipiebat, atque undique exercitum comparabat. Tum quoque ne maritimis viribus cederent, ad claſſem colligendam totis animis, opibuſque intendebat. Quocirca *Gilipp.& Nicias auxilia a ſuis expoſtulát.* & Legatos Lacedæmona, Corinthumque rurſus emittit: qui plus copiarum Syracuſas accerſerent: quippe quòd in principio, non in fine belli eventus adjuvandus eſſet. Nicias ex altera parte videns Syracuſanorum vires terra, marique invaleſcere, ſuiſque jam nihilo eſſe inferiores, ab Athenienſium Senatu, & populo per literas, & nuntios poſtulat, ut triremes, pecunias, copiaſque quantas poſſunt, quàm celerrimè tranſmittant, nec non & idoneos Prætores, qui loco Alcibiadis fuga ſubrepti, & Lamachi interempti belli munia obeant, ac ipſum ſenem, & egrè belli molem ſuſtinentem abdicent. Proinde maturatò opus eſſe: alioqui de ingenti clade toti Athenienſium Reipublicæ periculum imminere, prænuntiat. Niciæ literis in Senatu recitatis, omnia ex ſententia ſunt ei ad bellum decreta, Magiſtratus ſolùm abdicatio negata. Nihilominus donec collegas mit- *Novi Athen. duces.* tant, duos, qui cum eo erant, Menandrum, & Euthydemum delegere, qui ſecum in partem bellici oneris ſuccedant. Nec multò poſt collegam unum Eurimedontem Thuclis filium circa brumam cum navibus decem, argentique centum & viginti talentis Athenienſes in Siciliam miſere. Propediem & Demoſthenem Alciſthenis filium cum majoribus viribus alterum collegam additurí.

Con-

Contrà Lacedæmonii, & Corinthii auditis quæ poſt Gilippi in Siciliam appulſum circa Syracuſas geſta fuerant, ſumma ope claſſem, terreſtreſque copias ad bellum inſtruunt: ac ſubinde mille ſexcentos numero milites Spartiatas, Corinthios, & Bœotios cum navibus vigintiquinque Syracuſas auxiliares legant. Athenienſes quoque & ipſi Demoſthenem cum navibus quadragintaquinque, in quibus erant mille & ducenti Attici generis, & inſulani complures, advehunt. Reparatis itaque jam utrinque copiis Syracuſani ob ſecunda prælia, quæ in terris geſſerant, animo elati, & hortatu Gilippi, & Hermocratis, claſſem opulentiſſimam educunt, pugnamque navalem cum Athenienſibus experiri decernunt. Habebant in portu magno trigintaquinque naves bello inſtructas, in minori verò quadragintaquinque: ſed fauces magni portus, quæ anguſtæ ſunt, ab Athenienſibus, qui circa Plemmyrium erant, cuſtodiebantur. Quamobrem Syracuſanæ naves in unum coire abſque ambigui belli diſcrimine non poterant. Quod Gilippus animadvertens, noctu pedeſtre agmen circa iſthmum Plemmyrii duxit: ut eodem momento ipſe a terra, & naves a mari Plemmyrium, quod ab Athenienſibus tenebatur, aggrederentur. *Auxilia Lacedæmon, & Athenienſiũ.* *Claſſis Syracuſana.*

Igitur e veſtigio Syracuſanorum triremes trigintaquinque e portu magno, & ex minori quadragintaquinque eo conſilio ſolvunt; ut coeant, & ſimul Plemmyrium adoriantur. Athenienſes ex ſexaginta navibus, quas ad Plemmyrium habebant, contra trigintaquinque Syracuſanas, quæ in portu erant, ſolùm vigintiquinque, ceteras contra eas, quæ e portu minori ſolvebant, educunt. Cæterùm cum Syracuſanorum claſſis remis impulſa magni portus e faucibus erumpere niteretur: vigintiquinque Athenienſium triremes contra eam irruunt, & egreſſum inhibent. Quibus Syracuſanæ naves magna vi ſe opponunt: atque in ore ipſius portus non ignavum certamen initur. Ubi confligi cœptum eſt: jam undique ex Plemmyrio Athenienſes ad mare collecti littus compleverant, partim ſpectandi navalis prælii ſtudio; partim ut ſiquid pugnando ſuis adverſi obtigiſſet, auxilio quamprimum ſuccederent. Gilippus ut Plemmyrii præſidia negligentius ab hoſtibus haberi ſenſit, ad eorum propugnacula procurrit, in quibus nautica omnis facultas, & pecuniæ, tum rerum, ac militum omnium apparatus reconditi tenebantur. Quò cum perveniſſet, repente Plemmyrii muros adoritur, & primum e tribus, qui maximus erat, & deinde alios minores parvo labore capit. Ea re cognita Athenienſes, qui ad mare deſcenderant, ad ſuppetias recurrunt. Sed Gilippus contrà obſtitit, magnamque eorum cædem fecit. Tum clamore ingenti, tumultuque, ac ſonitu per caſtra ſublato, re inſperata variè Athenienſium acies perculſa funditur, atque in reliquam ſtationem confugit. *Navale bellũ.* *Plemmyrium Gilippus expugnat.*

Sed quàm id negotium Gilippo proſperè ſucceſſit, tam navalis pugna Syracuſanis fuit infœlix. Enimvero cum initio pugnæ res eis ſatis ad votum eveniſſent, naveſque minoris portus Athenienſibus fruſtra obnitentibus, in portum magnum perrumperent, dum nimium, & abſque ordine accelerant, in internas naves incompoſitæ impingunt. Quo viſo victi Athenienſes agmine collecto converſi impetum victorum primùm comprimunt; inde etiam diſperſas eorum vires frangunt, verſaque fortunæ vice eos in fugam vertunt, atque inter ſectandum naves eorum undecim ſupprimunt, reliquas in Inſulam uſque *Athenien. Syracuſan. naves dirimunt,*

uſque, permultis Syracuſanorum interfectis inſecuti compulerunt. Soluto prælio ab utriſque trophæa ſunt erecta: ab Athenienſibus victoria navali obtenta; a Syracuſanis re terreſtri optimè geſta. Siquidem Athenienſes ex Syracuſanorum naufragiis collectis manubiis trophæum in parva inſula, quæ faucibus magni portus, ac Plemmyrio præjacens a S. Martiano hodie nomen habet, in Syracuſanorum ludibrium erexere, atque in ſua caſtra reverſi ſunt. Syracuſani verò pro tribus muris apud Plemmyrium adeptis in eodem loco tria & ipſi ſtatuere trophæa. Atque ita contigit, ut uno, eodemque prælio utrique & victi fuerint, & victores.

Athenienſium jactura. Sed Athenienſium inſignior fuit clades. Nam Gilippus capto Plemmyrio, & præſidiis munito, ingenti Athenienſium pecunia publica, privataque, omni præterea bellico apparatu, quæ in eum locum veluti in ærarium fuerant deportata, potitus eſt. Ad hæc Syracuſani parta terreſtri victoria jam portus magni fauces, & portum ipſum apertum habebant. Quo evenit, ut Athenienſibus commeatus in caſtra deinceps ſine periculo minimè ſubvehi potuerit: quippe quod in portus ingreſſu aſſidue paratam tenerent claſſem, Syracuſanique advenientes Athenienſium cum commeatu naves exciperent. Quocirca nihil æquè Athenienſibus obfuit, atque Plemmyrii amiſſio, quæ & illis languorem, & hoſtibus audaciam præbuit. Nam & pauco *Agatharchus Syracuſ. claſſis Præfectus.* poſt tempore Syracuſani naves duodecim cum Agatharcho Syracuſano claſſis præfecto in Italiam ablegarunt, quòd fama erat naves pecunia onuſtas Athenis ad Niciam in Siciliam ea curſum tenere. Miſerunt & navim unam Peloponneſum, quæ Spartanos, Corinthios, ac ſocios proſperè a ſuis geſta doceret.

Porrò Agatharchus cum ſua claſſe Athenienſium navibus in alto Appuliæ mari occurrens magnam ex illis partem oppreſſit; & in iis unam, quæ ſtipendium in Athenienſium caſtra devehebat. Et in ora Cauloniæ maritima ingentem materiam, quam ad ædificandas naves Athenienſes ibi comparaverant, injecto igne exuſſit. Sed cum in reditu circa Megaricum maris tractum viginti Athenienſium naves in eum irruiſſent; una tantùm ejus navi ab hoſtibus intercepta, ipſe cum cæteris de medio eorum fuga ſubductus, incolumis Syracuſas re- *Minoris Portus Catena.* diit. Ccluſerant & minorem portum catena lignea: ne in eorum navalia, quæ ibi erant, Athenienſes vel irrumperent, vel ignem injicerent. Hanc Athenienſes reſcindere tentarunt, oneraria una navi turrita, ac loricata, ne in aggrediendo offenderentur, expugnationi admota. Sed Syracuſanis ex navalibus in Athenienſes miſſilia jacientibus, & viriliter propugnantibus, ſuo conatu illi fruſtrati ab incœpto deſtiterunt.

Demoſthenes Athen. Dux. Dum hæc Syracuſis ſiunt: Demoſthenes, ubi in Græcia copias coegit, cum quibus ad ſuis ſubveniendum in Siciliam trajecturus erat; ex Ægina in Peloponneſum navigat, Chariclique, qui cum triginta ibi erat navibus, jungitur. Corcyram inde verſus curſum tenet, ſed navigatione intermiſſa circa Zacynthum, Cephaleniam, aliaſque circumjectas inſulas aliquandiu ad delectum militum habendum ſubſedit. Cui circa ea loca tardanti Eurymedon e Sicilia pro ſolicitandis auxiliis veniens occurrit; qui ei Plemmyrium a Syracuſanis fuiſſe receptum nuntiavit. Sed dum hi in eis locis ex ſociis diverſis copias in Siciliam trajiciendas augere ſtudent: in Sicilia Legati Syracuſanorum, qui poſt expugnatum Plemmyrium Siciliæ ci-

vi-

vitates adierant, eaſque præſenti rerum ſucceſſu in Syracuſanorum ſocietatem adduxerant, cum bismille & trecentis auxiliatoribus, quos tum ab Himera, tum ab aliis ſociis urbibus contraxerant, Syracuſas petebant. Quo Nicias cognito, ad Siculos ſocios, Centuripinos præſertim, & Alicienſes (qua Syracuſani neceſſariò tranſituri erant ob negatum ab Agrigentinis per eorum agros iter) ſcribit, ut hoſtes, inſidiis adoriantur. Igitur ad juſſa parati tribus in locis tranſituris hoſtibus inſidias poſuere: ubi cum ad inſidiarum locum Syracuſani perveniſſent, repente a Siculis invaſi octingenti ex eis, legatique omnes præter unum Corinthium trucidati interiere; cæteros mille & quingentos legatus Corinthius licèt disjectos Syracuſas incolumes perduxit.

Sub idem quoque tempus Camerinæi armatos quingentos, jaculatores quadringentos, & equites ducentos Syracuſas auxilio mittunt. Et jam omnis ferè Sicilia præter Agrigentinos, qui nondum partibus adhæſerant, ad Syracuſanos defecerat. Athenienſes interea cognito, quod propediem cum Demoſthene Prætore claſſis ingens auxiliaris eis ventura eſſet, ſtatuunt ante illius adventum fortunam belli nullo pacto amplius experiri. At Syracuſanorum conſilium contrà erat. Enimvero ſociorum acceſſu viribus aucti: & priuſquam Demoſthenes adventaret, & novis auxiliis Athenienſes invaleſcerent; omnia moliri, intra munitiones ſeſe continentes hoſtes laceſſere, ad pugnam irritare, & claſſe inſtructa cunctantes invadere decernunt. Mari itaque, & terra acriter aliquandiu, incertaque victoria dimicatum eſt: niſi quod duæ Athenienſium naves perierunt. Poſthæc ſuadente Ariſtone Corinthio Pyrrhychi filio, rei navalis peritiſſimo, Syracuſani navium proras & breviores, & depreſſiores conſtituunt, ut contra Athenienſium naves, quæ infirmiores ipſa figura proras habebant, quarumque roſtra vel ob id nihil eis damni afferre poterant, quod impetum facere quam facillime non poſſent. Igitur Syracuſani ſingulis prope diebus roſtrorum concurſu Athenienſium triremes vexabant, caſtra hoſtium invadebant, terra, marique nihil quietis hoſtibus permittebant.

Gelenſium, & Camerinéſium auxilia.

At cum ſua ſe arte Athenienſes aliquandiu tutati irritamentis modum fieri non viderent, incaleſcunt tandem, pugnæque ſtudio incenduntur, ac exæſtuant, neque diutius tam inſolenter, tamque impune hoſtem ſufferendum cenſent. Arma proinde expediunt, ſeque ad decertandum accingunt, ac claſſem octuaginta navium inſtruunt: ſed onerarias ante triremium ſtationem certo inter ſe ſpatio collocant, ut per ea intervalla foret triremibus, ſi fortaſſe ab hoſte vincerentur, in tutum recurſus. Erant Athenienſium triremes ſicuti numero, ita & celeritate Syracuſanis ſuperiores. Nautæ præterea rei nauticæ peritia, ac diſciplina quoque, & arte præſtantiores. Verùm hæc omnia etſi ad victoriam in aperto mari non parvi momenti eſſent, in anguſto tamen portus magni ſinu, ubi certamen eſt commiſſum, parum valuere. Acceſſit ad hæc ars quoque Syracuſanorum, qui dum Athenienſes ſe ad aciem paraſſe cernunt, quo incautos hoſtes adoriri poſſent, nullo ipſis belli dato indicio, ad ſtationem receptiſſe ſe ſimulant, rerum quoque venalium forum fingunt: quo nautæ ad cibos emendos confluunt; indeque veluti ad prandendum clàm omnes triremes aſcendunt. Quæ omnia induſtriam, & quæ Athenienſibus alia fuerant in belli ratione potiora, & æquabant, & ſupe-

Novū navale prælium.

Syracuſanorũ aſtutia.

pe-

Digitized by Google

perabant. Athenienſes his viſis nullam eo die navalem pugnam futuram, ſed omnia tuta eſſe arbitrati, ad prandium & ipſi ſe conferunt. Syracuſani verò ubi hoſtes remiſſo præliandi ardore ad cibum operam convertiſſe cernunt, repente in eos nihil tale ſuſpicantes procurrunt, invehunturque. Athenienſes hoſtium tumultu audito jejuno corpore, nulloque ordine ægrè tandem naves aſcendunt, atque ut poſſunt, commodiſſimè obſiſtunt: dato ſigno pugnam ineunt: triremibus confertis Syracuſani Athenienſes protinus occupant; nihil otii ad expeditionem, nihil quietis illis relinquunt: primos, qui ex tabulatis impetum repellebant, aſtis transfigunt, indeque dejiciunt; complures fundis, ſaxiſque petunt, ac locis undique deturbant, in pleroſque roſtros incurſant, atque per adverſas proras infodiunt. Poſtremò propius congreſſi comminus gladiis rem gerunt: jamque navale bellum ſpeciem pugnæ pedeſtris referebat. Ubi afflicti undique Athenienſes in fugam præcipites aguntur, quos Syracuſani ſumma vincendi libidine inſectati, ſeptem eorum triremes fluctibus ſupprimunt, pleraſque compagibus diſcuſſis ad munia belli prorſus inutiles reddunt. Plures eo bello capti: plurimi ſunt interfecti, hoſtibuſque cum terra, tum mari profligatis, Syracuſani victoriæ trophæum circa littus erexere.

Athenienſ. fundantur.

Sed dum ipſi in certam rerum ſuarum ſpem hac victoria efferuntur: ecce repente Demoſthenes, & Eurymedon cum ingenti claſſe, innumeriſque copiis adnavigantes procul apparent. Nam in tranſcurſu a Thuriis, & Meſſapiis jure ſocietatis præſidio accepto ſeptuagintatres naves adducebant; milites ad quinque millia: jaculatorum ac ſagittariorum, funditoribus etiam admiſtis ad tria millia, præter, eos, qui in onerariis ad ſupplementa vehebantur. Armorum præterea pecuniæque magnam vim: ad hæc machinas, & omnifariam inſtrumenta ad exugnationem idonea. Armis præterea, ac militaribus ſignis nautarum, ac tubicinum turba adeo exornatæ triremes erant, ut ſcænici apparatus magnificentiam præſeferrent. Quibus cognitis Syracuſani fracti rurſus animis ſpem omnem, ac fiduciam, quam de priori victoria ceperant, mox depoſuere, ac retro labuntur. Demoſthenes Niciæ junctus explorato jam ſatis urbis ſitu, non terendum tempus, ſed dum ſe terribilem ſcit eſſe hoſtibus, urbem aggrediendam cenſuit: ne cunctando contemnendum ſe Syracuſanis, veluti ante Nicias, proponeret. Celerrimè igitur extrema quæque experiri, captaque urbe Athenas regredi ſtatuunt. Quod cum Nicias audiſſet, ejus audaciam admiratus orabat, nequid temere aggredi properaret: cunctationem namque hoſtibus plurimùm obeſſe; quòd neque ſumptus diutius tolerare diuturnitate inopiæ poſſent, & a ſociis eos non multò poſt deſertum iri neceſſe eſſet: fore, ut in ſummis rerum difficultatibus ad conditiones rurſus pacis petendas, quemadmodum & antea, concurrant. Et jam non pauci ex Syracuſanis erant, qui clandeſtinis nuntiis Niciam iis ipſis de cauſis admonebant, ne quo modo remitteret obſidionem. Sed Niciæ conſilio Demoſthenis ſententia apud milites prævaluit, qui etiam omnes collegas ad occupandas Epipolarum moles hortatus, aſſumptis decem gravis armaturæ, totidemque levis militum millibus e ſtationibus egreſſus, Syracuſanum circa Anapum flumen agrum populatur; mox pedeſtribus copiis ſimul, & claſſe eam regionem ſine hoſtium occurſu obtinet: ac poſtremò ad Epipolas invadendas ipſe ſe parat: quinque dierum ciba-

Demoſthenes Syracuſas adnavigat.

Urbé expugnare cõtendit.

Niciæ cõſiliũ.

baria portari jubet, & eos, qui lapides legant, & qui ſtruant, reliquumque miſſilium apparatum portent, unà cum rebus ad ædificandum neceſſariis, ſi loco fortè potiretur, ſecum aſſumit; convocatiſque collegis, ſolo Nicia ad muros ſuos relicto, cum omnibus copiis ad inſtitutum contendit.

Epipolas Atheniēſ. invadūt.

Ubi igitur jam Euryelo propinquabat, repentino, atque improviſo in Syracuſanos impetu irruit, eorumque murum occiſis cuſtodum pluribus capit, cumque e cuſtodibus aliquot quàm properè dilapſi tribus Syracuſanorum caſtris, quæ in Epipolis erant, hoſtium introitu nuntiato, ſexcentos viros, eoſque etiam, qui primi ad hanc ingreſſus partem excubabant, protinus in ſubſidium excivisſent: Demoſthenes, atque Athenienſes primum impetum facilè fregere: ac intra molis ſepta penetrando proximas hoſtium munitiones invadunt, capiunt, & pinnas detrahunt. Hermocrates verò cum Syracuſanorum electa manu, & Gilippus quoque cum ſuis præpropere e propugnaculis exeuntes hoſtibus in occurſum prodeunt; & cum per noctem inopinato hoſtium occurſu premerentur, attoniti ad pugnam compulſi ſunt, & primo quidem congreſſu repulſi, cum tamen Athenienſes veluti victores nondum expugnata Epipolarum loca cupidius, quàm par erat irrumperent, longiuſque expatiarentur; Bœotii exorti ſeſe ingerunt, eoſque non minori, quàm irruperant, impetu, fundunt, atque ejiciunt. Unde Athenienſes ingens perturbatio, atque difficultas circumvolvit, quam noctis caligo non mediocriter gravaverat. Fulgente ſiquidem luna amicum ab hoſte non diſcernebant; adeo corporum, & armorum multitudine repercuſſa infirmum, debilemque reddebat intuitum. Fortè etiam ita in acie conſtiterant, ut eis illa a tergo luceret: quò præſejacentes umbrarum tractus, armorum fulgorem, ſuorumque numerum ipſimet occultabant, contràque adverſis clypeorum umbonibus lunæ radii repercuſſi, & hoſtium majorem videri numerum, & armorum claritatem lucidiorem efficiebant. His igitur cauſis in diverſa præcipiti ordine ruunt. Hinc quicumque eis occurrebant, etiam ſocios pro hoſtibus formidatos refugiebant. Et cum in anguſto loco armati ex utriſque non pauci verſarentur: omnia eis perculſa apparebant.

Nox Athen. copias cōſternat.

Syracuſani verò, ſocilque victores magno utebantur clamore, quòd nequibant aliter per noctem quid ſibi opus eſſet, ſignificare. Athenienſes quoque contrà ſuos quæritabant, & ſignum teſſeræ, quod Symbolum eſt, ex ſe mutuò requirebant; quia nulla re alia dignoſci poſſent. Sed & hoc majorem ſibi perturbationem præbebat: quod omnes ſimul, & idem percontarentur; præter hæc autem præcipuè illis obſuit modulatio pæanis, qui hymnus & pro victoria in Apollinem decantantium erat. Qui cum ſimilis utrorumque eſſet, animos confundebat, ita ut invicem ſe vel trucidarent, vel ſaltem congrederentur Eorum etiam plerique fugati per abrupta, locorum imperitia præcipiti fuga, cum arctus eſſet ex Epipolis ad regrediendum deſcenſus, in interitum ipſi corruerunt. Nonnullos præterea alios alio itinere diſperſos, palanteſque, ubi illuxit, Syracuſanorum circumfuſus equitatus obtruncavit. Proinde Syracuſani unà cum ſociis fortunam propenſius proſecuti, hoſtium ſupra duo millia & quingentos necarunt, non minori eorum numero ſauclato: ex quorum ſpoliis prædam etiam non inutilem retulere. Atque ita ex inopinato parta victoria apud Epipolas duo ſtatuerunt trophæa, unum qua

Syracuſan. Victoria.

par-

parte hoſtes ingreſſi, alterum ubi a Bœotiis primùm repulſi ſunt; atque exinde audentiores facti non ſolùm ſua tueri, ſed aliena quoque appetere animo concipiunt. Quocirca Sicanum ex Prætoribus unum quindecim cum triremibus Agrigentum, ubi inter cives orta erat ſeditio, ad ſedandos tumultus, occupandamque urbem mittunt. Gilippus quoque terreſtri itinere ad Siciliæ urbes ad auxilia undique contrahenda exiit.

Atheniēſ. diſceſſū parant.

Tum Athenienſium duces cum e clade accepta, tum exercitus imbecillitate, ſævienteque cœli inclementia, quæ ex cœno paluſtri, limoque provenerat, exercitumque invaſerat, in arduas adducti difficultates conferre inter ſe conſilia cœperunt. Demoſthenes Epipolarum occupatione, ſuoque conatu fruſtratus confeſtim obſidionem ſolvendam, abeundumque Athenas cenſebat, nec fruſtra Syracuſis aſſidendum: ſed ſatius eſſe patriam ſolùm contra Spartanos tueri, quàm procul, & in alieno propè orbe incaſſum tempus, pecunias, copias ipſas, ſalutis, imperiique columen terere; nec Eurymedon multùm ab eo diſſentiebat. Nicias contrà, aſſidendum adhuc, atque eò impenſius, quòd clam a Syracuſanis pleriſque Athenienſium ſtudioſis per literas certior factus fuerat, futurum, ut brevi Syracuſæ caperentur, ſi in obſidione perſeveraretur. Hac igitur ſententiarum diverſitate diſtracta conſultatione, nihil certi decernitur, ſed in loco perſtant.

Gilippus Sicanorū auxilia impetrat.

Interea Gilippus, & Sicanus redierunt: Sicanus quidem negotio infecto: quia dum apud Gelam ipſe adhuc ageret, Seditio Agrigentinorum ſedata eſt. Gilippus verò ex Siculis, Selinuntiis, Gelois, Himerenſibus, & Camerinæis maxima militum præſidia ſecum adduxerat.

Creſcentibus igitur Syracuſanorum viribus, ipſis augebantur, Athenienſium contrà ceciderunt animi: eòque magis, quò morbus in ſuos durius graſſabatur, cui non parum etiam addiderat ponderis Ducum inter ſe diſſenſio. Qua perterritus Nicias reditum in patriam, ſed clandeſtinum probare cogitur. Cæterùm cum inſtructis omnibus ſub auroram ad naves conventum eſſet, parareturque navigatio: luna, quæ plena erat, noctis initio eclypſim paſſa eſt, qua turbatus Nicias accitos aruſpices conſuluit. A quibus ad alterum lunæ circuitum profectionem differri oportere reſponſum eſt. Quo non Nicias modò, ſed & cæteri ingenti formidine correpti a vatibus decretum tempus expectandum eſſe judicaverunt. Syracuſani cognita per transfugas dilationis cauſa, adaucti audacia terra, marique morantes infeſtare ſtatuunt. Terreſtri exercitu murum & caſtra eorum obſident, navibuſque in latum ordinem directis fauces portus occupant: unde probris, & convitiis hoſtem laceſſebant.

Lunę Eclypſis Athen. percutit.

Interea Heraclides nobilitate inſignis adoleſcens, triremi, qua ferebatur, alias prætergreſſus in hoſtes licentioſius invehebatur. Quem Athenienſium navis una inſecuta parum abfuit, quin retro ad ſuos fugientem comprehenderet. Cujus periculo commotus Poliuchus avunculus ejus cum decem triremibus, quibus præerat, in altum delatus auxilio venit. Cæteri Syracuſani de Poliuchi ſalute metuentes uno conſenſu navali certamine dimicare conſtituunt; triremes ſeptuagintaſex parant, militibus inſtruunt, atque ad prælium expediunt; terreſtres etiam copias in ordine diſponunt, ut hoſtes terra, & mari adoriantur. Athenienſes etſi conſternati animo, & jam tum ad fu-

fugam parati, urgente tamen diſcrimine ſex atque octuaginta triremes militibus impulſi & ipſi complent, ſubinde acies inſtruunt. Dextrum cornu Eurymedonti datur; cui contrà a Syracuſanis Agatharchus Prætor diſponitur. Alterum Athenienſium cornu Euthidemus duxit: huic Sicanum Syracuſani ducem oppoſuerunt; medium agmen in Athenienſium acie Menandrus tenuit. In Syracuſana Pythes Corinthius. *Navalis pugna.*

Signo itaque dato phalanx Athenienſium juxta littus ſeſe porrigit; inde Eurymedon illorum dux, cum majori triremium numero confideret, procul a ſuis ſenſim abnavigando, cornu Syracuſanorum circumvenire nitebatur. Quem ubi ab ordinibus, & reliquo agmine ſatis digreſſum Syracuſani conſpexerunt, rapto impetu, remiſque citatis in eum feruntur, intercipiunt, atque intra ſinum, cui Diaſcona eo tempore nomen erat, quem Syracuſani præſidiis munitum tenebant, compellunt. Qui jam undique a circumſiſtentibus hoſtibus, & in anguſtum, profundumque portus locum concluſus in terram vertere triremes cogitur, ibique ipſe cum plerîſque Athenienſibus præſtantiſſimis viris transfoſſus ab hoſtibus periit; ſeptemque triremes in ſcopulos impingendo contritæ ſunt. Qui rumor illico per ora Athenienſium diffuſus jam eorum aciem ad extremam uſque deſperationem concuſſit, cui cum accederet Syracuſanorum nihil remittentium ferocia, victos demum miſeros, diffractoſque in fugam compulit. *Athenienſ. funduntur.*

Sed & fuga parum ad ſalutem profuit. Cum namque paventes, trepidanteſque in incertum hinc inde raperentur, nihilque certi haberent præſidii: quippe quòd omnia ſibi tentata conſilia a Syracuſanis interturbari viderent: pleræque eorum triremes in littora, breviaque quædam loca cœno, & limo invia pervadunt. Ubi & Gilippus mox affuit: qui Athenienſes in terram evadentes ferro exciperet. Tyrrheni porrò Athenienſium auxiliatores confeſtim & ipſi occurrunt, factoque in Gilippum, & ſuos impetu in Lyſimeliam paludem fugientem vertunt, ac toto circùm littore abigunt. Quod ubi Sicanus Syracuſanorum Prætor animadvertit, onerariam quamdam vetuſtam, quam Olcadam appellant, ſarmentis, faſcibuſque, ac tædis ſtatim replet, eamque pyræ additam, atque injecto igne ad comburendas Athenienſium triremes in vadis, & locis brevibus, ac limoſis fluitantes exponi jubet. Sed cauti Athenienſes machinamentis ad ignem reſtinguendum adhibitis, hoc ſe periculo facilè liberarunt. Tum & copiæ eorum pedeſtres ad ea littora, ad quæ ſuas ex fuga naves appuliſſe cognoverant, auxilio accurrentes cum Syracuſanis, qui in magno etiam numero ſupervenerant, prælium iterant: ut cum utrinque ferociſſimè dimicatum eſſet; Syracuſanos tamen pedeſtri certamine inferiores, fuſos eſſe memoriæ ſit proditum. *Syracuſ. terreſtri prælio victi.*

Sunt qui ſcribant: juxta hæc loca rurſum utrinque duo erecta trophæa, a Syracuſanis unum ob navalem victoriam, militum, ac equitum interceptionem, ab Athenienſibus alterum, tum propter Gilippi, & peditatus a Tyrrhenis in paludem dejectionem, tum propter cæterorum factam profligationem; cecidiſſe tamen hoc prælio Syracuſanos paucos, Athenienſes verò ad duo propè millia, quibus & ibi triremes duodeviginti periiſſe Thucydides, & Diodorus poſteritati tradidere. Syracuſani tamen nondum pacata ira ad nova conſilia, quibus hoſtes penitus concluderent, perderentque, animum in-

Ad navale denuo pugnam ſe parant.

tenderunt. Proinde ne Athenienſium claſſis, quæ in portus magni ſinu erat, egredi poſſet, portus fauces tranſverſis triremibus, ac onerariis, aliiſque navigiis, & ad lictus, & ad invicem ferreis catenis, & ancoris firmiter, ac mutuo nexu compactis obſtruunt. Sed illi ubi ſe interclusos vident, ad extrema conſilia redacti, tum ob alias difficultates, tum præcipuè ob inopiam commeatus, quem nec ullum tunc habebant, nec in poſterum expectabant, niſi claſſem Syracuſanorum ſuperarent, conſulto ſuperiores muros, caſtraque, quæ juxta fanum Herculis fixa fuerant, deſerunt, & ad lictus deſcendunt; naveſque ex univerſis hominibus ætate idoneis, atque ſagittariis, & jaculatoribus complent, & navali prælio dimicandum omnino decernunt: ut ſi eo victores forent, diſcedentes, Catanam ſe reciperent: ſin victi, incenſa claſſe pedeſtri itinere agmen deducerent, abirentque ea parte, qua quam minimo intervallo locus aliquis ſive barbaricus, ſive Græcus, qui amicus eſſet, promitteretur. Ferreas manus præterea complures in triremibus poſuere adverſus craſſitudinem lignorum, quæ prominebant e proris Syracuſanorum; ut navem hoſtilem, ſiqua incurreret, retro abire prohiberent. Syracuſani etiam re cognita naves & ipſi numero quatuor & ſeptuaginta armis, & militibus inſtruunt, ſeque ad bellum parant, & de manibus ferreis certiores facti, quibus ſuas naves Athenienſes erant munituri, proras & ipſi, ac navium ſuperiora magna ex parte coriis contegunt, ut in iis nihil habens manus injecta quod apprehenderet, illico laberetur.

Syracuſani ad prælia diſponuntur.

Poſt hæc libera Syracuſanorum omnis pubes, nec dum etiam bello ſatis maturam habens ætatem, naves ſubſidiarias conſcendunt. Parentes quoque filios in certamen deſcenſuros adhortaturi ſimul aderant. Muri etiam urbis circum undique portum ducti, & cuncta præterea urbis eminentia loca, unde poſſet acies ſpectari, paſſim mortalium corporibus tanquam compacta videbantur. Mulieres omnes, virique, qui per ætatem a belli muniis vacabant, undique cum ſumma trepidatione, & ſolicitudine ad contemplandum, quaſi extremi certaminis diſcrimen confluxerant. Nicias Athenienſium Dux conſpecta periculi hujus præſenti magnitudine, cum jam acies utrinque conſtitiſſent, confeſtim relicto peditatu, navem quamdam conſcendens ſingulas quaſque ſuorum triremes adit: quas omnes, & ipſum etiam Demoſthenem, cæteroſque in primis Prætores ad victoriam hortatur; deinde rurſus in aciem pedeſtrem ad ſuos ordines refertur. Nec ſecus Gilippus, & cæteri Syracuſanorum duces milites Syracuſanos, ſocioſque ad victoriam, quam in manu habebant, hortatibus admonent. Tandem belli dato ſigno Demoſthenes, Menander, & Eutydemus Athenienſis claſſis Duces loco ſolvunt, naves ex ordine remis ad fauces portus jam præcluſas adigunt, catenam primùm, ac navium ſeptum reſcindere conati, quò in exteriora perrumpant. Quos inde Syracuſani tempeſtivè accurrentes ab inſtituto revocatos ad certamen coegere. Ibi in anguſtiis ipſis, & intra portum atrox pugna initur. Brevi diſſipatis ordinibus, diſperſæ triremes, palanteſque incertò curſu paſſim fluitantium more deferebantur: totoque ubique portu varia diverſis locis prælia miſcebantur.

Atrox pugna.

Conſpicere erat ſingulari propè concurſu certantes jam tum obnixis animis, utrinque adeo ferociter, atque indefeſsè pro victoria dimicare, ut nunquam ad illud uſque tempus (teſte Diodoro) alicubi gentium (quod quidem memoriæ ſit proditum) tam infeſtè in-

ter

ter ſe concurrerent claſſes, nec majoribus odiis. Hi de vita, illi de patria, de liberis, de fortunis, de aris, atque focis dimicabant. Athenienſes navium multitudine freti, tum deſperato prorſus aliunde præſidio pericula intrepidè ſubibant, nihilque pertimeſcebant; nunc conſiſtebant; nunc hoſtes impellebant, feroces ſemper impigrè varièque rem gerebant. Poſtremò ſtrenuè conſtanterque periclitando mortem oppetebant. Syracuſani etiam ipſi ſuperioribus victoriis elati pertinacius multo, acriuſque pugnabant, pericula ſine metu obeuntes. Demoſthenes, Menander, & Eutydemus Athenienſium duces bellum ciebant. Sicanus, Hermocrates, & Pythes Syracuſanos accendebant. Stabat in utroque littore inſtructa utriuſque peditatus acies, ut clamore, & præſentia ſuis faverent. Stabant & in mœnibus urbis, & locis prominentibus, velut e theatro liberi, uxores, affines, domeſtici, & cives omnes ad victoriam ſuos hortantes, & ſeſe ad Deos ſuos, ne ſe ſalute fraudarent, precibus convertentes.

Neque in tanto agmine ulla furoris, crudelitatis, ac miſerabilis caſus ſpecies abſuit, affectuſque contrà in lætitiam effuſi. Nonnullæ namque Syracuſanorum triremes ſub mœnia patriæ dimicando vi hoſtium pulſæ, dum defendere obnixè pergerent, diram ſuis pugnæ faciem, ac miſeranda ſub oculis ſpectacula præbuerant. Contrà verò Athenienſium quoque diſjici naves, trucidari milites, ſubmergi nautas, & plura hujuſmodi, quæ Mars ferus, Neptunuſque edebant, opera cum lætitia cernebant. Cæterùm cum aliquandiu ancipiti Marte dimicatum eſſet: a Syracuſanis Athenienſium agmen tandem in fugam vertitur: mox reliqui ordines, pòſt brevi tota acies inclinata, ac ſalutem in fuga ponere coacta, ad terram in exercitum pedeſtrem evadere properabant, quos Syracuſani victores inſequebantur. Per portus ſinum tabulæ navium, virorum arma, ac dilacerata paſſim corpora per ſummas undas variè fluitantia, velut ex ingenti naufragio, tempeſtateque disjecta conſpiciebantur. Sexaginta Athenienſium triremes eo conflictu diſſipatæ per fluctus ferebantur, Syracuſanorum viginti ad ſummum, quarum ſexdecim concurſu attritæ perierunt. Ariſton Corinthius Prætor præſtantiſſimus inter primos acerrimè dimicans victoria Syracuſanis relicta, miſerè interfectus occubuit.

Incerta pugna.

Athen. fugiūt.

Confecto prælio victores quotquot poterant triremes in terram ſubduxere: ſimulque ut civium, ſociorumque cadavera legerentur laboravere: quos publicis honoribus, ſepulchriſque recondi placuit. Reverſi deinde in urbem victoriæ monumentum trophæo impoſuere. Athenienſes e diverſo cladis magnitudine diffracti, neque ad bellum repetendum, ſed ad nocturnum, clandeſtinumque receſſum conſilia retulere. Quo in conventu Demoſthenes primus diſſolvendum ſeptum ſuaſit, dum laſſitudo, & fiducia ſimul per recentem triumphum ab ea cuſtodia Syracuſanos averteret. Triremes deinde milite, qui e clade ſuperfuerat, complendas, ac repente in Syracuſanam claſſem nondum ſedata ſtrage edomitam irrumpendum, fore, ut eo modo voti compotes proculdubio facti extra portum evaderent, atque Athenas liberi peterent. Niciæ conſilium ab hoc longè diverſum fuit, relinquendas prorſus naves, ac per mediterranea potius itinera ad ſocias urbes confugiendum, cui mox uno omnes ore aſſenſere. Quocirca nonnullis navibus incenſis ad profectionem quique cum feſtinatione ſe comparant.

Syracuſ. Trophæū erigūt.

Athen. diſcedere terra decernunt.

Id cum paſſim inter Syracuſanos jactaretur: Hermocrates cives hortatur, ut omnibus copiis noctu inſtructis extra urbem exeant, quaque fugituros Athenienſes arbitrarentur, vias, & itinera ubique omnia occupent, & inſidias collocent; cujus ſententiam cum Syracuſani non probaſſent, quòd magna eorum pars vulneribus curandis inſiſteret, & exercitus corpora ex certamine laſſa curaret; ipſe ſuorum ignaviam execratus rem ſine conſenſu ex ſe aggredi deliberat, equiteſque e ſuis quoſdam, velut ex his Athenienſium ſtudioſis, qui in urbe erant, & ab hominibus amicæ factionis excitos ad ſtationes hoſtium mittit, ut Niciæ, cæteriſque clam per noctem nuntient, ne ea nocte caſtra moveant: cum Syracuſani paſſim itinera, quibus ipſi profecturi eſſent, copiis, inſidiiſque repleverint, cunctaſque viarum oras occupaverint. Equites Hermocratis imperata prudenter, callideque ad Niciam ſuoſque perferunt, quibus illi facilè decepti a profectione ſuperſedentes, eam uſque in diem tertium differunt.

Hermocratis Syracuſ. Strategemma.

Interea Syracuſani & Gilippus cum primùm corporibus operam dediſſent, in diverſa loca ad itinera paſſim obſtruenda, rivorumque, & fluminum vada milites mittunt, pontes præterea amnibus ſuperſtructos reſcindi jubent. Deinde in Athenienſium naves impetu facto pleraſque ſubjecto igne combuſſere. Cæteras, quæ quinquaginta fuere, in ſuas ſtationes nemine prohibente juxta urbem protraxere. Nicias, & Demoſthenes triduo poſt navalem cladem elapſo, toto cum militum exercitu, qui ad quadraginta hominum millia fuerunt, motis caſtris tanquam e ſedibus patriis flentes, mœſtique in duas partes diviſi proficiſcuntur. Quarum uni cum veteranorum militum agmine, ſauciis, ægrotiſque & impedimentis omnibus in medio diſpoſitis Nicias, alteri cum ſuis copiis Demoſthenes præerat. Nihil in tantis cladibus ad eam diem acerbius Athenienſes viderunt, quàm cum inſepulta ſuorum cadavera deſerere, locoque, ad quem cum votis, ac canticis ſubigendum venerant, profugi abſque parentatione cedere cogerentur. Suum quoque cuique periculum in primis animo obverſabant; cum incerti quo tenderent, ne de vita quidem ſecuri eſſe poſſent.

Athen. caſtra movent.

Id verò longè triſtius, miſerationeque dignius ſpectaculum eſt viſum, quòd Nicias ipſe nondum ex adverſa valetudine ſatis firmus, ad famis uſque injuriam compelleretur; quam perferebat conſtantiſſimè, frontiſque hilaritate, ac comi ſalutatione dextera obvios etiam quoſque amplexatus calamitatis communis ſortem diſſimulabat. Atque ita cum Demoſthene, totoque exercitu Catanam verſus iter flectens, cum ad vada Anapi fluminis perveniſſent, inſtructam primùm Syracuſanorum cohortem obviam habent, quæ parvo negotio ſuperata, trajectuque fluvii potiti, ſuperatiſque equitibus Syracuſanis, leviſque armaturæ jaculatoribus, eo die quinque ferè paſſuum millia confecerunt, atque in tumulum quemdam natura munitum appulſi quieverunt. Die verò ſequenti ſub auroram itineri rurſus ſuccedunt, atque tribus paſſuum millibus emenſis ad campeſtrem quemdam locum colonis habitatum caſtrametati ſunt, ut ibi cibo, potuque reficerentur. Nam per ſiticuloſa quædam loca nonnihil eis eundum eſſe ſciebant.

A Syracuſanis petuntur.

Interea Syracuſani collem arduum, & utrinque præruptum, Euryclo dictum; cujus vertex Lepas appellatur; per quem iter facturi

erant

erant Athenienſes, præoccupant, atque tumultuariè muniunt. (5) Athenienſes poſtridie ſummo mane profectionem proſequuntur: ſed continuò a Syracuſanis equitibus, & jaculatoribus, quorum magnus erat numerus, utrinque obequitantibus, & jaculantibus ultra progredi prohibentur. Ubi aliquandiu cum hoſtibus fruſtra pro loco luctati in eadem rurſus caſtra, unde mane diſceſſerant, vel inviti rediere. Poſtera tamen luce rurſus inde diſcedunt, & magna vi ad collem Lepas perveniunt. Quem a Syracuſanis muro præcluſum, & pedeſtri ſcutatorum acie munitum cum inveniſſent, loci anguſtia animadverſa ſubeuntes, expugnare illum ſumma ope nitebantur. Verùm cum ex iniquo loco congrederentur, quàm facillimè a Syracuſanis, qui verticem poſſidebant, telis inde vibrantibus feriuntur, atque retrocedere coguntur.

Lepá tumulum fruſtra oppugnant.

Interea cum magna imbrium vis eſſet exorta, & tonitrua etiam horrendo ſonitu increbreſcerent, ea velut exitii ſibi præſagia pertimeſcentes, in eodem loco inſederunt. Ad quos Gilippus a tergo quo venerant, muro intercludendos copiarum partes emiſit; quem ipſi militibus e diverſo expeditis ab incepto impediere. Cæterùm cum ſequenti die motis caſtris Lepas aſcendere decreviſſent; eos Gilippus, & Syracuſani de improviſo adorti undique circumfundunt, pluresque ſauciant. Ipſi contrà, vim repellunt, & in poſtremos Syracuſanorum impetum faciunt, ac demum totum eorum agmen propellunt, & uſque in caſtra inſectantur. Porrò Nicias, & Demoſthenes cum omnes ſibi abeundi vias præcluſas viderent, Catanaque omnino prohiberentur, quo poſſent, non quo vellent, raptim agmen ducere ſtatuere. Noctu igitur multis per caſtra pyris accenſis in adverſam maris Siciliæ oram, quæ ad Camerinam, Gelam, aliaſque infeſtas civitates ſpectabat, iter ſilenti agmine convertunt: quanquam & nox, & per hoſticum, hoſteque victore non procul agente profectio trepidationem maximam, pavoremque per ipſam viam eis incuterent. Qui Niciam ſequebantur, ordinem obſervantes ad mare pervenerunt. Sed qui Demoſthenem, interrupti ſunt, quia ſolutis ordinibus, & a ſuis aberrantes pergebant. Prima tamen luce ad mare cum veniſſent, viam Elorinam ingreſſi, ad Cacyparim amnem, Yhalıblim hac ætate appellatum, appropinquant. Ubi quoſdam e Syracuſanis fluvii vada munitionibus, & vallo obſepientes offendunt. Sed illis victis fluvium trajecerunt.

Alia viâ ſeſe proripere ſtatuunt.

Trajecto amne, ad Erineum alium fluvium, qui Miranda hodie dicitur, proceſſerunt. Et jam Athenienſes Duce Nicia eo die obliquo itinere paſſuum millibus circiter viginti confecerant. Syracuſani, ubi illuxit, abiiſſe Athenienſes primùm cognoverunt. Plerique eorum, Gilippum proditionis inſimulabant, quòd conſcius illorum receſſus diſſimulaverit. Mox exploratis abeuntium per itinera veſtigiis inſiſtentes circa horam prandii in Demoſthenicos incidunt, qui tardius, & inordinatius incedebant: in eoſque ad locum arctum munitionibus circumdatum, viamque utrinque olivis conſitam, irruentes, circumquaque miſſilibus inceſſunt: neque enim comminus pugnare audent, qui de vita deſperaſſent. Sed ubi per arcta locorum eos toto die jaculis impetendo, feſſos, ſaucioſque, aliiſque inſuper ærumnis exauſtos conſpexere: Gilippus, & Syracuſani per præconem eis edicunt: ſi qui Siculorum ad ſe tranſire vellent, libertatem aſſecuturos. Tranſiere nonnulli, nec adeo multi: mox vita cæteris omni-

Caxipari fluvio trajecto ad Erineú intercipiuntur.

Demoſthen. milites ſe dedit. nibus, qui cum Demoſthene aderant promiſſa, omnium animi ſeſe ad deditionem inclinarunt. Itaque ad ſex millia e Demoſthenicis ſine armis, & pecuniis dediti ſunt miſſi. Scribit Plutarchus, Demoſthenem cum ſe undique hoſtibus circumſeptum vidiſſet, & nullam evadendi viam ſibi ſupereſſe, nudatum gladium ſibi in ſuum pectus adegiſſe; qui tamen eo vulnere non occubuerit: ſed ſtatim a Syracuſanis ſupervenientibus gladio e vulnere deducto vivum in hoſtium poteſtatem deveniſſe.

Nicias interea harum rerum ignarus cum ſuis flumen Erineum tranſgreſſus in edito quodam loco conſederat; quem victores ad Erineum mox inſecuti, caduceatorem ei mittunt, qui Demoſthenis, & ſuorum deditionem illi annuntient, idemque ipſum ut faciat, hortetur, ſi vivere illi eſſet in animo. *Nicias tranſigere cum hoſtibus poſtulat.* Quo nihil horum credente paciſcuntur, ut equitem ad explorandum expediat. Miſſus eques, & reverſus rem retulit. Qua comperta, Nicias Athenienſium nomine ſe tranſigere ſpondet: ſi toto cum exercitu liberum eum abire permitterent, ad belli impenſas Syracuſanis ſolvendas ſuos inducturum. Hac conditione rejecta, Gilippus, atque Syracuſani undique aggreſſi telis ad veſperum uſque petivere. Illi etſi commeatus aliorumque neceſſariorum inopia laborarent: ſervato tamen in noctis ſilentium diſcedendi animo arma ſumpſerunt, quæ quia eorum diſceſſus hoſtem non lateret, rurſus depoſuere præter trecentos, qui magna vi Syracuſanorum cuſtodiam pervadentes, quà potuerunt, noctu contendere. Nec minus poſtridie Syracuſani eodem, quo pridie modo jaculis, ſagittiſque progredientes undique laceſſivere: qui tamen ad Aſſinarum uſque fluvium, qui Falconara eſt hodie, inter tela ferientia feſtinando proceſſerunt tum potandi deſiderio, quo anxiè tenebantur, tum rati eo trajecto tutiorem habere abitionem.

Ad Aſſinarum flumen rurſus intercipitur. Ubi ad flumen pervenerunt, tumultuariè in illum procumbunt; nulloque ordine irrumpunt; cum quiſque primus tranſgredi fluvium ſatageret. Sed ingruentes Syracuſani difficilem, periculoſumque trajectum eis reddebant. Ibi namque confertim procurrendo invicem illapſi conculcabantur, atque inter ſe impliciti in aquas defluebant: ubi telis, & amnis impetiti peribant. Ex utraque præterea fluminis parte, cujus ripa præceps erat, ab hoſte ſuperſtante confeſtim occupati interficiebantur. Complures inſuper, propter ſitis, quam diu toleraverant, magnitudinem, quaſi furentes in cavum fluminis alveum, ſeſe præcipitabant, ibique & ipſi vitam profundebant. Inde miſerabilis ſanè rerum facies, cum plurimi vel cœnoſam, vel cruentam aquam, permixtumque aquæ commilitonum ſanguinem inter ipſa cadavera potabant. Tandemque decem & octo cæſis, ſeptemque captis millibus: Nicias ad Gilippi genua provolutus, ac deditionem faciens: Miſerere (inquit) victor. His verbis motus Gilippus apprehenſa dextera eum ſublevavit, lacrymantemque lacrymans & ipſe non ſine ingenti commiſeratione ſuſcepit: ſuiſque, quanquam ſerò tandem, ut a cædibus abſtineretur, imperavit. Deinde & cæteri, qui *Deditionē facit.* cædem evaſerant (quorum ad ſeptem millia erat numerus) traditis armis ſeſe quoque dedere compelluntur. (6)

Proinde Syracuſani parta tam memorabili victoria ingentes arbores, quæ plurimæ in ripa fluminis erant, captivorum ſpoliis exornarunt: duoque trophæa ſpoliis hoſtium Ducum circumamicta eodem loco erexerunt, ac ſubinde coronati omnes cum equis coronas

quo-

quoque geſtantibus, ſed hoſtium equis detonſis crinibus in urbem
triumphum ducentes redierunt: captivos verò omnes in Latomias,
veluti in tutiſſimam cuſtodiam conjecere. Tunc illico Diis ſuis ſa-
cra publicè ab univerſo populo fuere celebrata pro victoria: quæ
tanta fuit, ut ex ducentis Athenienſium triremibus, & ex quadra-
ginta, & eò amplius pugnantium millibus non ſolùm navis nulla
relicta fuerit, ſed ne nuntius quidem tantæ cladis evaſerit. Fuit au-
tem dies ille hujus victoriæ adeo fœlix Syracuſanis, quartus & vige-
ſimus ejus menſis, quem ea ætate ipſi Carnium, Metagethnionem
Athenienſes, Latini verò Majum appellant, ut Plutarchus prodit;
licèt Thucydides id anni tempus circa Autumnum rejicere videa-
tur. Euſebius verò a mundo condito annum ferme 4780. & ante
ſalutis annum 423. & poſt Urbem conditam 342. olympiadis autem
nonageſimæ tertium ſupputat.

Dies victoriæ Syracuſ. perpetuò ſolénis.

Porrò Syracurani poſt partam victoriam advocata concione ſta-
tuerunt, ut dies ille quotannis ſolemnis in memoriam tam inſignis
victoriæ, ac ſacer celebraretur, feſtumque a fluvii cognomine, Aſ-
ſinarium appellarunt. Subinde conſultatum eſt, quid de captivis cón-
ſtituendum eſſet. Ubi Diocles ſummæ authoritatis vir, & inter po-
puli principes facilè præſtantiſſimus protulit, Niciam, & Demoſthe-
nem virgis primùm verberatos, mox probris affectos ultimo ſuppli-
cio dedendos, & reliquam captivorum turbam per lapicidinas ad
lapides cædendos diſtribuendam. Athenienſium ſocios ſub haſta nu-
dis corporibus vendendos. Huic ſententiæ Eurycles Syracuſanus Præ-
tor, & populus plurimum aſſentiebantur. At Hermocrates decretum
hoc ut ſatis impium reprehendit, ſuaſitque illis ignoſcendum, quo
Syracuſanorum & victoria, & clementia pariter prædicaretur. Verùm
hæc ſententia a populo cum ſtrepitu repreſſa eſt. Nicolaus verò Sy-
racuſanus vir primarius, qui eo bello duos filios amiſerat, luculen-
tam pro Athenienſium liberatione orationem habuit. Gilippus tamen,
ſi Plutarcho credimus, Duces ſibi ad gloriam dari fruſtra popoſcit,
ſi autem Diodoro, quem maximè in hac hiſtoria ſumus imitati, im-
placabili in Athenienſes odio flagrans Duces necandos eſſe edixit: ne
eis ſervatis aliud quidquam adverſi, graviorisque periculi deinceps
ſibi contingeret, cui permota turba ſuo more aſſenſum præbuit.
Quare Nicias, & Demoſthenes, ut Philiſtus, qui huic bello & præ-
fuit, & interfuit, Thucydides, Diodorus, & Plutarchus referunt,
illico ad ſupplicium rapti necantur: licèt Timæus non fuiſſe eos a
Syracuſanis interfectos, ſed cum communi decreto id concluſum fu-
iſſet, Hermocrati nondum concione dimiſſa ad eos occidendos præ-
fecto occurriſſe carceris cuſtodem, ac retuliſſe illos ſibimet mortem
conſciviſſe, ſcribat.

Nicias & Demoſthen. morti addicuntur.

Eorum corpora ante fores carceris projecta diutius jacuere, ut
ea cuique aſpiciendi poteſtas fieret. Clypeus Niciæ auro, purpura-
que mira arte intexta ornatiſſimus Syracuſis in Jovis templo in ejus
victoriæ monumentum fuit repoſitus: qui ætate Plutarchi ibidem a-
dhuc viſebatur. Athenienſium ſocii ſub haſta loco prædæ fuerunt
venditi: Athenienſes per officinas lapidum diſtributi ſub cuſtodia
tenebantur in vinculis. Quorum pars, quicumque videlicet artem a-
liquam percalluerant, liberati: plures in vinculis, & carcere interi-
erunt. Nihil enim præter ordei duas, & unam aquæ cotylam, quæ
eſt menſuræ genus, ſingulis diebus in victum habebant, præter id,
quòd

Milites in latomiis incluſi.

Quorū aliqui evaſere.

quòd in loco depreſſo, & arcto ſub divo habitabant; ubi ſuis ipſi ſordibus vexati ſuffocabantur. Multi a cuſtodibus clam ſurrepti ad colendos agros dimiſſi; pleriſque abeundi facultas tacitè permiſſa; nonnulli quoque pro ſervis venditi ſunt, prius tamen equi charactere in fronte peruſti, & inſigniti. Quo non obſtante, ingenuitas, quam facies loquebatur, eorum pluribus fuit adjumento, nam empti vel a Dominis manumittebantur, vel pro liberis habebantur; aliqui etiam propter Eurypidem poetam ſalutem conſecuti ſunt; cujus præ cæteris græcorum poetis carmina Siculi admirabantur; qui & a captivis audita avidè perdiſcebant. Quæ quidam cum dominos docuiſſent, ab eiſdem mercedis loco libertatem conſequebantur. Nec deerant, qui poſt hanc pugnam per diverſa Siciliæ oppida diſperſi carminibus hujuſmodi decantandis victum conquirebant. Multi hac ratione captivorum Athenas reverſi Eurypidem ſalutatum veniebant, ſuis ſe carminibus libertatem conſecutos adjicientes.

Athenas perlata clades.

Tantæ Athenienſium apud Aſinarum cladis cum primus nuntius Athenas venit, vix fidem habuit, quouſque certi frequentioreſque alii nuntii rem omnem eo, quo geſta erat, ordine exponentes ſupervenere. Quod ubi ita eſſe conſtitit: tum demum pavor ingens, ac ſtupor civitatem invaſit ac ſi Athenæ urbs corruiſſet. Qua de re Eurypides tale ſuis edidit epigramma: Hi viri de Syracuſis victoriam octies reportarunt: donec utriſque Dii æqua ſorte propitii fuerunt. At verò non octies tantùm, ſed longè pluries Syracuſanos fuiſſe ab Athenienſibus ſuperatos reperiet, qui rectè ſupputaverit, antequam illis fortuna adverſaretur.

Syracuſa ad ſtatū populare reducta.

Diocles Legislator.

Porrò deinde populus Syracuſanus viribus, & animo elatus Rempublicam ad ſtatum popularem pertraxit: quem & legibus Diocles roboravit; inter quas & hæc commemoratur: Ne cui cum armis in forum, aut concionem prodire ſub capitis mulcta aliqua ex cauſa liceret. Cumque die quodam hoſtes in agrum irrupiſſe, ſeditionemque circa forum excitatam, nuntiatum eſſet, & ad eam compeſcendam gladio accinctus Diocles imprudenter in publicum prodiret, a quodam privato notatus, quòd leges ipſe ſuas, quas ediderat, tranſgreſſus fuiſſet, incuſanti edita voce reſpondit: utique per Jovem: ſed qui erravit, ſummota prorſus venia, pœna plectetur, ſtatimque ſtricto ferro de ſeipſo ſupplicium ſumpſit. (7)

1. Catanenſes cum Leontinis legatis, & ſuos miſiſſe Athenas ex Juſtino vidimus; hinc arma vireſque ſuas cum Selinuntinis, ac Gelois fuiſſe Syracuſanis pollicitos haud quidem credibile putaverim. Id Diodorus affirmat, ex quo Fazzellus; verum idem author ſub finem lib. XII. innuerat Leontinos re cum gentibus communicata, quibuscum amicitia, & cognatione adjuncti erant, communi decreto Athenienſes ad opem ferendam ſolicitaſſe. Quæ autem gens Leontinis, & ſanguinis neceſſitudine, & fœderibus conjunctior Catanenſibus? Ab his minimè receptos Athenienſes, quum primum Syracuſas adnavigarent Thucydides quidem ſcripſit, & cauſſam illico aperuit, quod Catanæ adeſſent, qui Syracuſarum partibus ſtudebant. Putaverim ergo ſubdolis verbis Syracuſanis legatis ſuppetias Catanenſes promiſiſſe, clam verò Athenienſibus auxilia ſpopondiſſe, quæ per legatos dudum obtulerant.

2. Hybla hæc Ærea, & Aera dicebatur, cujus ſitum aliorum opinionibus, noſtriſque conjecturis expenſis, Decade prima indicavimus,

Olym-

3. Olympium ubi memorat Livius lib. præſertim xx. Jovis id templum eſſe aſſerit, quod autem circa templum opidulum extiterit, non inficior, Polichnem appellatum, de quo inferius; ſub Olympii vero nomine nulli ex antiquis memoratur.

4. Quodnam hoc fuerit caſtellum ab Athenienſibus inexpugnatum conjectaris agens dixi Decadis primæ lib. 2. cap. 4. n. 13.

5. Collem arduum appellat hic Fazellus, quem Thucydides tumulum dixit; quiſnam porro is fuerit tumulus Lepas appellatus, inter noſtros non convenit. Aretius, Cluverius, & Mirabella cum Crimitis colle confundunt, ipſeque Fazellus malè Euriclum ſive Eurialum appellat. Bonannus in agro a pervetuſta Pyramide vulgo dicto ſtatuit, Crimitis enim mons, longe a via, qua Catanam verſus itur, diſſitus. Conſtat autem Athenienſes iter unum Catatanam verſus inſtituiſſe. Conſule quæ alibi dixi Decade prima.

6. Calliſtratis Empedi filii Athenienſium equitum ducis inſigne facinus Pauſanias in Achaicis refert. *Is inquit in Sicilia ad Aſſinarum amnem Athenienſium, & eorum qui ejus expeditionis ſocii fuerunt, copiis ad internicionem deletis, per medios hoſtes, equitibus, quibus erat ipſe Dux, viam fecit, ac deinde Catanam cum magna ſuorum parte incolumis elapſus, mox eâdem via Syracuſas pergens, eos opprimere conatus eſt, qui caſtra Athenienſium diripiebant. Ibi quinque ex hoſtium numero ceſis, ipſe equo ſaucio aliquot vulneribus lethalibus acceptis, parta & Athenienſibus, & ſibi inſigni gloria, ſervatiſque, quibus imperarat, equitibus mortem oppetiit.* Hæc Pauſanias.

7. Alii Charondæ Catanenſi, qui longe ante Dioclem vixit, & Chalcidenſibus leges tulit, id facinus adſcribunt. Videſis Mongitorium in ſua Bibliotheca Sicula, ubi de Diocle, & Charonda fuſe agit.

DE BELLO INTER SEGESTANOS, ET SELINUNTINOS, AC URBIUM SELINIS, ET HIMERÆ AB ANNIBALE DELETIONE.

CAPUT QUARTUM.

Selinuntini agros Segeſtanorū uſurpāt.

ATHENIENSIBUS in Sicilia deletis, Segeſtani, qui Athenienſium contra Syracuſanos ſocii fuerant, veriti, ne eorum, quæ contra Syracuſanos geſſerant, pœnas aliquando luerent; Selinuntinis, quibus Syracuſani erant fœderati, agros, ex quibus tam ingentis belli cauſæ fuerant enatæ, ultro cedunt. Qui cum agrorum plus quam in conventionem venerat, ſibi uſurpaſſent; Segeſtani Legatos ad Carthaginenſes mittunt, auxilium petunt, urbemque ſuam Pœnorum imperio deinceps ſubjiciendam pollicentur: dummodo contra Selinuntinos agrorum jus ſibi vendicent. Carthagine non ſine hæſitatione legatio audita eſt. Enimvero etſi Segeſtanorum imperium concupiſcerent, vel ob id, quod ea urbs bello contra Siciliam gerendo ſatis eis videbatur accommoda, Syracuſanorum tamen, quorum Selinuntii erant ſocii, potentiam pertimeſcebant, qua paulo ante tam ingens Athenienſium exercitus corruerat. At paulo poſt Senatus, populuſque Carthaginenſis mutato conſilio Segeſtanis contra Selinuntinos auxilia, & Annibalem bellicæ expeditionis ducem decrevere.

Segeſtani auxilia a Pœnis exorant.

Erat is Annibal Amilcaris, qui cum Gelone apud Himeram bello infœliciter geſto, trucidatus obierat, nepos. Giſconis verò, qui paterna clade apud Selinuntem exilio plexus interierat, filius. Annibal igitur cum his de cauſis vetus in Græcos Siculos odium concepiſſet, occaſionem vindictæ amplexus, egregium aliquod facinus, & patria dignum, & ſibi decorum contra Selinuntinos gerere ardebat. Sed priuſquam Segeſtam veniſſet, Carthagine ad Syracuſanos legatos miſit, qui eorum judicio agrorum controverſiam committerent. Quod eò fecit, quod animo jam præſumeret, Selinuntinos nullo pacto Syracuſanorum ſe judicio ſubmiſſuros: ideoque nec ſubſidia ab eis obtenturos ſperaret: prout eventu comprobatum eſt. Siquidem Selinuntini nullo pacto in arbitrium conſentientes, totis viribus quæ a Segeſtanis, & Carthaginenſibus proponebantur, perturbabant. Quocirca Syracuſani & amicitiæ jura, & Pœnis pacis fœdera ſervare conſtituunt. Legatis agrorum contentione non dirempta reverſis, Carthaginenſes ex Sicilia Lybicorum quinque millia, Campanorum verò, qui Chalcidenſium erant milites, octingentos Segeſtanis mittunt. Hos Campanos, cum Athenienſibus inutiles operas antè præſtitiſſent, quia poſt cladem tardè ſupervenerant, nullus ſupererat, qui eos mercede conduceret; eamque ob rem Carthaginenſes comparatis equis, pecuniaque data intra Segeſtam eos poſuerunt.

Annibal dux Pœnorum in Sicilia.

Pœnorū exercitus in Sicilia.

Selinuntini his auditis, cum ea tempeſtate potentes eſſent, urbemque hominibus refertam haberent, Segeſtanos deſpiciebant, & in eorum agros cum ſuis militibus quotidie prædatum incurrebant: qui cum ſparſim contemptu, & ſine ordine vagarentur: Segeſtani cum ſo-

Digitized by Google

ſociis occaſione arrepta armis inſtructi palantes hoſtes improviſo impetu adorti in fugam vertunt, omnemque eorum prædam, cæſis ex eis mille, recipiunt. Selinuntini ea clade attriti, a Syracuſanis per legatos ſuppetias petunt. Quo cognito Segeſtani, Carthaginenſes, auxilia ut accelerent, multis precibus ſollicitant. Cumque ambobus ab utriſque populis præſidium promitteretur, Carthaginenſes hunc Annibalem Giſconis filium cum ingenti claſſe Segeſtanis mittunt. Proinde Annibal ſine mora Africo permenſo mari, in Siciliam ad Lilybœum promontorium, ubi longo poſt tempore, ejuſdem nominis a Phœnicibus urbs eſt condita, cum claſſe (teſte Diodoro) applicat, militemque omnem nemine obſiſtente in terram exponit. Peditatus numerum ducenta, equitatus verò quatuor fuiſſe millia Ephorus ſcribit. Timæus verò centum dumtaxat armatorum millia in toto exercitu recenſet. *Añibal in Siciliã appellit.*

Annibal militibus exoneratas naves omnes in ſinum Motyæ urbis, portum Galli hodie non longè a Panormo, nominatum, ſtationem habere voluit, (1) quo Syracuſanis ob loci diſtantiam, ſe neque ad bellum eis movendum, neque Syracuſas verſus navigaturum ſignificaret. Deinde Segeſtanis, aliiſque ſociis ſcribit, ut conductos ei milites mittant. Quibus acceptis, a Lilybæo movens, Selinuntem verſus terreſtri itinere toto cum exercitu proficiſcitur. Cumque ad Mazarum fluvium perveniſſet, Emporium, oppidulumque, quod ad amnis hoſtium ſitum erat, ſtatim in deditionem accepit: author eſt Diodorus. Ad Selinuntem autem ipſam urbem, quæ ad paſſuum millia decem ſuccedit, cum poſtmodum appropinquaſſet, in duas partes exercitum diviſit, ac urbem obſidione cinxit, eamque deinde collocatis machinis oppugnare cœpit, atque ſumma vi urbis muros quatit. Sed cum Selinuntini magnis animis mœnia tuerentur, Annibal ſex ingentes ligneas turres effecit, ſuper quibus catenis alligatis arietes parietibus inhærentes impoſuit. Unde funditores, & jaculatores, qui in muris pro præſidio ſtabant, miſſilibus propulſabat, ejiciebatque. Selinuntini præter opinionem, atque ex improviſo a Carthaginenſibus hoc bello impetiti a defenſione ad admirationem convertuntur: quippe quòd cum in bello, quod Gelon contra eos apud Himeram geſſerat, ſoli ipſi præſidium Pœnis miſiſſent, nequaquam ab eis ad tantas rerum difficultates reduci timerent, a quibus maximam potius beneficiorum gratiam expectarent. Ea namque ſecuritate ducti, quæ ad obſidionem perferendam erant neceſſaria, minimè pararant. Cumque etiam obſidionis tolerandæ eſſent expertes, belli eorum tormentorum magnitudine, ac hoſtium multitudine perculſi, plurimùm formidabant; a deſperatione tamen abſtinebant tantiſper dum Syracuſanos, alioſque ſocios cum veterano militum apparatu propediem ſibi affore ſperarent. Sed ut viderunt Carthaginenſes occupandæ urbis ſpem pertinaciter cepiſſe, aut vincendum ſibi, aut moriendum cenſuere. Idcirco hi, quibus ætas robuſta erat, & ad pericula obeunda ſufficiens, magnis viribus molibuſque fortiter hoſtes propellebant. Proinde ſenes, & cætera imbecillis ætas, effætæque ætatis viri bello ad mortem uſque ſe offerunt: tantùm animorum, viriumque patriæ amor, & penatum conſpectus ſubminiſtrabat. Mulieres verò, pueri, & valetudinarii, quibus vel ætas immatura, vel ſexus huic oneri haud idoneus, vel corpus erat exile, muros ipſos circumeuntes ſagittas, lapides, cibos, aliaque neceſſaria abje-

Socios ſollicitat.

Selinũtẽ obſidione cingit.

Selinũtii fortiter obſiſtũt.

abjecto etiam dignitatis, & ſexus pudore, decertantibus deferebant, hortati continuè, ut hoſtes muris appropinquare nullo modo ſufferrent.

Annibal autem poſtquam militibus urbem in prædam, ſi vincerent, promiſiſſet, cum delectis virtute viris, vim augens debellabat, magnaque arietum vi mœnia concutit. Cumque turres ligneæ celſitudine ſua urbis muros ſuperarent, Pœni bellando plures Selinuntinorum occidebant. Inter hæc magna pars muri ſubruitur: cujus occaſione Campanorum pletique moti audax facinus aggrediuntur. Urbem namque ea, qua murus prolapſus eſt, confeſtim ingrediuntur: primoque impetu perterrefactis cuſtodibus victoriam in manibus habere arbitrabantur. Sed parum fœliciter eis ſucceſſit audacia: continuò namque univerſa civium acies laborantibus cuſtodibus auxilio affuit, Campanoſque per ruinas ingreſſos, qui in difficiles urbis partes inciderant, pluribus eorum occiſis, foras abegit. Adveſperaſcente, ceſſante prælio, obſeſſi expeditiores equites elegere, quorum alios Agrigentum, Gelam quoſdam, pleroſque Syracuſas deſtinant, qui præſentem opem labantibus jamjam rebus expoſcerent. Agrigentini, & Geloi cum paratis auxiliis Syracuſanos præſtolabantur: quò omnis ſimul ſociorum exercitus contra Carthaginenſes induceretur. At Syracuſani nuntio accepto, rati urbem obſideri quidem, ſed expugnari, & in prædam tam cito dari minimè poſſe (pace cum Catanenſibus, & cæteris Chalcidenſibus, cum quibus adhuc bella gerebant, firmata) ingentem militum apparatum, quo Selinuntinis opitulentur, inſtruunt. Sed in hoc militum delectu, multum temporis aſſumebatur.

Campani urbē invadunt.

A civibus pelluntur.

Annibal illuceſcente ex omni parte contractis viribus, nihil aut temporis, aut induſtriæ remittens, parvo labore, qua muri pars lapſa fuerat, alteram disjicit; difficile tamen erat eos, qui pro aris, pro focis, pro patria, pro liberis, pro uxoribus, ac demum pro ſalute certabant, ita prima fortuna ſuperare. Proinde aperta urbe prælium comminus geri cœpit, conſertiſque manibus magna hinc inde ſtrages committitur. Sed Carthaginenſes feſſis militibus novos ſubinde ſufficiebant. Selinuntini verò cum auxiliares adhuc ſocii non adveniſſent, iidem ſemper pugnabant. Et jam nonus obſidionis dies animorum ardore inſuperabilis illuxerat, quo Carthaginenſes magno impetu per ruinas urbis clamores feros, minaſque etiam ſævas iterantes irrumpunt. Quod ubi mulieres e tectis vident, ejulatibus omnia replent. Quibus auditis cuſtodes, urbem jam captam arbitrati, mœnia deſerunt, & ad anguſtos vicorum exitus, ubi commodius hoſtibus obſiſtant, ſeſe recipiunt. Sed Pœni magno niſu urbem ingrediuntur. Quibus ſtatim ardentiſſimis animis occurrerunt nonnulli, quos in patriæ occubitu diutius ſupereſſe tædebat. Sed & ſenes, & pueri, & mulieres e pinnaculis, ac domorum feneſtris lapidibus in hoſtes acriter ejectis, eorum plures interficiebant. Quo factum eſt, ut impedita quidem aliquandiu urbis expugnatio fuerit. Sed cum confertim ingrediendo cohortes increbreſcerent, civibus ex angiportibus, compitiſque viarum pulſis, cedentibuſque demum urbs capitur.

Annibal urbē premit.

Tandēque expugnat.

Capta urbe pium erat exaudire Græcorum ululatus vehementes; contraque orrendum, barbarorum elatos clamores, qui ad ſydera perſonabant, Selinuntinoſque præjacentis calamitatis aſpectu perterri-

ritos. Pœni porrò ſecunda fortuna elati in urbis perniciem ſe mutuò hortabantur. Itaque cum cives ad forum ſe conglobaſſent, ibidem acerrimè propugnantes, prævalentibus Carthaginenſibus occubuerunt. Barbari deinde ad prædam converſi, cives quotquot intra domos inveniebant concremabant. Sed & ii, qui ab anguſtiis viarum primùm impediebantur, patefactis per vim viis ingentem, ſævamque ſenum, & puerorum cædem, ac ſtragem effecerunt. Quorum cadaveribus truncatis, more patrio telis acutis, elatiſque affixa capita deferebant.

Ingens civium cedes.

Mulieribus, quæ ad Deorum templa confugerant, ſecumque filios impuberes, filiaſque detulerant, fides ab Annibale, ne trucidarentur, eſt præſtita. Nec verò id pietatis votum fuit: ſed ne mulieres ſalute deſperata & templa, & opes, quas ſecum rapuerant, quibuſque inhiabant, ſimul exurerent, templis parcebant, quæ poſtea diripere, & ſpoliare poſſent. Et jam nox imminebat: & urbis domus plures dirutæ, combuſtæ plurimæ: ſolum præterea urbis ſanguine madefactum, & cadaveribus refertum conſpiciebatur. Supra namque ſexdecim Selinuntinorum millia trucidata ex inventis cadaveribus deprehenſa, quinque verò millia in captivitatem redacta ſunt. Mulieres libertate privatæ, dum noctu cum barbaris unà morarentur, præter miſerias, ſervitutiſque grave jugum, contumelias, & opprobria ſupra humanam patientiam in ſe, ſuiſque filiabus ingenua venuſtate educatis tolerabant: eoque ac animo repetentes acerbiſſimam, quam in Africa toleraturæ erant ſervitutem, vitæ jam pertefæ fœlices eos cives judicabant, qui cum ipſa urbe mortem oppetierunt. Selinuntini, qui ante cladem urbe ceſſerant, cum ſe ad Agrigentum contuliſſent, humaniſſimè ſunt recepti.

Ceſi, & capti-vi.

Legati ad Annibalẽ pro Captivorũ redẽptione.

Capta jam urbe quatuor armatorum delectiſſimorum millia; qui a Syracuſanis in auxilium Selinuntinorum mittebantur, Agrigentum pervenerunt, qui ubi captam urbem, deletamque acceperunt, legatos ad Annibalem mittunt petentes, ut captivos pretio redimi liceret, & Deorum templa intacta, incorruptaque dimitteret. Annibal his reſpondit, Selinuntinos ſervitutem experiri oportere, qui libertatem aliis concedere neſcierunt: Deos verò iratos jam urbe ceſſiſſe, ideoque templa ſolo æquanda eſſe. Syracuſanis hoc reſponſo relato; Selinuntini, qui pro ſalute Agrigentum confugerant, legatum civem ſuum, cui Empedion erat nomen, ad Annibalem & ipſi mittunt, ut urbi jam deletæ poſtremò parceret. Erat Empedion patria Selinuntinus, ſed qui Carthaginenſium ſemper fuerat ſtudioſus: & qui ante obſidionem ſuos contribules, ne contra Carthaginenſes bellum ſuſciperent, fruſtra fuerat hortatus. Is igitur ad Annibalem profectus benignè ab eo habitus eſt, ſuoſque cognatos e carcere petitos liberaliter unà cum libertate donatos, recepit. Fortunas quoque ſuas, ſuorumque, ac prædia poſtulata recuperavit, quæ jam omnia per præconem publicum eo abſente ſervari, ne a militibus violarentur, Annibal edixerat. At cum rurſus templis tota Sicilia celeberrimis ut parceret, obnixè deprecaretur, non eſt exauditus: vel ob id, quod cum incolarum perfidia jam Deos & urbe & fanis diſceſſiſſe ſibi conſtaret, & in profanos uſus redigi ea lex non permitteret, jure demolienda cenſebantur. Demum ut urbem ſuam ſaltem inſtaurare ſibi liceret, magnis precibus poſcenti Annibal non abnuit: ea tamen lege, ut Selinuntinorum reliquiæ, quæ fuga ſibi ſalutem quæſiverant, ſoluto quotannis Pœnis tributo, ad urbem, agroſque colendos reverterentur,

Empedion Selinunt. ſuorũ impetrat libertatem.

Ut patriã inſtauret, obtinet.

An-

Annibal his geſtis, Giſconis genitoris abunde in Selinuntinis morte vindicata, ad ulciſcendam quoque Amilcaris avi mortem ſe convertit: eoque inſtituto cum omni militum apparatu, furoreque

Annibal ad Himerę perniciē movet.

terreſtri itinere contra Himeram, delendæ etiam illius animo proficiſcitur. Ubi igitur ad circumjectos agros pervenit, quadraginta hominum millia ſupra convalles non longè ab urbe locat, reliquum verò exercitum, ac viginti Siculorum, & Sicanorum millia circum urbem ponit. Subinde tormentis, machiniſque mœnia propulſat, marique continuò magna vi partem unam diruit. Adducta deinde ad muros maxima armatorum multitudine, Himerenſes ſumma violentia

Urbē obſidet.

laceſſebat. Poſt hæc & ſubterraneos cuniculos ſub urbis fundamentis adeo effodit, ut deſuper incumbentes muri ſuppoſitis trabibus ſuſtentarentur. Quibus paratis, injecto incendio magna pars urbis in voraginem collapſa eſt. Qua cum Carthaginenſes urbem ingredi niterentur, Himerenſes, quibus hinc liberorum, parentum, inde patriæ quoque periculum, extremumque fatum ante oculos verſabatur, nec jam ſpes ulla niſi in manibus erat, ſummo conatu hoſtem repellere, collapſaque mœnia reficere conabantur.

Cives Syracuſanorū auxilio hoſtes adoriūtur.

Interea Syracuſanorum, aliorumque ſociorum præſidia, quæ poſt cladem Selinuntinam apud Agrigentum adhuc erant, quibus Diocles Syracuſanus præerat, Himeram appropinquarunt. Quibus aucti Himerenſes, nequaquam ſe more Selinuntinorum circumcludi utile viſum eſt. Quo circa relictis ad muros cuſtodibus, milites, ſocioſque alios, quorum ad duodecim millia numerus aſcendebat, extra mœnia contra hoſtes educunt: atque ex improviſo barbaros nil tale metuentes adoriuntur. Quos partim loco pellunt, partim cedunt. Cumque paſſim barbarorum copiæ, quæ ſibi perſuadere non poterant eos, qui clauſi obſidebantur, in tantam audaciam aliquando abituros,

Quos pellunt, ac cedunt.

ut numero, & viribus longè inferiores contra tot armatorum millia inſtructiſſima erumperent, paſſim ſine ordine diſcurrerent otioſæ, Himerenſes impetu ſacto adeo eos turbant, ut alium alio impediente majorem ex ſeipſis cladem, quàm ex Himerenſibus reciperent; eoque repentino, atque inexpectato incurſu perculſi in fugam tandem converterentur. Quos illi veluti victos ſectati, maximaque eorum ſtrage edita, editis etiam vocibus, ne cuiquam parceretur, perſequebantur: adeo, ut Timæus ea pugna ſexdecim Carthaginenſium millia (etſi viginti recenſeat Ephorus) occubuiſſe tradat.

Annibal cum ſuos jam effuſos, fugatoſque, ac magna ex parte

Annibal ſuis auxiliatū veniens Himerenſes fugat.

cæſos conſpiceret, militum copias, quas non longè ab urbe ſupra convalles locaverat, in præſidium fugientium induxit, bellumque redintegrat; ubi acerrimè quidem utrinque pugnatur: ſed Himerenſium poſtea exercitus novo Carthaginenſium præſidio ſuperveniente concuſſus, in fugam convertitur: quorum tria tantùm millia inconcuſſa remanſerunt; qui ſtrenuè tandem pugnando omnes interiere. At cum dimicatio eodem die hìc finem accepiſſet: quinque & viginti triremes paulò ante ad Lacedæmoniorum auxilium a Syracuſanis miſſæ Himeram applicant, ſtatimque per urbem fama vagatur, Syracuſanos cum majori parte populi ad ſuppetias Himerenſibus ferendas propediem affuturos, Annibalemque cum triremibus omnibus,

Naves Syracuſanę Himeram applicāt.

quas apud Motyæ ſinum miſerat, delectis militibus refertas Syracuſas petere, quo civibus deſtitutam urbem invaderet, occuparetque. Quo audito Diocles, navium præfectis imperavit, ut confeſtim Syracuſas

cuſas navigarent, ne ex improviſo urbs interciperetur. Decretum quoque eſt, Himerenſium partem cum triremibus Meſſanam emitti, reliquos verò ad urbis præſidium remanere quouſque triremes reverterentur. Himerenſes audito ducum decreto, etſi iniquiſſimo (ut par erat) id ferrent animo: noctu tamen ſumma celeritate in triremes ſe recipiunt; Diocleſque ipſe conſpecta eorum, qui in pugna ceciderant, ſtrage, relicta Himera, Syracuſas etiam redire parat. Quem Himerenſes reſcito conſilio complures cum uxoribus, & liberis deſerta patria, quam propediem caſuram prævidebant, ſunt ſecuti. Ita Himera urbs cum pauciſſimo præſidio remanſit. Quam deinde Carthaginenſes rurſus circumſepiunt, ac magno belli ardore oppugnant. Obſeſſi etſi pauci, ardentiſſimis tamen animis patriam nocte fortiter, & inſomnes tutati, ſub auroram etiam contra hoſtes e mœnibus egreſſi prælium ſuſcepere.

Himerẽſes obſidẽtibus reſiſtunt.

Paucis poſt diebus cum triremes rediiſſent, videntes urbem ab hoſtibus concluſam, nec audentes militem in terram exponere, in proſpectu urbis ſtabant, ut ſic ſuis animum adderent. Sed Carthaginenſes victoria jam penè certa incitati, adeo bellum urgent, inſtantque oppugnationi, ut neque reſpirandi Himerenſibus tempus darent. Quo demum cives labore feſſi, defecere, atque mœnia magnis tormentorum ictibus concuſſa magna ex parte corruerunt. Carthaginenſes id videntes ſtatim magno impetu ex ea parte urbem turmatim ingrediuntur, in cives irruunt, & quotcumque obvios habent, trucidantes horrendam ſtragem faciunt. Annibal ut captam urbem, & ingentem cæſorum numerum, ac ſævam ſtragem, & cadavera paſſim per vicos, & domos jacentia conſpexit, a cæde ceſſationem militibus indixit, & ut vivi Himerenſes eorum fortunis victoribus conceſſis, capiantur ſub mulcta imperat.

Vrbs capitur ingẽti civium ſtrage.

Poſt hæc Deorum templa ornamentis, opibuſque ſpoliat, atque inde cives omnes, qui ad Deorum præſidia confugerant, eduxit. Demum appoſitis tota urbe lignis, & injecto domibus, & templis incendio, Himeram, ducentis & quadraginta, poſtquam fuit condita annis, (teſte Diodoro) combuſſit. Captivos, qui ad tria hominum millia fuerunt, quàm diligentiſſimè ab exercitu ſecerni, & cuſtodiri jubet. Quos omnes ad eum locum, in quo Amilcar ejus avus a Gelone occiſus fuerat, trucidari juſſit. Ita Himerenſibus interfectis, & urbe Himera combuſta, Annibal triremibus, & navibus onerariis, omni præda, in qua & Steſicori ſtatua, & Himeræ urbis forma, ac cætera ornamenta in honorem urbis, vel templorum, vel privatarum ædium affabre facta erant, ſuperimpoſitis, Carthaginem victor cum exercitu repetit. Cui ad urbem appulſo Senatus, & populus Carthaginenſium obviam factus ingentem honorem duarum urbium expugnatori, gloriæque publicæ reſtitutori debitum, exhibuit.

Igne abſumitur.

Annibal in Patriá redit.

Eodem ferme tempore Hermocrates Syracuſanæ claſſis præfectus, poſt Aſinariam Athenienſium cladem in Lacedæmoniorum auxilium contra Athenienſes miſſus ſuorum æmulatione Syracuſis expulſus eſt. Qui claſſe ducibus, quos ſibi Syracuſani ſuffecerant, ad Peloponneſum aſſignata, ad Pharnabazum Perſarum Regem ſe contulit, (a) a quo ingentem pecuniarum ſummam conſecutus, in Siciliam navigat. Meſſanam appulſus ſtatim triremes quinque fabricari fecit, eaſque militibus veteranis, Himerenſibuſque, qui poſt Himeram ab Annibale combuſtam extorres vagabantur, inſtructas, cum ex ſuorum

Hermocrates Syracuſ in patriá exul.

fa-

ſavore Syracuſas ſe conferre tentaſſet, fortunæ injuria fruſtratus per mediterranea Selinuntem parvo colono habitatam occupat, dirutique a Carthaginenſibus muri præcipuam partem refecit, ad quam deinde incolendam Selinuntinos, qui cladi ſupererant, undique convocat, collectiſque poſtea ex vicinis oppidis militibus, ſex millium armatorum exercitum comparat, cum quo Selini egreſſus Motyanorum agros depopulatus eſt. Quo cognito Motyani ſumptis armis ad prælium contra eum egrediuntur; a quo ſuperati turpiter intra mœnia revertuntur.

Selinuntem inſtaurat.

Superatis Motyanis Hermocrates Panormitanorum agros, fineſque Motyanis vicinos invadens vaſtavit, (3) ingentemque inde prædam abſtulit. Sed Panormitani magna manu coacta urbe egreſſi ipſum adoriuntur. Qui inito acri ante urbem certamine, cæſis Panormitanorum quingentis militibus, reliquos fudit, fugavitque, atque intra urbem compulit. Hac victoria elatus Hermocrates regionem omnem, quam Carthaginenſes paulò ante vi ſibi ſubegerant, eorum rejecto Imperio libertati reſtituit. Quibus geſtis magnum præclari Ducis nomen ſimul, & gratiam apud Siculos eſt adeptus. Syracuſani cum tot ejus egregia militiæ facinora audiſſent, pertæſi, quod contra virtutis merita ipſum exilio mulctaſſent, convocata concione de ejus in patriam reditu conſilium ineunt, cui populus facilè aſſenſit. Quo ille cognito, comparato majori exercitu ad Syracuſas redeundum ſe inſtruit. At cum eos, qui contra ſe ſententiam exilii dixerant, ſibi adhuc obſiſtere ſciret; ut inſigni facinore & illos ad ſe in urbem recipiendum flecteret, Himeram proficiſcitur: inveſtigatoque loco, quo Syracuſani cum Carthaginenſibus dimicando occubuerant, reperta diligenter eorum oſſa, & ſimul collecta ſuper ornatis quadrigis impoſuit, illaque ſecum Syracuſas detulit. Ubi memor legis, quæ exules ſimul cum civibus jungi ſub capitis mulcta inhibebat, ſuper colles non longè ab urbe caſtrametatus quoſdam præmiſit, qui cadaverum quadrigas in urbem introducerent. Quod eò fecit, ut in urbe perſpecta ejus in occiſos pro patria pietate, popularem ſibi favorem conciliaret; & Diocles, qui ſibi adverſabatur, quique cauſa fuerat, ut cæſorum corpora apud Himeram ſine ſepultura feris relicta jacerent, inviſus populo redderetur.

Panormitanos fundit.

In patriâ revocatur.

Hermocratis nuntii cum in urbem cadavera intuliſſent: magna inter cives ſeditio eſt exorta. Diocles etenim ne humarentur obſiſtebat, cujus ſententiæ complures aſſenſi ſunt. Syracuſani verò, concitato populo Diocli adverſabantur, & occiſorum oſſa ingenti honore excepere, magnaque pietate ſepulturæ dederunt. Dioclem verò, qui tanta humanitatis officia defunctis invidebat, Senatus conſulto extra patriam ejecerunt, non tamen Hermocratem introduxerunt. Verebantur enim ne cum primarius eſſet urbis, victoria rerum geſtarum elatus tirannidem occuparet. Ille verò cum adverſante ſibi Senatu in urbem ingredi non poſſet, re infecta Selinuntem regreſſus eſt. Ubi aliquandiu moratus. & urbe inſtaurata, ab amicis Syracuſas revocatus per agros Geloorum nocte intempeſta iter faciens ad ſtatutum ſibi locum cum tribus armatorum milibus pervenit. Deinde ad Acradinæ portam cum paucis appulſus reliquias exercitus, qui pedetentim ſequebatur, præſtolabatur.

Diocles illi adverſatur.

Qui idcirco exilio mulctatur.

Syracuſani ubi ejus adventum cognoverunt, vim timentes, in armis omnes conglobato ordine ad urbis forum ſe coegerunt. Deinde con-

Hermocr. Syracuſ. obſidet.

contra Hermocratem facto impetu erumpunt, ipſumque cum pluribus Selinuntinis ſociis adorti trucidant; reliquos verò ſui exercitus, *Occiditur.* quorum plurimi Syracuſani erant, in fugam vertunt, atque exilio mulctant. Sed cum illorum plures inter prœliandum gravibus vulneribus fuiſſent ſauciati: quorum Dionyſius Hermocratis gener; qui urbis poſtea Tyrannus effectus eſt (teſte Plutarcho) unus erat, ne populus ſæviens, ac furens ad eos interficiendos extra urbem exiret, callidè a ſuis pro mortuis, & parentationis officio, luctuque etiam ſimulato, tota urbe vulgati ſunt. (4)

1. Motyæ portus haud longè a Lilybęo, uti Decade prima ſcripſimus; male hioc ad portum Galli prope Panormum locatur. Subdit Author poſt pauca, Selinuntinos ſeſe præter opinionem hoc bello a Pœnis impetitos in admirationem fuiſſe converſos, ut qui in bello, quod apud Himeram Geloo contra eoſdem Carthaginenſes geſſit, præſidium ipſis miſerunt. Verùm memoriæ lapſu Fazellus minimè advertit, ſe ibi ſcripſiſſe, & quidem rectè, Soloentinos ſocialia arma contra Himeram cum Pœnis junxiſſe, non verò Selinuntinos, qui quum ex Græcorum fuerint genere, nuſquam Carthaginenſibus adhæſerè. Legitur in quibuſdam Diodori exemplaribus, Selinuntinos tunc auxiliatum ad Pœnos veniſſe, ſed mendum irrepſit; Soloentinos quippe fuiſſe conſtat Phęnicum colonos.

2. Pharnabazus Perſarum Satrapes erat, non Rex. Satrapæ apud Perſas Regni Magnates, ac præcipui, habebantur, uti ſatis conſtat. Perſarum tunc temporis Rex Darius Diodoro, ſub quo Pharnabazus maritimis imperabat.

3 Panormitanos agros Motyanis vicinos dixit Fazellus, quòd Motyam in Fœminarum inſula ſtatuit contra portum Galli, qui Panormi agris confinis.

4 Geſſiſſe per hæc tempora Athenienſes in Græcia cum Lacedæmoniis, & Megarenſibus bellum Diodorus enarrat; hiſque ſocios acceſſiſſe Siculorum aliquot refert, Syracuſanos videlicet, qui Lacedæmoniis, & Megarenſibus fœdere conjuncti, atque Athenienſibus infeſti.

Hactenus Fazellus ea retulit, quæ XIII. libri Siculi Diodori initio legit, ſive prima ejuſdem libri parte ad ejus uſque ætatem luci reddita; pars verò reliqua, quum nondum prodiiſſet, illi minime obſervata. Noſtrum igitur hic erit ea ſubdere, quæ ſequuntur, ac præcipuam Siculæ Hiſtoriæ partem conficiunt.

AUCTARIUM.

De Agrigentinæ Urbis per Carthaginienſes excidio.

Syracuſ. legati ad Carthagin.

Thermarum urbs condita.

OLympias nonageſima tertia agebatur, Antigene Athenis Archonte, Romæ L. Manio Æmilio, & C. Valerio Conſulibus, quum Syracuſani Legatos Carthaginem mittunt, qui de illatis Siciliæ damnis quærerentur, utque deinceps diſcordiarum ſeminibus diſſipatis ab armis inter utraſque gentes ceſſaretur, ſeriùs peterent. Legatis hiſce a Carthaginienſibus ambiguè reſponſum; interim quippe numeroſum cogunt exercitum, omnique ſtudio, ut totius Siciliæ urbes ſibi ſubjiciant, intendunt. Antequam verò copias in Inſulam tranſmitterent, ex Civibus aliiſque Afris delectu habito, novam ad calidas aquas prope Himeram in Sicilia urbem Therme vocatam condunt.

Annibal Dux.

Imilcon ejuſdē ſocius.

Delectus militū. & numerus

Inſequenti anno de ingenti exercitus apparatu decreto facto, Annibalem, qui Selinuntem, Himeramque ſubruerat, Imperatorem dicunt, eique totius belli adminiſtrationem tradunt. Hic ingraveſcentis prætextu ætatis quum ſe excuſaret, legatum Imilconem Hannonis filium ex eadem proſapia ortum, ſociumque accepit. Communi hinc conſilio duces magna pecuniæ vi ex Hiſpania, & Balearibus inſulis quamplurimos mercede milites conducunt, ex Lybia Afiorum, Pœnorumque delectum habent; a confœderatis item populis, & regibus Mauros, Numidaſque, & nonullos ex partibus ad Cyrenen diſſitis ad militiæ ſocietatem accerſunt; Tum Campanos ex Italia ſtipendiis invitatos in Africam deducunt; Hos enim magno ſibi uſui fore compertum habebant. Tandem ubi copiæ hinc inde conveniſſent, ad centum & viginti millia, ut Timæus refert, ut autem Ephorus numerat, millia tercenta recenſent; quæcumque ad trajiciendum exercitum requirerentur, præparant, triremeſque omnes inſtauraut, & onerarias pluſquam mille cogunt.

Naval. pugna inter Syrac. & Charthagin.

Syracuſ. ſocios adſciſcunt.

Hinc triremibus quadraginta in Siciliam præmiſſis Syracuſani haud ſegniter cum totidem navibus circa Erycem occurrunt, conſertoque prælio, quum diu acriter fuiſſet dimicatum, de Punicis xv. naves interiere, cæteræ per noctis tenebras in altum ſeſe ſubducentes evadunt. Qua quidem clade Carthaginem renunciata Annibal Imperator cum quinquaginta navium claſſe adnavigat, tum ut victoriæ uſum hoſtibus præriperet, tum ut tutiorem tranſitum uis pararet. Vulgata per inſulam Annibalis expeditione Siculæ omnes Civitates in ſolicitudine, ac metu non mediocri ſunt, deque rerũ ſumma inter ſeſe deliberant. Syracuſani cum primis ad ſocios in Italia, & ad Lacedæmones ſocietatem, & auxilia petitum legatos mittunt, perque epiſtolas huc illuc ad urbes ſingulas miſſas a primoribus efflagitant, ut ſuos ad commune certamen pro tuenda libertate ſtrenuè ſuſcipiendum exhortentur.

Agrigentini ad obſidionem ſe parant.

Agrigentini verò conſideratâ Carthaginienſium potentiâ, tantam belli molem ſibi omnium primis imminere ſuſpicantur, quare communi conſilio ut frumenta, frugeſque omnes, ac terræ fructus univerſi ex agris intra mœnia comportarentur, edicunt. Tempeſtate enim illa, & regio Agrigentina, ac urbs fœlici bonorum copia exuberabant; nam vineta illis erant amplitudinis ſpecioſæ, & amœnitatis eximiæ, maxima agri pars olivis conſita, unde uberrima rerum

co-

copia venumdatum Carthaginem aſportabatur. Summa hinc Civitatis opulentia efficiebat, ut tanto Agrigentini luxu diffluerent, quod paulo poſt, licèt exitiali obſidione premerentur, decreto tamen publico ſancirent, ne quis in excubiis pernoctans, pluſquam culcitram periſtoma, gauſape laneum, & duo cervicalia haberet. Quum hæc igitur duriſſima lecti ſternendi ratio ipſis fuerit, facilè hinc æſtimare licet, quantus in reliqua vita luxus invaluerit. *Illorũ luxus.*

Carthaginienſes ergo copiis in Siciliam expoſitis, in Agrigentìnos expeditionem moliuntur, ac bifariam caſtrametati Hiſpanos, & Afrorum manum ad quadraginta millia in collibus, reliquos non procul ab urbe profundâ foſsâ, ac vallo circumdatâ collocant. Initio autem per Legatos Agrigentinos ſolicitant, ut ſocietatem, & arma ſecum jungant, aut quieti a bello abſtinentes in amicitiam Carthaginienſibus copulentur. *Carthag. Agrigẽtũ obſidẽt.*

At quum neutra conditio ab oppidanis reciperetur, ad oppugnationem ſtrenuè proceditur. Agrigentini e contra armatis quibuſcumque per ætatem liceret, in ordinem digeſtis, alios in ſubſidiis ad ſuccedendum feſſis conſtituunt. Auxiliarem verò ipſis operam navabat Dexippus Lacedæmonius, qui recens a Gela mille quingentos externos milites duxerat; is enim ſub idem temporis Gelæ vitam agebat in magna propter patriam exiſtimatione habitus, rogatuſque ab Agrigentinis fuerat, ut militum delectu, quàm maximo poſſet, urbi auxiliatum properaret; mercenariam prætereà operam illis locabant Campani, qui cum Amilcare priùs militaverant numero ad octingentos, collemque urbi imminentem, quem Athenæum vocabant, commodo quidem ſitu tuebantur. *Dexippus Agrigẽtinis auxilio venit.*

Annibal interim, & Imilcar Pœnorum Duces exploratis urbis mœnibus, quum uno tantùm loco facilem eſſe irruptionem viderent, duas ſtupendæ magnitudinis turres illinc applicant, ac primo die ex his mœnia oppugnant, multiſque civium interfectis receptui cani jubent. Verùm inſequenti nocte opidani facta irruptione machinas incendunt. Annibal nihilominus diverſis in locis oppugnationem intentans, ſepulchra, quæ circa urbem erant, demoliri, atque ex eorum cæmentis ad muros uſque aggeres attollere jubet. Opus id continuò a tanta multitudine completur, ſed ingens tum religio exercitum invadit; Theronis quippe olim urbis tyranni monumentum repurgari cœptum, nonnullorum, qui tunc aderant, vatum providentiâ inhibetur. Mox peſtis atrox exercitum invadit, qua multi ſtatim intereunt, non pauci variis tormentis, ac miſeriis corripiuntur, ipſeque Annibal extinctus eſt. Quidam ad excubias præmiſſi ſpectra defunctorum ſe vidiſſe renunciant. *Carthag. Turres mœnibus applicant.* *Sepulchra diruunt.* *Peſte abſumũtur, qua & Añibal extinctus.*

Imilcar igitur Deorum formidine tactum vulgus advertens, primùm ab diruendis ſepulchris abſtinet; mox ritu patrio ſupplicationes Diis inſtituens, Saturno puerum mactat, Neptunoque Sacerdotum turmam in mare demergit. Nec tamen ab incœptis propterea deſiſtit, ſed fluvio prope urbem aggeribus ad mœnia uſque obſtructo, machinas ſtatim omnes admovet, urgetque de die in diem oppugnationem.

Syracuſani interea obſidione Agrigentinorum conſiderata, ne eamdem, quam nuper Selinuntini, ac Himerenſes fortunam experiantur, veriti, ad ferendum obſeſſis auxilium advolant, copiiſque ab Italia, & Meſſana coactis, Daphnæo Duce deſignato, ſummis iti- *Syracuſ. ſuppetias ferunt Daphnæo duce.*

neribus Agrigentum contendunt, Camerinenſes, ac Geloos, nonnulloſque ex mediterraneis accerſitos aſſumunt, nec non triginta navium claſſe juxta lictus adnavigante, hoſtibus ſeſe oſtentant. Numerabat Daphnæus plures quàm millia triginta peditum, equiteſque quinque millia. Imilcar explorato hoſtium adventu Iberos, & Campanos, & ex reliqua turba non minus quadraginta millia adverſum mittit.

Quibus Pœni occurrētes fūdūtur. Jamque Himeram flumen tranſgreſſis Syracuſanis Barbari occurrunt, collatiſque ſignis, cæſis utrinque compluribus, Syracuſanis tandem poſt longi temporis conflictum victoria ceſſit, qui hoſtium aciem fuſam, ac diſſipatam ad urbem uſque inſectantur. Ductor autem laxato ordine ſuos fugientibus inſtare cernens, vereri cœpit, ne cum reliquo prorumpens exercitu Imilcar, damnum repararet; ſimili enim caſu Himeræos ferè omnium jacturam feciſſe meminerat; receptui idcirco illos vocat.

Agrigētini in hoſtes irrūpere poſtulant. Barbaros porro in vicina Agrigenti caſtra fugâ dilapſos ubi milites oppidani cernunt, eorumdem cladem ſuſpicati, duces ut ſe educant, obteſtantur; jam opprimendi, delendique hoſtes tempus opportunum eſſe dictitantes. At illi ſive pecuniâ, ut vulgabatur, corrupti, ſive metu, ne deſertam interea urbem hoſtium incurſionibus exponerent, retracti, ſuos ab eruptione prohibuerunt, quo factum, ut *Sed a Præfectis prohibentur.* fugientes ſeſe tutos, incolumeſque in caſtra referrent. Daphnæus verò cum exercitu progreſſus in ſtationibus barbarorum pridem deſertis conſedit, ad quem milites ex oppido unà cum Dexippo accurrentes ad concionem extemplo proceſſere. Ibi omnes fremere, ac permoleſtè ferre, quod neglecta occaſione, de barbaris jam devictis non meritas ſtatim pœnas ſumpſiſſent, quodque Præfecti, quum eruptione ex urbe facta hoſtium copias facilè ad internicionem delere *Qui accuſati lapidibus obruuntur.* poſſent, illas impune dimiſiſſent. Tumultu igitur cum immani vociferatu per Concionem exorto, Manes Camerinenſis Ducis gerens munus in medium progreſſus Agrigentinos Præfectos accuſando tantopere omnium animos excivit, ut reis defendere ſe paratis nullus dicendi locus præberetur, correptiſque repente ſaxis, quatuor ex ipſis obruerentur; quintus verò Argeus nomine ob juvenilem ætatem dimiſſus fuit. Male etiam audiebat Dexippus Lacedæmonius; quòd cum imperio militibus & ipſe præfectus, ac rei militaris ſatis gnarus tam fœdè deliquiſſet.

Daphnæus hoſtes vexat. Concione dimiſſa Daphnæus copiis eductis caſtra Pœnorum obſidere nititur, ſed egregiè munita eadem cernens incœpto ſuperſedit quidem, ſed equitatu ſuo vias inſidens, & pabulatum exeuntes intercipiens, commeatuſque facultatem intercludens in magnas hoſtem anguſtias deduxit. Quum enim in aciem progredi minimè auderent, interimque ſummâ annonæ penuriâ laborarent, majorem in modum Pœni affligebantur, eorumque idcirco complures fames abſumpſit. *Quos etiā fames abſumit.* Campani ergo cum reliquis mercenariis concurſu ad Imilcaris prætorium facto ſtatutam frumenti menſuram expoſcunt, quæ ſi negetur, ad hoſtes ſe tranſire minitantur. At Imilcar per indicium *Imilcaris cōſiliū de comeatu itercipiēdo.* transfugæ cujuſdam edoctus Syracuſanos magnam frumenti vim Agrigentum navibus deportare; quòd hæc ſpes unicè ſupereſſet, Campanis perſuaſit, ut paucos ſeſe dies continerent, militumque ſuorum ad majorem rei fidem pocula pignori tradidit. Tum ex Panormo, & Motya triremibus quadraginta evocatis inſidias commeatum advehentibus ſtruit.

Syra-

Syracuſani interim nihil periculi a Carthaginienſibus, quòd jam pridem maris Imperio ceſſiſſent, metuebant; dum itaque incautius adnavigant, Imilcar cum claſſe occurrens ſtatim longas naves octo deprimit, cæteraſque ad litus uſque fugat, quibus omnibus in poteſtatem redactis, adeo ſpes utriuſque partis commutavit, ut Campani Agrigentinorum ſocii, rebus Græcorum deſperatis, quindecim talentis ſe corrumpendos darent, & in Carthaginienſium partes tranſirent. Enimvero Agrigentini ſub obſidionis principium, quum hoſtium res non ſatis proſperè ſuccederent, frumento, cæteriſque rebus ad victum neceſſariis liberiùs, ac profuſiùs fuerant uſi, ac ubi Barbarorum ſpes, denuo ſe erigere cœpit, tot millibus in unum opidum coactis fruges vix ſufficere cœperunt. Dexippum quoque ajunt quindecim talentis fuiſſe corruptum; Hinc ſtatim Italicorum ducibus edixit præſtare, bellum alio loco geri, hìc enim deficere alimenta. Idcirco quum Italici prætextum commenti, quaſi definitum ſui magiſtratus tempus jam eſſet elapſum, copias ſuas ad Fretum abducunt. *Naves Syrac. deprimit.* *Cápani Agrig. ad hoſtes trâſeunt.* *Itali ſimiliter diſcedunt.*

Poſt horum diſceſſum Imperatores cum præfectis, tribuniſque congreſſi, quidquid in urbe ſupereſſet alimoniæ exquirunt, & ubi exigua remanere comperiunt, urbis deſerendæ neceſſitatem ingruere ſibi vident, proximaque nocte univerſos ad diſceſſum cives expeditos eſſe jubent. Quum tanta igitur virorum, mulierum, ac puerorum turba ad emigrationem ſeſe accingeret, per omnes ubique ædes miſerabilis lamentatio, & immodicus erat fletus; dum inde hoſtium terror percellit, inde chariſſimarum facultatum cura angit, quas raptim excedendo barbarorum direptioni relinquerent. Sed tamen quum tantam bonorum copiam a fortuna ſibi adimi viderent, boni conſulendum eſſe ducebant, ſi corpora dumtaxat ab interitu vindicarent. Tum verò non innumeras tam magnificæ urbis fortunas, ſed magnam quoque mortalium turbam relinqui cernere dabatur; nam corporum debilitate afflictos a domeſticis ſuis negligi, dum ſuę quiſque ſaluti proſpicit, multi ætate provectiores ob ſenectutis infirmitatem relinqui videbantur. Nec pauci mortem e patria diſceſſui anteponentes ſibi ipſis manus inferebant, ut cum domibus unà paternis animam efflarent. Multitudinem tamen ex urbe properantem milites cum armis Gelam deduxere. Omnis igitur via, omniſque regio Gelam verſus ducens promiſcua fœminarum, & puerorum multitudine complebatur, quos inter virgines conſuetis vitæ deliciis cum itineris labore commutatis, patienter omnia, animos metu excutiente ſufferebant. Hæc igitur profugarum turba incolumis Gelam pervenit, & Leontinorum deinceps urbem, Syracuſanorum beneficio inhabitandam accepit. *Cives & ipſi diſceſſioné parant.* *Gelā profugiunt.*

Imilcar verò non abſque metu intromiſſis in urbem copiis, quotquot ibi relictos offendit, prope omnes interemit, illiſque, qui intra templa confugerant, ab aris etiam abſtractis, immaniter contrucidatis. Ibi Gellias, de quo Decade prima, qui opum magnificentia, & vitæ integritate populares anteibat, eumdem cum patria interitum expertus eſſe dicitur. Perfugio enim in Minervæ templum ſalutem ſibi cum ſociis tueri volebat, Pœnos a ſanguinaria in Deos crudelitate ſibi ſperans temperaturos; At ubi nefandam hominum impietatem vidit, ignem templo ſubjecit, & unà cum ſacris Deorum opibus conflagravit; uno facinore tribus ſe malis occurſurum ratus, ho- *Imilcar civiū reliquias cōſicit.* *Gellias Dianę téplū, incédio cōſumit.*

hoſtium impietati in Deos, magnarum illic opum rapinis; ac contumeliæ ſuo corpori inferendæ. Domibus itaque Sacris, ac profanis *Spoliatur urbe opulentiſſima.* accurata inquiſitione ſpoliatis tantùm ex præda emolumenti Imilcar contraxit, quantùm facile æſtimari poteſt urbem ab civibus bis centum mille habitatam, & nuſquam a primordiis ſuis direptam, omnium denique Græcarum urbium tunc opulentiſſimam poſſediſſe, præſertim quum cives miro elegantiæ ſtudio in quorumvis operum magnificentiam incumberent. Quamplures enim Picturas ſummo artificio elaboratas, & Statuas omnis generis ſingulari ingenio fabricatas infinito prope numero victor invenit. Et pretioſiſſima quidem Car- *Inter quæ Phalaridis Taurus.* thaginem miſit, inter quæ Phalaridis etiam Taurus erat; prædam verò cæteram ſub haſta vendendam curavit.

Quum porro poſt menſium octo obſidionem Imilcar paulo ante hybernam ſolis converſionem urbe potitus eſſet, non ſtatim illam evertit, ut militibus hyemare in ædibus daret. Hac tunc Agrigenti clade divulgata, tantus repente terror inſulam invaſit univerſam, ut Siculorum pars Syracuſas commigraret, pars in Italiam liberos, fortunas, uxores transferrent. Huc uſque Diodorus de Agrigenti excidio, cujus ipſiſſima pene verba uſurpavimus.

FR. THOMÆ FAZELLI SICULI,

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE REBUS SICULIS.

POSTERIORIS DECADIS

LIBER TERTIUS.

DE DIONYSIO SENIORI.

CAPUT PRIMUM.

SYracuſani poſtquam a Thraſybuli ejectione ſexaginta ferme annos libertate ſunt potiti, quia nimis intemperanter ea ſunt abuſi, Romæ conſulari imperio Tribunis Militaribus Rempublicam regentibus, Anno urbis conditæ circiter 357. in Tyrannidem Dionyſii inciderunt. Nam cum inſatiabili libertatis amore ducerentur, beatè ſibi vivere videbantur, libidine, ac luxu diſſoluti dominantes. Et cum nulli jus æquè diceati ſubeſſent, ſed in omnibus eſſent liberi, plures ante Dionyſium præfectos abſque lege aliqua depoſuerunt, profligaveruntque. Servitus enim, ac libertas, ſi modum ſervent, utraque bona, ſi excedant, mala. Ea igitur cauſa, Syracuſæ urbs in tyrannidem corruit. Fuit Dionyſius (teſte Plutarcho) Hermocrate Patre, & Hermone Avo, honeſtis, boniſque parentibus, in Tuſcul. Cicerone Authore, & Syracuſis genitus; etſi Ariſtoteles, & plerique alii plebejum, ac popularem ipſum fuiſſe memoriæ prodiderint. *Syracuſ. libertate abutuntur.* *Dionyſii parentes, & genus.*

Porro Principatum ejus præſagia multa anteceſſerunt. Mater namque ejus cum prægnans eum alvo contineret, ſomniavit ſe peperiſſe Satyriſcum, ut Philiſtus Syracuſanus temporum ejus æqualis ſcriptum reliquit. Somniorum interpretes, qui eo tempore Gallicę, ſive Galeotæ in Sicilia nominabantur, conſulti matri reſponderunt, eum, quem peperiſſet, clariſſimum Græciæ diuturna cum fortuna virum, potentiſſimumque futurum. Mulier etiam quædam Syracuſana, cui Himera erat nomen, genere clara, paulo ante imperium occupatum dum quieſceret, videre ſibi viſa eſt cęlum conſcendere, atque Ducem ſibi datum, per quem cœli regiones pervagaretur. Cumque ad Jovem eſſet introducta, ſub ejus pedibus juvenis flavi coloris, lentiginoſique oris catenis vinctus ferreis ei apparuit. Cumque Ducem interrogaſſet, quiſnam is eſſet; Siciliæ illum, atque Italiæ dirum fatum, ſolutumque compedibus multis urbibus exitio furorum audivit. *De eo ſomnia.*

Interjectis deinde aliquot annis, cum Dionyſius Rex creatus eſſet, civeſque extra mœnia ex officio ei obviam prodirent, atque inter hos matronæ complures Diis ſuis ſupplicationes facerent, inter eas Himera, ut Tyrannum civitatem ingredientem vidit, voce protinus edita clamavit: Hunc illum eſſe Juvenem, quem in ſomnis per quietem viderat. Cujus dicto Dionyſius cognito, eam tolli de medio juſſit. Tribuni præterea cum per literas ſortirentur, eſſetque Dionyſius inſortitus; dicente quodam: repulſam habuiſti inſane Dionyſi: reſpondiſſe fertur: Princeps ſolus ero. Eodem tendit & id, quod

quod de eo refert Plutarchus, quòd cum Syracuſis mos eſſet vetuſtus, ut concionaturi literarum notis, quæ ſortes dicebantur, deſignarentur, ubi qui literam ſuam adeptus eſſet, concionandi ad populum facultatem conſequebatur, Dionyſius in concionem proditurus per literam. M. concionis habendæ jus ſortitus ſit. Quam cum cavillatores morologiam, hoc eſt fatuam, inſulſamque loquacitatem eſſent interpretati: ipſe eludens ſcomma, ſimulque ad ſortis literam alludens, Monarchico dixit potiemur Principatu. Sicuti obvenit. Etenim non ita multo poſt habitam concionem temporis ſpatio Prætor a Syracuſanis eſt deſignatus, qui fuit ad tyrannidis gradus peraccommodus. Eum namque Carthaginenſibus Siciliam invadentibus, Syracuſani, cum illuſtre in re bellica eo tempore haberet nomen, rerum ſummæ præfecerunt. Erat ſiquidem manu promptus, & fortis, & rei militaris Dux ſimul, & miles peritiſſimus, ſummâ in victu temperantia: in rebus gerendis acer, & induſtrius: & quod in ea fortuna perrarum eſt, minimè libidinoſus, neque avarus; nullius denique rei cupidus, præterquàm ſingularis, perpetuique imperii.

Ejus Tyrannis variè prænunciata.

Dionyſii dotes eximiæ.

Porro principium tentandæ tyrannidis paulò altiori repetendum eſt initio. (1) Primùm omnium, ex quo tempore bellum Carthaginenſe geſtum eſt, Siciliæ familia una continuè ex decreto Syracuſanorum publicis rebus præerat, quam Rempublicam appellabant. Sed cum deinde a Carthaginenſibus preſſi, Syracuſæ urbs cum univerſa Sicilia in extremum diſcrimen veniſſet, Dionyſium juvenem quidem ſtrenuum, cujus jam virtus vulgata erat, militibus, ac rebus bellicis, Hipparinum verò, utpote ſeniorem conſilio præeſſe voluerunt, penes quos totius Siciliæ ſalus verſabatur. Dionyſius igitur contra Carthaginenſes profectus non multo negotio illos ſuperavit, profligavitque. Repulſis Carthaginenſibus, & ſalute Siciliæ parta, invadendi imperii occaſionem hac via nactus eſt. Electos etenim ante eum a Syracuſanis exercitus Duces, (qui decem fuerant) cum contra Carthaginenſes malè ſe geſſiſſent, vocato ad concionem populo, ut patriæ proditores accuſat. Sed cum Magiſtratus acriter eum increpuiſſet, Philiſtus vir ſummæ authoritatis, & opulentiæ, illi e contrario favit, ac palàm loquendi facultatem dedit. Quo Dionyſius roboratus, elata voce populorum animos contra Duces exercitus concitabat, quòd pecuniâ corrupti Agrigentinos Carthaginenſibus prodidiſſent. Inſectatus eſt & Daphnæum virum inſignem, alioſque civitatis præpotentes, ac principes viros, ut in Politicis refert Ariſtoteles. Quocirca cum contra primores urbis inimicitias ſuſcepiſſet, populi ſtudioſiſſimus, & ſolus dignus, cui principatus crederetur, judicatus eſt.

Ejus tyrannidis initia.

Carthagin. fugat, & ſuperat.

Plebi ſtudet, viros principes odit.

Gelois præterea cum apud Syracuſanos plurimùm commendaretur, & ipſe quoque Syracuſanos pleroſque ab exilio revocaſſet; ab omni populo eſt acclamatum, ſolum Dionyſium Syracuſani exercitus Ducem extemplo eligendum; neque diutius id eſſe differendum. Inclinatis igitur repente in pejorem partem (ut ſæpenumero fit) plebis animis, totius exercitus ſumma cum poteſtate domi, foriſque jura dandi præfectura Dionyſio datur, & Prætor conſtituitur. Initio magiſtratus, quo exercitum ad ſe inclinaret, ſuique ſtudioſum faceret, militibus duplex dari ſtipendium inſtituit. Quo plerique viſo ſuſpitionem futuri mali non mediocrem conceperunt. Quibus Dionyſius hæc reſciens, ſe purgaturus, palàm reſpondit, idcirco ſe ſtipendium auxiſſe, ut milites ad præliandum promptiores red-

Cuſtodes corporis poſtulat.

redderentur, atque ita primo facinore velato, mox pro militibus ſui corporis cuſtodibus habendis plebem ſolicitavit.

Contra Leontinos movet.

Sed cum Syracuſis, complures ſibi in petitione adverſantes haberet; jubet, ut omnes ab exacta pubertate ad annum uſque quadrageſimum ſecum arma ſumant, & contra Leontinum urbem exeant, ratus paucos ex contradictoribus ſecum profectionem ſuſcepturos. Exulum itaque, militumque ſuffragantium copiis inſtructus contra Leontinum pergit: ibique re benè geſta, partàque victorià paratam contra ſe proditionem ſimulat, eamque primùm per ſervos, & præcones per caſtra diſpergit: dein vocata multitudine, palamque ſuo more concionantis in modum per infernas obteſtationes apud populum agit, ut ſexcenti milites pro arbitrio eligendi ad ſui corporis cuſtodiam ſibi decernantur. Et licèt quibuſdam (teſte Ariſtotele) viſum ſit, ei tot cuſtodes dari, quot populi potentiam ſubjicere nequirent: pervicit tamen, ut ſexcentos milites ſibi deligere poſſet, Piſiſtratum Athenienſem imitatus, qui ſimili commento tyrannidem occupavit. Satellitum itaque agmine ſtipatus Syracuſas revertitur: mox arcem, ubi naves ſubducuntur, tutior ut eſſet, ſibi, populi conſenſu occupat. Tum demum re patefacta quinque tantùm & viginti natus annos ſuperbo dominatu Syracuſas urbem, & patriam invadit, ſibique ſubjicit.

Cuſtodes obtinet, ac Tyrannidem invadit.

Adjutus maximè ad id fuit Hipparini Syracuſani viri primarii patrocinio. Is namque cum paupertate premeretur, & fruſtra magiſtratum ambiret, ei ad tyrannidem & animos auxit, & ſuffragio etiam fuit. Scribit Philiſtus, eum paulò ante quàm tyrannidem occupaſſet, ut aliquo oſtento rem futuram præſciret, equum in cœnum projeciſſe: qui ſtatim inde erectus cum apum examine jubæ inhærente, Domini veſtigia fuit ſecutus. Quo viſo Dionyſius: tuto rem aggrediamur, inquit, nam voti compotes erimus, & ita in inſtituto animum firmavit. Philiſtus quoque non inutilem ei operam in eo præſtitit: qua gratia Dionyſius eum arcis cuſtodiæ diu Præfectum inſtituit. Quem poſtea firmato imperio, cum rumor eſſet, rem habere cum Dionyſii matre, idque Dionyſium non lateret, e Sicilia expulit, quo vivente in Siciliam nunquam eſt reverſus.

Philiſtus eidē adhæret.

Porro poſt urbis imperium occupatum ſtatim Hermocratis nobiliſſimi viri filiam uxorem duxit: ſororemque ſuam, cui Reſcha erat nomen, Hermocratis fratri Polyxeno connubio junxit. (2) Id autem fecit, ut nobilitatis ſtemmata ad tyrannidem ſibi perpetuandam non deeſſent. Cæterum initio principatus vix ſatis firmata tyrannide, Syracuſani complures ab eo defecere: qui in domum ejus ditiſſimam irruentes omnia prædabantur, ejuſque uxorem gravibus, ac nequiſſimis ludibriis affectam ad violatam uſque pudicitiam laceſſere, quæ in deſperationem verſa mortem ſibi ipſa manu pro tuendo pudore conſcivit. (3) Eas porro Injurias Dionyſius non paſſus inultas interfectis ſeditionis, & ſceleris authoribus, ne in poſterum ſimile quidquam ſibi iterum metuendum eſſet, omnes, quos pro adverſariis habebat, præſertim verò Daphnæum, & Demarathæum, pluresque alios potentiores trucidavit. Quæſivit & Polixenum ſibi jam ob tyrannidem factum infenſiſſimum de medio tollere. Sed ille ejus metu Sicilià diſceſſit. Quo cognito Dionyſius accitam ſororem Incuſare cœpit: quòd fugæ Polixeni viri conſcia nihil ſibi denuntiaſſet. Cui illa omnis pavoris expers: Adeo ne (inquit) Dionyſi vilis & ab-

Uxorem ducit nobiliſſimam.

Potētiores trucidat.

jecta, & virilitatis indiga tibi viſa ſum mulier, ut ſi conjugis mei fugam ipſa præſciſſem, ejuſdem navigationis comes, & fortunæ participes eſſe noluiſſem? An non ante habui, quod mihi ſatius extitiſſet Polixeni exultantis uxorem, quàm tui dominantis ſororem appellari? Hæc cum ingenuè, & egregia quadam licentia Teſcha protuliſſet, admiratum ferunt Dionyſium, admiratoſque Syracuſanos tantam in muliere animi fortitudinem, virtutemque uſque adeo fuiſſe, ut poſt deſtructam etiam tyrannidem regali more Syracuſani eam colere perſeveraverint; & defunctæ poſtea funus honore publico fuerint proſecuti.

Teſchæ ſororis in eũ objurgatio.

Dionyſius demortua conjuge duas ſimul uxores duxit, Locridem unam, cui nomen erat Dorida, & Ariſtomachen alteram Hipparini filiam, & Dionis ſororem, ut Cicero refert. Ex Dorida tres habuit filios. Quorum natu maximus Dionyſius fuit, qui ei in Imperio ſucceſſit. Ariſtomache diu ſterilis tandem quatuor filios genuit, duos mares, ac totidem fœminas: maribus Narſæus, & Hipparinus, fœminis Sophroſina, & Areta fuerunt nomina, ut Plutarchus in Dione ſcribit. Sophroſinam Dionyſio filio nuptui dedit, & Aretam Thearidi fratri, & eo mortuo Dioni deſpondit.

Dionyſii filii.

Dionyſii Tyrannidis plura apud veteres leguntur monumenta. Fratrem habebat Dionyſius Leptinem nomine: qui cum Siciliæ ſitum vellet in terra deſignare, a ſtipatorum uno ſpiculum mutuò accepit, eoque regionem deſcripſit. Quod cum reſciſſet Dionyſius, ipſum graviter objurgavit, quòd lanceam accepiſſet; jam enim omnibus armorum uſus ab eo interdictus erat: ſtipatorem verò, qui ei ſpiculum mutuarat, occidit. Marſiam quendam ſibi præ cæteris charum, & ad ſumma quæque evectum, eâ ſolùm causâ interemit, quia is per quietem jugulare ſe Dionyſium ſomniaverat. Arbitratus eſt enim Tyrannus, quòd ex diuturna cogitatione, ac conſilio, hoc per quietem vidiſſet.

Ejus facinora.

Eo tempore, cum Plato ſive ad crateres explorandos, ut plerique ſcribunt, ſive ex Tarento, quò nuper venerat, ad Dionem cum Dionyſii venia Syracuſas accerſitus in Siciliam veniſſet, Syracuſanis tanquam numen aliquod libertatis initium afferens apparuit. Hominis doctrinam Dion admiratus ſe illi adjunxit. Sub quo brevi tempore tantum in philoſophiæ documentis, ac cæteris ſcientiis liberalibus profecit, ut cunctos Platonis diſcipulos longè antecelluerit: adeo, ut præceptor ipſe diſcipulum maximè admiraretur. Dion ubi Platonem, & ejus philoſophiam deguſtavit, deſiderans, ut idem Dionyſio obtingeret, effecit, ut differentem eum audiret, & cum eo per otium familiariter verſaretur. Inter quos ibi de ſumma hominis virtute, & præſertim de fortitudine diſputatum eſt: & inter cætera optimis rationibus mortales omnes longè fortiores eſſe, quàm Tyrannos oſtendit: beatiſſimam quoque juſtorum eſſe vitam, calamitoſiſſimam verò Tyrannorum: neque id præſtare homini, quod ſibi ſoli eſſet utile, niſi virtute quoque excelleret: offenſum Dionyſium reſpondiſſe ferunt: verba tua otioſorum ſenum ſunt: & tua (inquit Plato) Tyrannidem ſapiunt. Qua audacia indignatus Dionyſius eum perdere voluit: ſed repreſſus a Dione, & Ariſtomache, Polidi Lacedæmoni, qui per id tempus Legatus ad ſe venerat, vitâ donatum, ut in Ægina eum venumdaret, tradidit. Ubi venditus, ac deinde ab Amicerio Cyrenaico philoſopho viginti, licèt triginta quidam numerent, mi-

Plato apud Syracuſas, cui Dion adhæret.

Platonis cum Dionyſio congreſſus.

minis redemptus eſt, quem Athenas ad ſuos ſtatim liberum remiſit. Sed non multo poſt Amicerio ab amicis Platonis pecuniæ ſunt reſtitutæ.

Firmato ejus principatu, cum inſurgentibus in eum Syracuſanis, arctiſſimaque obſidione prementibus, ejus ſtudioſi, ut ſe abdicaret Dominio hortarentur, ne in hoſtium poteſtatem perveniens, trucidaretur: fortè cum ante oculos illi veniſſet, ut bos a coquo jugularetur, momentoque prolaberetur, ad amicos converſus Dionyſius: Nonne (inquit) deforme eſt ob mortem adeo celerem, tranſvolantemque, tale me, tantumque relinquere imperium? Poſt hæc quinquennio omnes Syracuſanorum divitias exhauſit, ut deinde in pauperiem redacti rebellare nequirent. Quod ut exploratius haberet, juſſit eis pecunias exigi ſemel, atque iterum, ac tertiò. Quos ut querentes vidit, indixit & quartam exactionem. At poſtquam majore ſumma imperata audiret illos in foro obambulantes ridere, & ſcommata in Regem jacere, juſſit Præfectis, ut ab exigendo deſiſterent: Nunc enim (inquit) nihil habent, poſtquam nos contemnunt. *Syracuſ. in Dionyſ. inſurgunt.*

Scribit Cicero, Dionyſium, cum aliquando pilà ludere vellet; quod ſtudioſè faciebat, tunicam depoſuiſſe, atque enſem amaſio puero cuſtodiendum tradidiſſe, quod quidam ejus familiaris cum vidiſſet, dixiſſe fertur Dionyſio: huic vitam tuam committis? Arriſiſſe hoc dicto adoleſcentulum, eamque tyranno cauſam ſuffeciſſe produnt, qua ſine mora utrumque internecioni daret, familiarem, qui viam aperuit ſui interimendi: adoleſcentulum, quoniam ſuo arriſu illius dictum approbaſſet. Cum Damocles Dionyſii familiaris ſuſpiciens ejus copias, opes, majeſtatem, dominatum, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, beatiſſimum eum omnium hominum judicaret: Dionyſius illum ſuam fortunam hoc epilogo deguſtare, experirique voluit. Collocari juſſit hominem in aureo lecto, quem ei ſtrato pulcherrimo, tapetiſque ſplendidiſſimo exornaverunt: menſas quoque complures argento, auroque ſculpto inſtruxit; ad quas eximiâ formâ pueros, delectoſque conſiſtere, quos ad Damoclis juſſum miniſtrare juſſit. Aderant ibi de more unguenta, incendebantur odores, ſuffitus adolebantur, cibos ſabæi thuris, atque myrrhæ lignis coqui, & deinde menſis epulas conquiſitiſſimas apponi juſſit. Non deerant inſtrumenta muſicalia, atque omnis generis externæ letitiæ, ut ex omni parte Damoclem beatum redderet. Sed poſt hæc omnia gladium vagina exemptum, fulgentemque a capulo de filo tenui pendentem mucrone demiſſo prandentis capiti inter ipſas epulas imminere præcepit. Tunc Damocles impendentis mortis periculo prope jam exanguis, neque celatum argentum, & aurum, nec pulchros miniſtratores aſpiciebat, nec manus porrigebat ad menſam: ſed tot opes, delitiaſque præ mortis præſentis periculo aſpernatus Dionyſium exoravit, ut abire ſibi liceret, cui tum: Talis eſt (inquit Dionyſius) o Damocles vita mea, quam beatiſſimam putabas. Exiſtima jam qui fœlix eſſe poſſum, cum undique a cuſtodibus, a comitibus, a familiaribus mortem mihi imminere videam, & timere nunquam deſinam. *Dionyſ. in familiares crudelitas.* *Damocli ſuam fortunâ declarat.* *Tyrannis mors imminet.*

Hinc (teſte Cicerone) ſummotis amicis in eorum locum ferociſſimos gentium homines, & ex familiis locupletiſſimis electos, prævalidoſque ſervos, quibus corporis ſui cuſtodiam committebat, ſubſtituit. Hinc tonſorum quoque metu tondere filias edocuit. Quarum,

cum adultæ jam eſſent, manibus novacula committere non confidens,

Ubiq: inſidias metuit.

inſtituit, ut candentium glandium, aut nucum putaminibus barbam, & capillum ſibi adurerent. Hinc cubicularem lectum perinde quaſi caſtra, latâ foſſâ cinxerat, in quem ſe ligneo ponte recipiebat. Cujus quidem fores extrinſecùs cuſtodes operiebant, ſed interiori clauſtro diligenter ipſe obſerabat. Hinc concionaturus non in communibus ſuggeſtis, ſed in turri alta conſiſtere ſolebat. Hinc cum noctu ad uxores, cum quibus communes habebat cœnas, viciſſimque noctes dividebat, ventitaret, omnia ante ſpeculabatur, omnia perſcrutabatur. Hinc demum cubiculum ejus neque frater, neque filius, ut erant induti, ingrediebantur: ſed depoſito prius amictu, & nudi ſatelliti ſe oſtentare cogebantur; ita cum nemini fidem haberet,

Suſpectos habet omnes.

ſuſpectos habebat mortales omnes. Quinimo & Dionyſium filium, ne illi inſidias tenderet, & regnum interciperet, incluſum domi ſub cuſtodibus obſervabat, neque cum prudentibus familiaritatem illum ob eam cauſam habere volebat. Quid igitur ejus vitâ tetrius? quid miſerius? quid denique deteſtabilius?

Facinus egregium Damonis, & Pythiæ ſub eo contigit. Quorum cum alteri diem necis deſignaſſet; moriturus paucos dies pro rebus domeſticis ordinandis altero ſponſore impetravit, & rediit ad diem:

Damon, & Pythiæ facinus.

Cujus utriuſque fidem Dionyſius admiratus utrumque ſervavit, & ſe in amicitiam tertium adſcribi poſtulavit. Hoſpes quidam cum ei privatim colloqui deſideraret, oſtenſurus quonam pacto ſcire poſſet, qui illi inſidias molirentur: Dionyſius ſemotis arbitris hominem prius diligentiſſimè a cuſtodibus perſcrutatum admiſit, at ille: Da mihi (inquit) talentum, ut exiſtimetur a me inſidiatorum te audiſſe indicia. Dedit Dionyſius, ac ſimulavit ſe audiſſe; nam fucus ille plurimum utilis erat ad deterrendos inſidiatores.

Fuit aliquando ei delatum, adoleſcentes duos inter pocula convitiatos in eum, ejuſque tyrannidem; ambos vocavit ad cœnam, ibique ut animadvertit, alterum largius potum multa nugari, alterum raro cauteque: illum dimiſit, ut qui naturâ vinolentus per temulentiam maledicus fuiſſet: hunc interfecit, ut qui ſtudio malevolus, & hoſtis eſſet. Mulier quædam Syracuſana extremæ ſenectutis, genere nobilis Deos pro incolumitate Dionyſii, cujus mortem omnes exoptabant, precari quotidie non deſinebat. Quo Dionyſius cognito

Senis fœminæ dictũ de Tyrãn.

admiratus, quippe, qui omnibus ſe inviſum videbat, mulierem ad ſe acciri juſſit, cauſamque tam ſedulæ deprecationis avidiſſimè inquiſivit. Tum illa: Cum parvula (inquit) eſſem, Syracuſis ſævus imperabat Tyrannus, cujus extinctionem votis omnibus cives expetebant. Quo tandem mortuo deterior eo ſucceſſit. Et hoc quoque defuncto, tertius imperio eſt ſuffectus utroque longè pejor. Timeo igitur ne, te decedente, deterior Tyrannus ſuccedat. Hinc itaque tota mente, lacrymiſque obortis Deos pro tua incolumitate deprecor. Tam liberam, facetamque reſponſionem Dionyſius punire erubuit.

Dionyſii ſacrilegia.

Sacrilegia ſua facetis dictis ſolebat obtegere. Locris Proſerpinæ templum ſpoliavit, mox cum claſſis illius ſecundo vento navigaret: Videtis (inquit) quàm proſpera navigatio a Diis immortalibus datur ſacrilegis. Jovi Olympio Syracuſis detraxit aureum amiculum ponderis (teſte Aeliano) octoginta quinque talentorum, quo eum Hieron ex manubiis Carthaginenſium ornaverat, proque detracto aureo laneum illi pallium injecit. Cum autem miniſtri timerent Jo-

vem

vem tangere; primus ipſe ſimulacrum confregit, ita cavillans: Aureum æſtate gravem, hyeme frigidum eſſe, laneum verò ad utrumque anni tempus aptiſſimum. Epidauri Æſculapio barbam auream ademit: quod negaret decorum, patrem Apollinem imberbem, Æſculapium filium barbatum conſpici. Menſas aureas Diis bonis dicatas e fanis auferebat: cavillatus, ſe eorum bonitate uti. Spolia quoque aurea, pateras, & coronas, quæ Deorum ſimulacra porrectis manibus habebant, tollebat dicens: ſe oblata a Diis accipere, non eripere. Ad Troezenias quoque navi appulſus omnes Leucotheæ, & Apollinis pecunias, menſamque argenteam Deo appoſitam ſuſtulit: præcepitque, ut bonum eventum ipſi propinarent. Lucinæ quoque templum ad Ceretæ, ſive Agyllæ emporium a Pelaſgis conſtructum opulentiſſimum Dionyſius in ſuo curſu ad Corſicam (lib. 5. teſte Strabone) ſpoliavit.

Circumferuntur & ejus aliquot præclara dicta. Cum intra Regiam ſacrum ex more perageretur, precoque precaretur, ut per multa tempora inconcuſſum ejus duraret imperium: Non tu deſines (inquit) abominanda nobis imprecari? Ab amicis cavendum etiam ajebat ei, qui præſit: cum id omnibus perſuaſiſſimum eſſe debeat, eos imperare malle, quàm ſervire. Metum, & violentiam adamantina appellabat vincula, ſeque adamantinis vinculis principatum filio relicturum ajebat. Quem cum audiſſet aliquando ingenui viri conjugem adulteraſſe; iratus interrogavit: an unquam tale quidquam in patre comperiſſet: Tum ille: Tu non habuiſti patrem Regem. Cui mox Dionyſius: neque tu Regem filium habebis, quod & evenit. Eidem filio vaſculorum aureorum, & argenteorum magnam ſupellectilem habenti dixit: non eſt in te Regius animus, qui his neminem amicum tibi feciſti. *Ejuſdē præclara dicta.*

Dum his moribus, multiſque aliis, quæ apud Plutarchum latiùs commemorantur, imperio ſtabiliendo incumberet: Carthaginenſes poſtquam Magone Duce inſulas Africæ adjacentes ſibi ſubegiſſent, Siciliam omnibus viribus pervadere decernunt. Sed dum expeditio paratur; Mago moritur, relictis liberis Amilcare, & Aſdrubale, quo poſtea in bello Sardoo interfecto, & Annibale patre alterius Amilcaris cognomento Barcha, patris magni Annibalis, quo Duce Carthaginenſes ſecundum bellum contra Romanos geſſerunt, Aſdrubale, & Saphone filiis relictis, Amilcar ejus frater Dux belli efficitur. Is igitur veluti non ſatis auſpicatò in Sardinia geſta res eſſet, in Siciliam bellum tranſtulit, magnaque claſſe inſulam invadit, cui quidem Siculi duce Dionyſio, magno animo obſtitere. Cæterùm cum ſibi impares vires ad ferendos Carthaginenſium inſultus eſſe animadverterent, a Leonida Spartanorum Regis fratre auxilia petunt. Qui quàm primum advectis claſſe tot armatorum millibus, quot unà cum exercitu Dionyſii ad Carthaginenſium potentiam reprimendam ſuffecturos ſperaret, in Siciliam trajecit. Grave itaque bellum geritur, in quo & diu, & vario Marte dimicatum eſt. Tandem eo bello Amilcar occiditur relictis Himilcone, Hannone, & Giſcone liberis. E quibus Himilco exercitui a Carthaginenſibus in Sicilia præficitur. Is contra Dionyſium, Siculoſque navali, terreſtrique bello dimicans, ſuperato Dionyſio Gelam, & Camerinam, & aliquot alias urbes cepit. *Pœni Siciliā invadere cogitāt.* *Dionyſius illis opponitur.* *Gelá, & Camerina Pœnis ſubduntur.*

Nec multò poſt Leontini, qui plures annos Syracuſis fuerant adſcripti, & patriâ exulaverant, ea rerum novitate uſi, Syracuſis clam egreſſi

egreſſi in Leontinum patriam populariter remigrarunt. Interea dum multis ſecundis præliis in Sicilia geſtis Carthaginenſes jam in manifeſto victoriæ curſu eſſent, repente peſtilentis ſyderis vis eorum exercitum invaſit: ita ut brevi omnibus ferè copiis lethali morbo abſumptis, Himilco Dux pro victo ex Sicilia eum exercitus reliquiis Carthaginem aufugere coactus ſit. Ubi cum ſummo totius civitatis luctu, & mœrore, ac ſi urbs jam capta fuiſſet, exceptus mortem ſibi manu ſtatim intulit.

Siciliâ excedere Pœnos ingẽs lues compellit.

Dionyſius Pœnis Siciliâ morbo abactis, & totius inſulæ imperio per otium potitus, ne florentiſſimus ejus exercitus, quo majorem (teſte in epiſtolis Iſocrate) nullus unquam habuit, cui inter alia Plutarchus triremes quadringentas, equitum millia decem, peditum viginti, & ſupra hæc decem millia ſtipatorum aſcribit, deſidiâ & otio corrumperetur, Italiæ Principatum affectare cœpit, eoque protinus tranſvectis copiis in eos Græcos irruit, qui extremam Italiæ partem, quæ Siciliæ imminet, poſſidebant. Ubi expugnatis Locrorum urbibus, (4) & deleto Rhegio, Crotoniatas magna vi aggreditur, qui licèt ex prioris belli, quod adverſus Locrenſes habuerant, clade, jam imminutas haberent vires, aliquatenus tamen reſtiterunt. Sybaritas poſtea luxu, & divitiis intemperantes parvo negotio ſuperavit. E quibus ingentem prædam, clamydemque Athenis totâ Italiâ tum ſumptu ipſo, magnificentiaque, ac artis mirâ excellentiâ pretioſiſſimam cepit. Quam poſtea centum & viginti talentis Carthaginenſibus venundedit.

Dionyſius Italiæ principatũ affectat.

Locros, & Rhegiũ expugnat.

Pars hæc Italiæ inferior mari Jonio alluitur, & tam crebro lancinatur, ut in tres brevis hæc ora ſinus curvetur, & adeo interdum ſeſe extenuat, ut non alibi Italia ſit anguſtior. Hanc Dionyſius adeptus, in animo habuit iſthmo circa portum, qui poſtea eſt Annibalis dictus, reſciſſo, extremam hanc Italiæ partem inſulam facere, & Siciliæ adjungere. Sed dum hæc meditatur, legati Gallorum Senonum, qui ante menſes aliquot Romam incenderant, amicitiam, ſocietatemque petentes ad eum venere. Gentem ſuam, quæ vel ob id, quòd inter ejus in Italia hoſtes habitabat, magno ei uſui vel in acie bellanti, vel de tergo opprimendis hoſtibus eſſe poterat, offerunt. Gratiſſima hæc illi legatio fuit. Proinde pacta cum eis ſocietate, bellum veluti ex integro in Italiam reliquam reſtaurat, quàm latè eo tempore Græci incolebant. Sed ab Hannone Carthaginenſium Duce ab incepto revocatur. Eo namque Duce Carthaginenſes bellum, quod lue compellente in Sicilia deſeruerant, ſequenti anno reparato exercitu, auctiſque viribus redintegrant.

Gallorũ legatos excipit.

Id ubi Dionyſius cognovit, in Siciliam ſtatim cum exercitu revertitur. Erat tum Carthago in duas diviſa factiones. Unius princeps erat Aſdrubal, Amilcariſque familia, alterius præſtantes plerique cives, qui Barchinini nominabantur. Ex his Surriatus quidam domi nobilis, & ea tempeſtate Pœnorum potentiſſimus, cum eſſet adverſæ factionis, Hannonique infenſiſſimus, literas Græcè ſcriptas clam ad Dionyſium in Italiam ſubmiſit, quibus ei omnem expeditionis apparatum, omnemque belli adverſus Siciliam gerendi rationem, navigiorum præterea totius claſſis, & militum numerum, conſtitutam quoque navigandi diem, ducis ingenium, quis denique primùm invadendus eſſet locus, ſignificabat. Cæterùm interceptis literis comprehenſus, proditus, damnatuſque capitis ſupplicium luit, occaſionem-

In Siciliam regreditur.

nemque Senatuſconſulto dedit, quo ne quis poſtea Carthaginenſis Græcis literis, aut Græco ſermoni ſtuderet, & nequis aut loqui cum hoſte, aut ſcribere ſine interprete poſſet, ſub capitis pœna cavebatur.

Hañonis Pœni claſſi occurrit.

Porro advenienti cum claſſe in Siciliam Hannoni Dionyſius inſtructo cum exercitu occurrit. Ubi tum vario Marte, varioque fortunæ eventu multis præliis habitis, tandem ob ſuperbiam, acerboſque mores militibus inviſus redditur, & a majori exercitus parte deſeritur: (5) atque ita Carthaginenſium viribus impar variis certaminibus, aſſiduiſque ſuperatus, poſtquam duodequadraginta (teſte Cicerone) regnavit annos, inſidiis ſuorum, ſi Trogo credimus, interficitur, ſive hauſta potione ſomnifera, quæ ſoporis mortem citra ſenſum continebat, quam ei medici ſuaſu Dionyſii filii, ne cum aliis fratribus regnum partiretur, ut Dion ei perſuaſerat, ut Timęus, Plutarchus, & Probus referunt, ſive accepto tragicæ victoriæ nuntio gaudio interiit, ut Plinius. Huic ſententiæ Cicero in lib. de natura Deorum aſſentire videtur, qui de eo: *Hunc* (inquit) *non Olympius Jupiter fulmine percuſſit; non Æſculapius miſero, diuturnoque morbo tabeſcentem interemit, atqui in ſuo lectulo mortuus triumphantis in modum in rogum illatus eſt, eamque poteſtatem, quam per ſcelus nactus eſt, quaſi juſtam, & legitimam, hæreditatis loco, filio ſuo tradidit.* Eo mortuo Siciliæ civitatum pars magna vi ab Hannone ſubjicitur. Pars in deditionem accipitur, pars verò in ſocietatem eſt recepta. Hanno verò partâ hac ingenti victoriâ, ex præda Sicilienſi factus ditiſſimus, Carthaginem rediit. Ubi maximo cum honore ſuſceptus non multo poſt animum ad occupandam ſuæ Reipublicæ dominationem adjecit; quod cum ſemel interfecto Senatu, atque iterum ſcelus fruſtra tentaſſet, tertiò in ſeditione capitur, virgiſque cæſus, & effoſſis oculis, ac manibus, cruribuſque fractis, & corpore verberibus lacerato, in crucem adigitur. Filii quoque ejus, cognatique omnes etiam ultimo ſupplicio ſunt affecti; ne quiſquam aut ad eum imitandum, aut ad ejus mortem ulciſcendam ex tam nefaria domo ſupereſſet. Ita igitur quem Siculæ opes clariſſimum reddiderant, hunc eumdem non benè fortunis uſum in præceps dejecerunt.

Varię de ejus morte opinion.

Sicilię urbes ab Hannone ſubjiciuntur.

Hannon miſerè vitam finit.

1 Diodorus lib. XIII. Tyrannidis Dionyſii initia, uti inferius adnotatur, exponit.

2 Polixenus Hermocratis uxoris frater dicitur a Diodoro. Eodem libro.

3 In ſeditione occiſam Dionyſii uxorem ex lib. XIV. Diodori eruimus; Ejus enim ſupplicium, maximum conſpirationis argumentum putaſſe illum Hiſtoricus tradit. Ex Plutarcho tamen ſibi necem ſponte conſciviſſe ſcribit noſter Author.

4 Locrenſes amicos perpetuò habuiſſe Dionyſium Diodorus multis affirmat in locis lib. XIV. uti inferius in Auctario; hinc illorum urbem excidiſſe malè hic Fazellus ſcribit.

5 Videſis, quæ inferius in Auctario ex Diodoro recitamus; longè enim diverſa hic ex Philiſto ſcribit. Fuit autem Philiſtus Dionyſii Synchronus.

AUCTARIUM:

Dionyſii Geſta ex Diodoro.

Dionyſius Tyrānidē invadit.

TYrannidis Dionyſii initia hoc pacto Diodorus lib. XIII. expoſnit. Agrigentini, qui ex captivitatis periculo elapſi Syracuſas pervenere, duces accuſarunt, quod ejus indolis Præfectos delegiſſent, qui totam improbitate ſua Siciliam in extremum adduxiſſent diſcrimen. Conventu igitur Syracuſis inſtituto, quum ingens metus impenderet, nemo de bello referre, aut conſulere quidpiam auſus eſt. Heſitantibus ergo cunctis, Dionyſius Hermocratis filius

Duces Syracuſ. accuſat.

accuſare duces inſtitit, quòd res Agrigentinorum Carthaginienſibus prodidiſſent, & populum ad ſupplicium de illis ſumendum incendens, ne præſtitutum a lege tempus expectarent, ſed continuò pœnas infligerent, exhortatus eſt. Quum verò Magiſtratus Dionyſium veluti pacis turbatorem mulctarent ſecundum leges, Philiſtus, qui hiſtoriam poſtea conſcripſit, vir opibus maximè pol-

Mulctatus a Philiſto defēditur.

lens, mulctam pro illo exolvit, quæque animo conceperat ediſſerere juſſit, ſe licèt per totum diem illi mulctam irrogarent, argentum pro ipſo expenſurum eſſe ſpondens. Hinc reſumptà Dionyſius fiduciâ, plebem concitat, magnoque tumultu concionem replens, Duces criminatur, quòd pecuniis ineſcati defenſionem Agrigentinorum deſtituiſſent. Inſectatur etiam alios nobiliſſimorum civium, traducens illos, quod paucorum dominatum amplexantur.

Duces minimè potētes eligēdi.

Eligendos igitur Duces cenſet, qui non potentia excellant, ſed benevolentiâ, ſtudioque in populum ſint probati. Illos enim dominatum ſibi in cives uſurpare, deſpectui plebem habere, & e patriæ detrimentis quæſtum ſibi parare; humilioris autem fortunæ homines imbecillitatis ſuæ conſcientiâ horum nihil paraturos. Hęc omnia, ubi ad vulgi libidinem, ſuumque ipſius inſtitutum accommodè diſſeruiſſet, haud parum concionis animos erexit. Populus enim odio Ducum jam pridem flagrans, quòd bellis non fideliter præeſſe exiſtimarentur, tum Dionyſii ſermone magis irritatus, ſtatim illos magiſtratu abire jubet, & alios ſibi Prætores deſumpſit; Inter quos etiam Dionyſius erat, propter virtutem in prælio adverſus Carthaginienſes probatam magnæ apud Syracuſios authoritatis.

Prętor adſcitus, ſocios abrogare nititur.

In magnam itaque ſpem erectus omnes ad dominationem patriæ occupandam machinas intendit; Poſt initum namque magiſtratum, neque in Senatum præfectorum venit, nec unquam congreſſibus illorum ſeſe immiſcuit. Interim rumorem diſſeminavit, quod internunciis miſſitandis illi cum hoſtibus colluderent; Ita enim futurum ſibi pollicebatur, ut abrogata illis poteſtate ſummum exercitus imperium ſibi traderetur. Dum hæc ab eo fiunt civium prudentiſſimi in ſuſpicionem illum vocant, perque omnes conventus maledictis eum inceſſunt; vulgus contra fraudis inſcium rem totam laudat, & conſtantem urbis propugnatorem inventum eſſe, tandem dictitat.

Exules revocādos curat.

Concionibus itaque belli ſæpius iteratis, Syracuſanos ille metu hoſtium perculſos videns, conſilium de revocandis exulibus promulgat; nam abſurdum eſſe ab Italia, & Peloponneſo auxilia peregrinorum contrahere; cives verò ſuos ad commune periculum ad-

adſciſcere non velle.... Quum igitur multa ad inſtitutum hoc idonea diſſeruiſſet, Syracuſani tandem populi ſuffragia conſecutus eſt; nam collegarum nemo quidpiam contra proferre audebat, quod & multitudinis impetum reformidaret, & ad ſe nihil præter inimicitias, ad illum verò gratiæ plurimum inde rediturum proſpicerent. Hoc propterea a Dionyſio factum eſt, quòd exules ſibi obnoxios fore ſperaret, homines utique mutationis cupidos, & ad parandam ſibi dominationem aptos. Sententiâ igitur de exulibus reducendis tandem rogatâ, ſine mora in patriam revocantur. Tum literis ex Gela de majore illuc ſubſidio expediendo allatis, idoneam proſequendi conſilii occaſionem Dionyſius accipit. Bis mille enim peditum manu, & quatuor centum equitum turmis inſtructus, properato itinere Geloorum urbem petit; cujus defenſioni tunc Dexippus Lacedæmonius cum præſidiariorum manu præfectus erat. Quumque gravi ſeditione nobilium adverſus plebem commotam civitatem Dionyſius offendiſſet, in publico conventu accuſatos damnat, ipſiſque necatis facultates in ærarium redigit, & ex his pecuniis debita jam pridem ſtipendia præſidiariis, qui ſub Dexippo militabant, exolvit, ceteris, quos Syracuſis adduxerat, ſtipendium a civitate condictum ſe duplicaturum promiſit. Hoc modo tum qui ductum ejus ſequebantur, militum favorem ſibi adſtrinxit. *Geloſib. auxiliatû venit.*

Geloi præterea virum laudibus extollunt, quippe qui libertatis aſſervator ipſis fuerit. Quum enim invidiâ potentiorum flagrarent, eminentiam illorum dominatum in ſe nuncupabant. Legatos hinc Syracuſas mittunt, qui & viri laudes ad populum referrent, & Plebiſcita, quibus magnos illi honores decreverant, exhiberent. Dionyſius interim Dexippum in ſententiam ſuam pertrahere conatur; verùm illo refragante, cum ſua manu Syracuſas reverti conſtituit. Geloi autem, quum rumor increbuiſſet, Carthaginienſes totius exercitus viribus urbem ſuam omnium primam invadere conſtituiſſe, preces Dionyſio adhibent, ne ab ſe diſcedat, neve urbem in eam demergi calamitatem patiatur, quam Agrigentini ſubier...; quibus ſe brevi majoribus cum copiis adfuturum pollicitus ... Gelâ cum agmine ſuo diſcedit. *Geloi Dionyſ. extollunt.*

Ludi tum agebantur Syracuſis, eâque ipſa hora, qua populus e theatro domum ſe recipiebat, Dionyſius in urbem redit. Concurſu igitur multitudinis ad ipſum facto, quum de Carthaginienſibus ſciſcitarentur, ſe quicquam ſcire negat, propterea quòd Reipublicæ Præfectos hoſtibus ipſis habeant infeſtiores, quorum blanditiis inducti cives jam feſtos agunt dies, quum ipſi Rempublicam interim depeculantes ſtipendiis milites defraudant. Jam hoſtes incredibiles in bellum apparatus facere, & cum infeſto agmine finibus Syracuſanis imminere. Id quo conſilio faciant, jam pridem mediocriter ſibi intellectum, nunc verò penitus manifeſtum eſſe. Nam ab Imilcone caduceatorem ad ſe miſſum, qui captivos quidem ſeſe redempturum ſimularit, clanculum tamen exhortatus ſit, ut aliis prætoribus morem gereret. Se igitur Imperatoris munere non amplius fungi velle, ſed ad deponendum magiſtratum jam paratum eſſe. *Dionyſ. plebi Syracuſ. ſibi conciliat.* *Prætores inſimulat.*

Accenſa his dictis plebe, ac ſermone per totum exercitum divulgato, tunc quidem ſuam quiſque domum, non abſque metu, & perturbatione ſe recipit; Poſtridie autem indicto populi con-

Populum in eos concitat. ventu; multis Duces criminibus onerans, populumque in eos concitans, favorem non exiguum ſibi conciliavit; Tandem in conſeſſu nonnulli exclamare cœperunt: Dictatorem illum creandum, nec expectandum dum hoſtium armis mœnia quatiantur. Magnitudinem belli ejuſmodi ducem expoſcere, qui magnis Rempublicam commodis locupletare poſſit. Olim quoque trecenta millia Carthaginienſium ad Himeram devicta eſſe, quum ſummum Gelo imperium teneret. Ad hanc vocem multitudine ſubitò, ut ipſius mos eſt, in deterius inclinante, Dionyſius Imperator cum ſumma potestate creatur. *Imperator ſolus deligitur.* Cui poſtquam ex ſententia res ſucceſſit, decretum ſcripſit, ut duplum militibus ſtipendium numeretur, hoc enim modo illos ad certamen longè promptiores futuros; de pecuniis verò ſollicitos neutiquam eſſe jubet, proventum enim harum non difficilem ipſis fore. Concione tamen dimiſſa non pauci Syracuſanorum erant, qui factum hoc culparent, ac ſi non ipſi rata illa eſſe juſſiſſent. Subinde in Leontinos expeditionem Dionyſius ſuſcipit, & *Cuſtod. corporis obtinet.* corporis cuſtodes ſibi adſciſcit. Tum mercenarios, etiam advocatos perhumaniter allocutus, verbis ad omne ſibi obſequium addictos facit; ordinum quoque rationem immutans, fidiſſimo cuique præfecturæ munus commendans, Dexippum Lacedæmonium in Græciam dimittit, ne per occaſionem Syracuſani eo duce libertatem recuperarent. Mercenarium etiam Gela militem accerſit, & undecumque exules, & religionis violatæ damnatos contrahit ſpe haud indubia, horum ope regnum ſe quam firmiſſimè ſtabiliturum.

Quod porro ad Carthaginienſes attinet, Diodorus hæc addit: *Carthaginienſes autem poſt captam urbem Agrigentum donaria in templis repoſita, & ſtatuas, & res ibi pretioſiſſimas Carthaginem tranſportarunt, fanisque in cinerem redactis, & urbe direpta illic hybernarunt. Interim machinas, ac tela omnis generis ſibi comparabant; ad proximum enim ver Geloorum urbem omnium primam obſidere conſtituerant.* *Carthagin. ad Gelæ obſidion. ſeſe parant.*

Ineunte igitur vere Imilcar cum univerſo exercitu in Geloorum agros impreſſionem fecit, quibus, ut etiam Camerinæorum agris undique vaſtatis, prædâ omnis generis caſtra ſua replevit. Tum *Cujus agros diripiunt.* Gelam petens, ad ejuſdem nominis fluvium caſtris locum ſumit. Erat Gelois ſtatua quædam Apollinis extra urbem ænea miræ magnitudinis. Hanc abreptam Pœni Tyrum tranſmiſere; Tum exciſis paſſim arboribus foſſâ, valloque caſtra communiunt; futurum enim, ut magnis Dionyſius copiis auxilio laborantibus veniret, putabant. Geloi verò ſub initium obſidionis propter imminentis periculi magnitudinem, ut liberi, uxoreſque Syracuſas tranſportarentur, ſciverant. At quum matronæ ad aras in foro confugerent, ut eandem cum viris fortunam ſibi experiri liceret orantes, manere illis permiſſum eſt. Poſt hoc in plures diviſi ordines, partem aliquam militum in agros emittunt, qui locorum peritiâ adjuti palantes hic illic hoſtes invadunt, & multos quotidie captos adducunt, non paucos etiam cædunt. Quumque Carthaginienſes ex una parte urbem adorti, muros jam arietum incuſſu dejicerent, illi ſtrenuè propugnant, & proſtrata per diem noctu reficiunt, hanc conferentibus operam fœminis, ſimulque pueris; *Geloi mœnia ſtrenuè defend.* nam quibus vigor per ætatem, & robur ſuppetebat, perpetuò in armis erant, & cum hoſte dimicabant: Reliqua multitudo circa onera, rerumque aliarum miniſteria pro-

pen-

penſo ſtudio detinebantur, tamque animosè, & fortiter hoſtis impetum excipiebant, ut licèt urbem non munitam defenderent, nulloque ſociorum axilio niterentur, & mœnia pluribus in locis perfracta cernerent, præſentis tamen periculi metu animos non demitterent.

Interim Dionyſius Syracuſarum tyrannus Græcorum ex Italia ſubſidia accerſit, ſociique nominis militem vocat, & Syracuſis ad arma ferenda idoneos prope omnes deligit, mercenariorum quoque manum cæteris copiis adjungit. Summa verò omnium erat, ut nonnulli tradunt quinquaginta, vel uti Timæus recenſet, triginta peditum millia, & mille equitum, naveſque conſtratæ quinquaginta. His ſtipatus ad ferendum Gelois auxilium feſtinans, ubi ad urbem pervenit, juxta mare caſtra ponit; nam hoc unicè agebat, ne copiæ diſtraherentur, ſed impetu in hoſtem facto terra marique pugnam cieret. Per levis autem armaturæ milites cum hoſte velitans pabulationem intercludit; equitatus verò naviumque præſidio commeatum, qui ex Carthaginienſi ditione vehebatur, intercludere conatur. Ad dies igitur triginta ibi commoratus, nullum operæ pretium fecit; Poſt hæc pedeſtri exercitu in tres partes diviſo, unum agmen Siculis attribuit, quibus mandat, ut urbem ad ſiniſtram prætergreſſi hoſtium ibi vallum invadant; alterum e ſociorum auxiliis conſtitutum urbe ad dexteram relicta, ad littus properare jubet; ipſe cum mercenariorum denique manu per urbem eo pergit loco, ubi machinæ Carthaginienſium inſtructæ erant, equitatui verò præceperat, ut ſimul ac pedeſtrium ſigna proferri viderent, tranſmiſſo fluvio per campos ſeſe explicarent, & ſi ſortè ſuos cernerent ſuperiores, pugnam ſimul capeſſerent, ſin inferiores, excipiant laborantes. Claſſariis denique edixerat, quam primum Itali ſeſe inferrent caſtris hoſtium, claſſem invaderent.

Dionyſ. auxilio Gelois venit.

Contra Carth. ducit.

Dum imperata ſinguli exequuntur, Carthaginienſes ad eam maximè partem, qua nulla prorſus munitione caſtra juxta littus obſirmaverant, tutandam feſtinant, & a deſcenſu hoſtem prohibent. Eo temporis momento Itali totum illud juxta mare ſpatium emenſi, ad caſtra Pœnorum graſſantur, ubi pleroſque ad naves arcendas excurriſſe deprehendunt; præſidium ergo, quod ad partis hujus defenſionem relictum erat, in fugam agentes, in caſtra impreſſionem faciunt. Verùm quum maxima exercitus parte Carthaginienſes reverſi poſt longi temporis certamen vix tandem agmen illud foſſam tranſgreſſum depellunt. Itali ergo multitudini Barbarorum locum dare coacti, in anguſtam quamdam valli extremitatem reſtringuntur, dum nihil auxilii a ſuis preſto eſt. Nam Siculi, quos longius per campos iter remorabatur, maturo tempore non aderant; & ſtipendio conducti Dionyſii milites, quòd minus expeditæ per urbis vicos ſemitæ eſſent, auxilium ſuis maturare non poterant. Geloi quidem ad breve ſpatium, ut Italis opem ferrent, eruperant, ſed veriti ne mœnia præſidio deſtituerentur, cœptum auxilii curſum intermittunt. Iberi igitur, & Campani Carthaginienſium auxiliares, quum diutius Italiæ Græcos premerent, plures mille proſtraverunt; ſed quia in navibus diſpoſiti miſſilibus eos arcebant, reliqui tutum intra mœnia receptum habuere. Parte interim alia Siculi cum Pœnis dimicantes non mediocrem illorum ſtragem faciunt, & reliquos ad caſtra uſque perſequuntur; quum verò Iberi, & Campani, unàque Car-

Carthaginienſes obſiſtunt.

Aggreſſores Italos repellunt.

Carthaginienſes Afris ſubvenirent, ad ſexcentum ſuorum amiſſis, in urbem ſe recipiunt. Equitatus igitur, ubi ſuccumbere vidit ſuos, & ipſe urbem repetit, præſertim quum undique hoſtis premeret. At Dionyſius agmine per urbem difficulter promoto, ubi copias ab hoſte fuſas comperit, intra urbis mœnia & ipſe quoque ſe recipit.

Dionyſ. urbem deſerẽdam decernit.

Poſt Senatu amicorum congregato de belli rationibus conſilia exquirit. Quumque omnibus locus iſte ad decernendum de ſumma rerum minimè idoneus propter hoſtes videretur, Caduceatorem reportandis mortuis inducias petitum circa veſperas mittunt; mox ſub primam noctis vigiliam turbam ex oppido Dionyſius dimittit, ipſe circiter medium noctis copias raptim educjt, bis mille circiter levis armaturæ militibus manere illic juſſis; mandatum his relinquens, ut frequentes per totam noctem ignes fovendo, clamoreque ſubinde excitato perſuaſum hoſti facerent exercitum illic totum remanere. At hi quamprimùm illuceſcere dies cœpit, ad Dionyſii exercitum citato pede ſeſe contulerunt. Qua fraude patefacta Carthaginienſes exercitum in urbem deducunt, & quidquid in ædibus reliquum erat prædam ſibi faciunt.

Camerinenſes urbẽ & ipſi relinquunt.

Dionyſius poſt hæc Camerinam progreſſus, cives ejus loci itidem cum uxoribus, & liberis Syracuſas migrare jubet. Quia verò nullam metus cunctationem permitteret, pars argentum, aurumque, quæ portatu facilia erant, convaſant, pars cum parentibus, teneræque ætatis ſobole effugere properant, nulla facultatum ratione habita. Nonnulli, quos ſenium vel morbus gravabat, a cognatis, & amicis deſtituti relinquuntur, dum quiſque Carthaginienſes jam jam ſuperventuros exiſtimat. Milites porro, ex duabus ſimul ejuſdem regionis urbibus fœminas, & pueros, alioſque homines extorres agi videntes, Dionyſio iraſci, afflictorumque conditionem miſerari: nam de induſtria hoc ab eo patratum ſuſpicio erat. Quippe, ut & reliquas urbes metu Carthaginienſium ſubactas imperio ſuo vendicaret; quod ad breve tempus auxilium obſeſſis tuliſſet; quod nullus conductitiorum militum, qui cum eo erant, cecidiſſet; quod non ita magna clade affectus temerè fugiſſet; in primis verò, quòd nullus hoſtium tergis fugientium inſtitiſſet. Hæc omnia ſecum perpendentes nimio in Dionyſium odio exardeſcebant. Omnes igitur illi, qui jam pridem defectionis occaſionem expetiverant, veluti providi Numinis inſtinctu ad excutiendum dominatus jugum operam contulere.

Fugã hęc militer in Dionyſ. incendit.

Itali domũ revertuntur.

Tum ſtatim Itali caſtris ejus relictis per mediterranea domum iter fecerunt; Syracuſani verò equites primam in occaſionem intenti erant, qua Tyrannum commodè inter vias trucidarent. Sed quum mercenarios nuſquam ab eo diſcedere viderent, uno conſenſu citatis equis ad urbem Syracuſas contendunt. Ibi quum excubitores in navalibus, cladis ad Gelam adhuc ignaros inveniſſent, nemine prohibente ingrediuntur; & confeſtim Dionyſii Regiam auro, argentoque, & magnifico rerum omnium apparatu refertam diripiunt, uxorem ejus corruptam tam fœdè, & crudeliter tractant, ut moleſtiſſimam hanc iræ acerbitatem Tyrannus ferret, & hoc ejus ſupplicium conſpirationis adverſus ſe maximè eſſe argumentum exiſtimaret.

Equites Syrac. Dionyſii Regiá diripiunt.

At Dionyſius in itinere, quid patratum ſit conjectans, ex equitatu ſimul, ac peditatu ſibi fideliſſi mis adjunctis rapidiſſimo ad urbem curſu, nulla interpoſita quiete, feſtinat; Stadia igitur non minus quadringenta emenſus, ſub noctis medium cum equitibus centum

Dionyſ. in rebellãtes debacchatur.

tum, & peditum ſexcentorum agmine portæ ad Acradinam ſuccedit. Quam ubi clauſam offendit, arundines ex paludibus eò congeſtas, quibus ad calcis confectionem Syracuſani uti conſueverant, illuc admovet. Interea dum portæ ardent, cæteros tardiùs inſecutos etiam aſſumit milites; mox foribus incendio collapſis, ipſe cum comitatu per Acradinam irrumpit. Quod ſimulac innotuit, equites ſtatim, qui dignitate, & opibus pollebant, non expectatis populi ſubſidiis, ad prohibendum hoſtem numero perquam pauci occurrunt, foroque occupato a mercenariis circumventi confodiuntur omnes. Tum urbem Dionyſius percurſitans, quotquot hìc illìc ſparſim obiuctantes invenit, obtruncat.

Cives ſibi inſēſos ejicit.

Civium quoque inimicorum ſibi ædes invadit, quorum nonnullos urbe exigit. Cętera equitum multitudo e mœnibus illapſa Acradinam occupant. Sub primam dehinc inſequentis diei lucem reliqua mercenariorum caterva, totumque Siculorum agmen Syracuſas venit. Geloi verò, & Camerinæi a Dionyſio alienati ad Leontinos divertunt.

Imilcar, & Dionyſ. pacis fœdera cõponũt.

Quum res tandem ita ſe ageret Imilcar Præconem Syracuſas mittit, civeſque, licèt victi eſſent, ad pacem exhortatur. Pergratum hoc erat Dionyſio nuncium, ideo bellum his pactis componitur: *Carthaginienſium ſub ditione maneant præter alios ipſorum veteres colonos, etiam Sicani, Selinuntii, Agrigentini, & Himerenſes. His accedant etiam Geloi, & Camerinæi, quibus liceat in oppidis ſuis, abſque mœnibus tamen habitare; ſed Carthaginienſibus deinceps ſint vectigales. Leontini verò, Meſſenii, & Siculi omnes liberi ſuo jure vivant. Syracuſani autem Dionyſii imperio ſint ſubjecti; Naves utrinque amiſſæ ſuis reſtituantur.* His pactis ritè confirmatis, Carthaginienſes in Libyam trajecerunt, quum pluſquam dimidium exercitus peſte amiſiſſent, qua deinceps etiam per Africam deſæviente, ingens tum Carthaginienſium, tum ſociorum multitudo interiit.

Dionyſ. Tyrannidem firmat.

Interea Dionyſius firmata cum Carthaginienſibus pace, ad dominatum firmandum omne convertit ſtudium. Syracuſanos enim bello defunctos, per otium deinceps in recuperanda libertate totos fore exiſtimabat. Cernens itaque inſulam urbis per ſe munitiſſimam facilè a præſidio aliquo cuſtodiri poſſe, muro illam magnifico, in quo crebras in altum turres deduxit, a reliqua urbe ſejungere cœpit.

Inſulã munit, Porticus, & arcẽ extruit.

Tabernas etiam, & porticus, quæ magnam hominum turbam caperent, illi ſubjecit. Arcem præterea ad tutos ex tumultu improviſo receptus, magnis impendiis extruit, & firmat. Muro illius navalia quoque magno portui, cui nomen *Laccio* eſt, vicina complexus eſt, qui LX. triremium capax, portam habebat clauſam, qua ſingulæ tantùm naves ingrederentur.

Agros diſtribuit.

Tum optimam agri partem ſecernens familiaribus, & præfectis donavit, reliquum inquilino, & civi ex æquo diſtribuit, & civium nomine ſervos etiam manumiſſos comprehendit, eoſque Neapolitas, ideſt novos cives appellavit. Promiſcuæ inſuper plebi domos aſſignavit, exceptis inſularibus, quos amicis, & mercenariis muneris loco conceſſit.

Cõtra Siculos ducit.

Dominatu probè, ut videbatur, confirmato, contra Siculos exercitum eduxit, omnes ſubigere properans, qui ſui adhuc juris erant; imprimis verò illos, quòd auxilia Carthaginienſibus pridem ſubminiſtraſſent. Caſtris igitur ad Herbeſinorum urbem admotis, quæ ad obſidionem neceſſaria erant, comparat. Syracuſani autem in militiam hanc adſcripti, quum arma jam in ſua poteſtate haberent, conventicula inſtituere, & expoſtulare ſe-

cum

cum invicem, quòd equites in amollendi Tyranni conatu non adjuviſſent.

Accidit autem, ut Dionyſii legatus quemdam confidentiùs obloquentem minis retunderent, & mox ferociùs reſpondentem veluti percuſſurus invaderet. Quo facto milites exaſperati, Præfectum, cui Dorici nomen erat, trucidant, & civibus ad vindicandam libertatem ingenti vociferatu excitatis, equitatum ex Ætna accerſunt; ab his enim ſub tyrannidis initium elapſis caſtellum iſtud incolebatur.

Syracuſ. ob exortā ſeditionē redit. Dionyſius verò Syracuſanorum conjuratione conſternatus, obſidione intermiſſa, Syracuſam ad præoccupandam urbem raptim contendit; Rebellionis hinc authores Duces ſibi creant illos, qui cædem legati perpetrarunt, & aſſumptis ex Ætna equitibus, adverſa Tyranno in Epipolis caſtra ponunt, exitumque ad liberum ei campum intercludunt. Continuò etiam nuntios ad Meſſenios, & Rheginos dimittunt, ut claſſe ſibi ad recuperandam libertatem auxilio veniant; *Syracuſii auxilia ab amicis obtinēt.* nam Civitates hæ illo quidem tempore triremes non minus octoginta complere ſolebant, quot etiam tunc ad vindicandum ſe in libertatem priſtinam Syracuſiis auxilia mittebant. Ingens præterea pecuniæ ſumma in caput Tyranni denunciatur, exteriſque, ſi ad ſe tranſmearint, jus cicitatis pollicentur. Tum machinis, quibus muros labefactarent, & proſternerent conſtructis, quotidiano inſulam aſſultu impetunt, & peregrinos ad ſe tranſeuntes perhumaniter excipiunt.

Dionyſ. animū deſpondet. Dionyſius igitur omni egreſſu in agrum ſe excluſum, & a mercenariis inſuper deſertum videns, amicorum Senatum convocat, & de præſenti difficultate cum illis conſultat; adeo enim ſpem omnem tuendi principatum abjecerat, ut non quo pacto Syracuſios debellaret, ſed quo mortis genere ſibi vitam amputaret, ne fortè ingloriam faceret Tyrannidis abdicationem, quæreret. Heloris igitur amicorum unus, veluti nonnulli tradunt, Poetæ pater, *Pulchrum ſepulturæ ornatum eſſe Tyrannidem*, illi ſubjecit. Polixenus ſocer, hoc conſilium dedit ut velociſſimo equo conſcenſo intra Carthaginienſium fines ſe auferat, Campanos ſolicitatum; hos enim Imilcar ad locorum defenſionem in Sicilia reliquerat. At Philiſtus, qui hiſtorias poſtea conſcripſit, Polixeno refragatus: Te decet, inquit, Dionyſi, oportetque non citato equo ex dominatu avolare, ſed vel *Tyrannidi renūciare renuit.* cruribus tractum reniti. Hujus ergo ſententiam Dionyſius amplexus quidvis prius ſubire, ac perpeti ſtatuit, quàm ſponte dominatione excedere.

Conjuratos Hoſtes fallit. Legatis igitur ad rebelles miſſis, facultatem ex urbe cum ſuis diſcedendi permitti ſibi petit. Interim nuncio clam ad Campanos ire juſſo, quantum flagitent pecuniæ ad obſidionem hanc ſolvendam pollicetur. His ita compoſitis Syracuſani poteſtatem faciunt Tyranno, ut cum navibus quinque emigret. Hinc ſegnius res geri, ac negligentius; pars quædam, ut ad obſidionem nulli amplius uſui futura, dimittitur, ex peditatu autem plurimi per agros diſperſi vagantur, ac ſi tyrannicus dominatus jam planè extinctus eſſet. Campani autem promiſſis excitati Agyrium primò contendunt; tum depoſitis apud Agyrium loci principem impedimentis, expeditè Syra*A Campanis ſubſidia impetrat.*cuſas advolant, equites mille, & ducenti numero, & itinere raptim confecto, ex improviſo Syracuſanis imminent, plurimiſque ex eorum numero cæſis ad Dionyſium intra munitiones penetrant.

Sub

Sub hoc ipſum tempus tercenti quoque mercenarii in ſubſidium Tyranni appellunt; unde emergendi ſpem iterum concepit. At Syracuſani quum tyrannidem rurſus confirmari viderént, in partes diſcedunt. Alii perſiſtendum in obſidione contendunt, aliis exauctorato exercitu urbem planè deſerendam eſſe placet; quod Dionyſius ſtatim olfaciens copias ſuas in eos educit, & turbatos invadens, facilè ad novam, quam vocant urbem, in fugam eos vertit, tametſi non magnus ibi numerus cecidit; Dionyſius enim obequitans fugientes necari prohibebat.

Rebelles fudit.

Oppidanis igitur confeſtim per agros diſſipatis, ac brevi poſt ad equites ſupra ſeptingentos ſeſe recipientibus, Dionyſius Syracuſanos, qui occubuerant, ſepulturæ mandari præcipit; tum Ætnam legatos mittit, qui exulibus ibi denuntient, ut abjectis odiis in patriam redeant, fidemque illis dat, ſe offenſæ deinceps memorem minimè futurum. Nonnulli, qui liberos, & conjuges poſt ſe reliquerant, ex neceſſitate quadam invitationi huic obtemperant; Reliqui, Legatis beneficium in cadavera cæſorum extollentibus, non alio beneficio dignum eſſe Dionyſium reſpondent, quàm ut illo ipſe quam primùm afficiatur. Hi ergo nullo ſe modo paſſi ſunt adduci, uti fidem Tyranno haberent, ſed maturam invadendi ipſum occaſionem expectantes Ætnæ ſubſtiterunt. Dionyſius verò ab exilio reverſis perhumanè ſeſe præbuit, ut exemplo hoc cæteros etiam ad patrias ædes repetendum animaret. Campanos inde honeſtis ornatos muneribus a ſe dimiſit, quòd mutabili illorum ingenio non eſſe fidendum crederet. Hi tum Entellam profecti, perſuaſis civibus, uti ſibi inquilinorum jus concederent, noctu per inſidias oppreſſos quotquot pueritiæ annos exceſſerant, contrucidarunt, illorumque uxoribus in matrimonium adſcitis, urbis ſibi poſſeſſionem uſurparunt.

Exules in patriá revocat.

Cãpan. muneratos dimittit.

Inter hæc Lacedæmonii, quum bello Peloponneſiaco jam finem impoſuiſſent, Ariſtum nobilem virum Syracuſas mittunt, abrogandæ quidem tyrannidis prætextu, ſed tacito confirmandi illius ſtudio, ut ſic ſibi obnoxium Dionyſium haberent. Ariſtus igitur Syracuſas delatus, ac ſecretò cum Tyranno collocutus, priſtinæ libertatis vindicem palam ſe veniſſe jactitat, occiſoque Nicotele Corinthio, qui Dux tum erat Syracuſanorum, proditis illis etiam, qui ſibi fidem adhibuerant, Tyranni potentiam auxit, ſuamque ac patriæ gloriam deturpavit. Hinc Dionyſius, plebe Syracuſana ad fruges demetendas dimiſſa, ſingulorum domos invadit, cunctiſque arma adimit; mox alterum arci murum obducit, naves ædificat, mercenarios milites, ac quidquid ad dominatum ſtabiliendum faceret, ſibi comparat. Tum vicina Chalcidentium oppida ditioni ſuæ adjicere properavit, Naxum videlicet, Catanam, & Leontinos; his ideo potiri cupiens, quòd & contermina Syracuſis eſſent, & magnum amplificandi imperii commodum ſibi præſtarent. Primò igitur Ætnam infeſto exercitu petens, caſtellum cœpit, exulum quippe vires ad reſiſtendum tantis copiis pares non erant. Poſt in Leontinos ducens prope urbem juxta Teriam amnem caſtra poſuit, & explicata ſtatim acie, præconem ad Leontinos mittit, qui urbem ſibi tradere jubeat; metu ſe oppidanos ſubacturum arbitratus. At ubi detractare Leontinos imperata, & cuncta obſidioni neceſſaria comportare videt: quòd machinis tunc careret, oppugnatione in præſens omiſſa, agros eorum depopulatur, ac vaſtat. Inde contra Siculos ſe convertit, hos potiſſimum bello a ſe

Ariſtus Lacedæm. Tyranno favet.

Chalcidenſ. ſibi ſubdere Dionyſius proponit.

Sicul. adoritur.

peti

peti ſimulans; ut Catanæi, Naxiique tanto ſegniores circa urbium ſuarum cuſtodiam redderentur.

Ennæos prodit. Ad Ennam autem hærens Acimneſto Ennæo Tyrannidis capeſſendæ author eſt, ſuamque ad hoc perſequendum operam pollicetur; Ille quòd aggreſſus erat, peragit; quum verò Dionyſium in urbem non reciperet, iratus ille, ſtudium ſuum aliò convertit, Ennæoſque ad repellendum Tyrannum inſtigat. Hi correptis ſubitò armis ad forum concurrunt, in libertatem ſe vindicaturi; quumque univerſa civitas turbationis, & tumultus plena eſſet, Dionyſius ſimulac de ſeditione audivit, adſcitis amicorum fidiſſimis per locum quemdam cuſtodià vacuum ſubitò progreſſus in urbem irrumpit, & comprehenſum Acimneſtum ad ſupplicium Ennæis tradit, nullisque urbi damnis illatis retrocedit; quod utique non tam juſtitiæ ſtudio, & amore fecit, quàm ut cæteras urbes ad fidem ſibi habendam pelliceret.

Caſtris inde amotis, Erbiteorum urbem oppugnandam adortus eſt; ſed quum res non ſuccederet, pace cum illis inita, copias adverſus Catanam duxit. Arceſilaus enim Catanenſium præfectus ad prodendum illi urbem ſeſe promiſſis obligarat. Circa mediam igitur noctem ab hoc intra mœnia admiſſus, in poteſtatem Catanam accepit; tum detractis populo armis idoneum in ea præſidium conſtituit. Poſtea etiam Procles Naxiorum Ductor magnitudine promiſſorum illectus patriam Dyoniſio prodidit, qui præmium proditori, mox ut exolvit, cognatis inſuper eidem conceſſis, reliquam civium multitudinem ſervituti addixit, fortunas horum militibus diripiendas tradidit, muroſque & ædificia deſtruxit. (1)

Catanam, & Naxū occupat.

Eadem calamitate etiam Catanæos affecit, captivos ſub haſta Syracuſis vendi jubens. Agrum quidem Naxiorum finitimis Siculis donavit, ſed urbem Catanæorum Campanis inhabitandam permiſit.

Leōtinos patriam deſerere cogit. Hinc Leontinos iterum adortus, cum omnibus copiis urbem circumſedit, & per legatos opidanis poſtulavit, ut & deditionem facerent, & Syracuſiorum civitati ſeſe aggregarent. Leontini ergo quum nulla ſpes auxilii undecumque ſupereſſet, conſiderato Catanæorum, & Naxiorum excidio, magno timore perculſi, tempori cedendum rati, oblatam conditionem ſubeunt, patriâque deſertâ Syracuſas contendunt.

Archonides inter hæc Erbiteorum præfectus poſteaquam pacem cum Dionyſio firmarat, novæ urbi condendæ animum adjecit; mercenarios enim plurimos habebat, & promiſcuam in opido turbam, quæ belli Dionyſiani metu illuc confluxerat; multi quoque Erbiteorum in coloniam hanc ultro nomina profitebantur. Populi igitur frequentia, quæ convenerat, aſſumpta collem quendam occupat ſtadiis octo a mari diſſitum, in quo Aleſæ urbis fundamenta jecit. De hac Erbiteorum colonia, & Aleſæ fundatione conſule quæ diximus Decade prima.

Aleſæ fundatio.

Subdit inde Diodorus eodem lib. XIV. ut Dionyſius Syracuſarum urbem munitam egregiè voluerit. Ejus verba ſunt: *Quum dominatus amplificatio Dionyſii votis, & conatibus reſponderet, Carthaginienſibus bellum movere ſtatuit, ſed quia a neceſſariis nondum ſatis inſtructus erat, conſilia interea occultat, & quæ ad futurum certamen conducerent, providè conquirit. In memoriam autem revocans, urbem Bello Athenienſi muntione ex utroque mari ductâ, circumſeptam fuiſſe, metus ſubiit, ne ſimile aliquando infortunium expertus, exitum in agros prorſus interclusum haberet, Epipolarum enim ſitum con-*

Syracuſ. munit.

contra Syracuſas peropportunum eſſe cernebat. Architectis ergo acceſſitis, ex ſententia illorum muniendas Epipolas ſuſcepit, ubi nunc murus ad Hexapyla, exiſtit. Locus enim iſte ad Septentrionem converſus, totus eſt præruptus, & ob aſperitatem ab exteriori parte, inacceſſus. *Epipolas muro cingit.*

Structuram ergo illam quam primum abſolvere cupiens, turbam ex agris undique congregat, ex qua idoneos negotio, omnes liberæ conditionis viros ad ſexagies mille deligit, interque eos communiendi loci partes diſtribuit. Tum ſingulis ordine ſtadiis Architectum præficit, & quot plethra tot fabros, & ſuos cuique miniſtros ducenos utique in plethrum adhibet. Eſt plethrum menſura græca, centum habens pedes, adeoque ſexta pars ſtadii. Præter hos alii non exiguo numero rudem adhuc lapidem cedebant; Sex millia inſuper boum juga ſuis deſtinata locis habuit. Tanta operantium multitudo magnam ſpectantibus admirationem offerebat, dum quiſque aſſignatum ſibi munus gnaviter exequi laborat. Ut porro alacritatem in omnibus excitaret Dionyſius, magna hic Architectis, illic fabris, iſthic operariis dona propoſuerat. Ipſe cum amicis per totos dies operum inſpectioni adhærebat, ubique ſeſe oſtendens, & defatigatos ſubinde relevans, tandemque ſepoſita imperii majeſtate privati perſonam induit, & graviſſimis ſe miniſteriis ducem, & miniſtrum præbens communes cum aliis quibuſvis ærumnas in ſe receptas ſubſtinuit. Quo factum, ut certatim quiſque labori incumberet, & diurnis operibus noctis etiam patem nonnulli adjicerent; tam ambitioſa conſummandi operis cupiditas multitudinem inceſſerat. Quare ſupra quam cujuſque ſpes, aut fides tulerat, dierum viginti ſpatio, abſolutum muri opus ſtetit ad triginta ſtadiorum longitudinem protractum, & ad eam mediocritatem altitudinis erectum, ut firmitate ſua vim quamvis oppugnantium aſpernaretur; nam celſis per crebra intervalla turribus diſtinctum erat, ſaxiſque quaternûm pedum artificioſè coagmentatis inter ſe conſtabat. Poſt hæc Dionyſius opidum ſub Ætnæ monte conſtituit, cui ab inſigni Adrani fano nomen indidit, Olympiadis xcv. anno primo. *Muri ſtructurâ urget.* *Operum numerus.* *Muri opus abſolvit.* *Adranum opidum condit.*

Anno inſequenti, quum Rhegini a Chalcidenſibus quondam deducti Dionyſii incrementa moleſtè ferrent. Naxios enim, & Catanenſes jure cognationis ſe contingentes in ſervitutem redegerat, utque in periculo communi cum oppreſſis ſe verſari cernerent, non mediocriter conſternabantur, quòd omnes utique metuerent, ne eaſdem ſubire calamitates cogerentur. Conſultiſſimum ergo viſum eſt ipſis, ut priuſquam vires ſuas omnino confirmet, ac ſtabiliat tyrannus, maturè bellum ipſi faceſſant. Ad hujus belli ſocietatem etiam Syracuſani a Dionyſio in exilium pulſi ſeſe adjunxerunt, non minimâ rerum ad expeditionem neceſſariarum copiâ a Rheginis inſtructi; illo enim tempore magna illorum multitudo Rhegii ſe continebat. Ducibus itaque ad hoc creatis cum ſex millium peditatu, & ſexcentis equitibus, ac triremibus quinqaginta expeditionem faciunt, tranſmiſſoque freto Meſſanenſium Prætores ad commune bellum adhortantur, hoc potiſſimùm argumento: indignum fore, ſi urbem Græcam ſibi vicinam funditus a Tyranno excindi paterentur. Duces igitur a Rheginis perſuaſi injuſſu populi militem educunt; Erant verò millia peditum quatuor, & equites quadringenti, & triginta triremes. *Rhegini Dionyſ. ſeſe opponunt.* *Socios Meſſan. accipiunt.*

Qui ſententiâ mutatâ recedût.

Cum his copiis poſteaquam ad Meſſanæ fines proceſſerunt; ingens ſeditio exercitum inceſſit Laomedontis Meſſanenſis oratione excitata; Is enim conſilium dabat, ne primi Dionyſio, a quo nullâ injuriâ laceſſiti eſſent, bellum moverent. Meſſanenſes igitur milites, quòd non populus hoc bellum ſcitu ſuo approbatum indixiſſet, ſtatim in ſententiam ejus conceſſerunt, relictiſque ducibus domum remearunt. Tum Rhegini per ſe ſubſtinendo bello impares, ubi Meſſanenſium copias dilapſas eſſe vident, etiam ipſi ad urbem ſuam revertuntur. Dionyſius autem ad fines territorii Syracuſani initio militem eduxerat hoſtium impreſſiones excepturus; poſtea de regreſſu illorum edoctus exercitum Syracuſas abduxit. Hinc quum Rhegini, & Meſſanenſes de pace legatos ad ipſum mitterent, conducibile ſibi exiſtimans, ſi mutuæ inimicitiæ diſſolvantur, pacem cum urbibus hiſce redintegravit.

Pax inter Rhegin. & Meſſan. cum Dionyſio.

DE BELLO CARTHAGINIENSIBUS ILLATO.

Dionyſ. ad bellú contra Pœnos ſe parat.

VIdens Dionyſius Græcorum nonnullos in Carthaginienſium ditione excurrentes, & jus civitatum, & rem familiarem adipiſci, quamdiu pax cum Carthaginienſibus duraret, multos jam ſuo imperio ſubjectos ad ipſorum clientelam confugituros; bello autem redintegrato, omnes Carthaginienſium preſſos ſervitute, ad ſe deſcituros arbitratus eſt. Famâ etiam acceperat, magnas in Africa ſtrages a peſtilenti contagio factas eſſe. Commodum ergo belli tempus ſe adeptum ratus, neceſſaria ad expeditionem hanc ante omnia procuranda ſtatuit, quum facile conjiceret, quòd cum potentiſſima omnium gente armis diſceptaturus eſſet, bellumque hoc ingens, ac diuturnum fore. Confeſtim itaque artifices, ac fabros congregat, quorum alios ex opidis ſuæ ditionis imperio cogit, alios ex Italia, & Græcia ampla mercede invitat. Infinitam enim armorum vim, & tela omnis generis, naves, præterea, triremes, & quinqueremes fabricare inſtituit. Magna igitur opificum multitudine congregata, pro cujuſque arte operas diſtribuit, horumque inſpectionem clariſſimis civium aſſignavit, magnis præmiis ſolertiam ſe compenſaturum pollicitus. Certam quoque armaturæ cuique formam præſcripſit, quòd ex variis hinc inde gentibus conductitius miles ad ipſum confluxiſſet. Uſitatis enim, patriiſque armis munire ſingulos properabat. Adjuvabant interim Syracuſani Dionyſii conatum propenſo ſtudio; non enim in veſtibulis templorum, & poſticis horum partibus, adeoque in gymnaſiis, & parietibus circa forum, omnis ubique locus refertus erat; ſed præter loca publica per conſpicuas maximè civium ædes magno paſſim numero arma conficiebantur.

Artifices, Fabroſq. undiq. congregat.

Catapultaria Ars invêta Syracuſis.

Catapultaria ars equidem hoc tempore Syracuſis primùm inventa, nec mirum, quum præſtantiſſimi quique artifices unum in locum undique conveniſſent; mercedis enim magnitudo, ac præmiorum largitio, palmam obtinentibus propoſita induſtriam, ſtudiaque mirificè incendebant. Et ſuper hæc omnia Dionyſius operas quotidie colluſtrans obire, blandiſque verbis compellere, & promptiſſimum quemque honorario aliquo decorare, ad convivium etiam quandoque invitare. Quapropter omni certatim ſtudio artifices impenſo, tela, machinaſque peregrinas, maximoſque ad bellandum uſus præbituros magno ſubinde numero elaborabant. Dionyſius porro

Quinqueremes primus Dionyſ. ædificat.

ro triremes etiam, & quinqueremes cum ſcaphis, primus ſtructuram hujuſmodi commentus, ædificare cœpit; nam quum audiſſet, primam Corinthi triremem fuiſſe extructam, in deducta illinc urbe, & Colonia ſtructuram navium amplificandam eſſe cenſuit. Materiæ igitur ex Italia tranſvehendæ copiâ ſibi factâ, dimidium fabrorum ad Ætnæ montem dimiſit, qui temporibus illis abietum, picearumque vim non exiguam habebat, reliquis in Italiam tranſmeare juſſis plauſtra deſtinat, quibus ligna ad mare deferantur, navigiaque & miniſtros, a quibus rates illæ quam expeditiſſimè Syracuſas tranſvehantur. Quum ergo ſat materiæ coactum haberet, uno ſtatim tempore naves ultra ducentas compaginare, & reſiduas centum atque decem reficere cœpit. Quin etiam domicilia ſubducendis navibus in circuitu portus centum ſexaginta extruxit, quorum pleraque binas naves exciperent. Veteres etiam ſarciendas, tegendaſque centum quinquaginta numero curavit. Tanta navalium, navigiorumque uno loco ædificatorum copia magnum omnibus ſtuporem injecit; nam ſi quis ad impendia navium oculos adjiceret, huc Siciliam vires contuliſſe putabat; ſi ad machinarum, armorumque architectos ſe conferret, hìc omnis miniſterii facultates inſumptas judicabat.

Naves ducentas juſſit, Navale auxit.

Militum copias contrahit.

Inſequenti anno Dionyſius poſteaquam navium, armorumque confectionem abſolviſſet, ad contrahendas inde militum copias totum ſe convertit. De Syracuſanis igitur idoneos maximè collegit, & ex opidis ſibi addictis commodos ſibi viſos accerſivit. Conductitiam quoque manum e Græcia, & Lacedæmonum ditione potiſſimùm contraxit; a quibus enim potentia ejus incrementa acceperat, ab iiſdem etiam quotquot vellet, militiæ ſuæ adſcribendi copia illi facta eſt. Poſtremò dum numeroſum peregrini militis agmen congregare laborat, & larga idcirco ſtipendia offert, plurimos fidem ſuam obligantes accepit. Et quia bellum ingens excitare decreverat, ſparſis per inſulam opidis perhumanè ſeſe exhibebat, ut hac ratione ad benevolentiam illorum cives alliceret. Videns præterea Rheginos, & Meſſanenſes freti accolas copiis non exiguis inſtructos eſſe, ſubvereri cœpit, ne aliquando Carthaginienſibus in inſulam reverſis ſeſe accommodarent. Qua, perplexus cura Dionyſius prolixam tandem finitimi agri partem Meſſanenſibus concedit, & beneficio hoc illos ſibi obnoxios reddit.

Mercenarios etiam cōducit.

Cum Rheginis affinitatē inire petit.

Ad Rheginos etiam legatos mittit petitum, uti affinitatem ſecum contrahant, & virginem aliquam ex opidanis in matrimonium ſibi collocent, ad cujus meriti gratiam, ſe bonam contermini agri partem illis adjecturum, urbiſque opes pro viribus ſuis amplificaturum promittit. Poſtquam enim prior ejus uxor, Hermocratis filia, in illa equitum defectione trucidata fuerat, ex alia ſobolem quærebat, Natorum erga populum benevolentiâ Dominatum ſe quàm firmiſſimè conſtabiliturum ratus. At verò de his convocato Rhegii populo, multiſque in utramque partem diſputatis, ita tandem fuit diſceſſum, ne hæc affinitatis neceſſitudo ineatur. Dionyſius igitur hac ſpe fruſtratus ad Locrenſes mittit idem negotium acturos legatos. His conjugale fœdus amplexis Doridem Xeneti clariſſimi per id tempus viri filiam ſibi deſponſandam etiam curat, paucíſque ante nuptias diebus, quinqueremem recentis artificii opus argenteis, aureiſque inſtructam ornamentis, Locros miſit, eoque Virginem Syracuſas tranſvectam in arcem ſuam recepit. Matrimonio etiam ſibi

Fruſtratus, ad Locrenſ. mittit.

Uxores binas ducit.

junxit nobiliſſimam ex civibus puellam Ariſtomachen; quam albis quadrigis domum ſuam deduxit. Quum geminas eodem tempore nuptias celebraret, crebras militibus, & pleriſque civium epulas inſtituit. Tyranni enim acerbitatem jam depoſuerat, animoque ad humanitatem converſo, benignius, æquiuſque ſubditos tractabat, ita ut ab aſſueta cædium, & proſcriptionum crudelitate ſibi temperaret.

Bellū Carthagin. inferre decernit.

Paucis deinde diebus a nuptiis interjectis concionem advocat, & populum Syracuſanum exhortatur, ut bellum Carthaginienſibus Inferant; hos præ omnibus populis infeſtiſſimos Græci nominis eſſe hoſtes, Siculiſque inſidias perpetuò tendere. Quum igitur prolixa oratione argumentum hoc proſequutus eſſet, aſſenſionem a Syracuſanis facilè impetravit, qui non minus quàm Dionyſius belli hujus cupidi erant. Odio enim Carthaginienſes habebant, per quos Tyranni juſſis parere coacti eſſent; tum hoſtium metu, & inſidiarum expectatione mitiorem ſibi Dionyſium fore ſperabant, & quod omnium erat potiſſimum, ſe bello ſuperiores, modo fortuna occaſionem daret, priſtinam libertatem recepturos confidebant.

Pœnorū opes Syracuſ. repertas diripit.

Dimiſſa concione plebi Syracuſanæ Punicas diripiendi opes facultatem concedit. Carthaginienſes enim haud pauci Syracuſanorum inquilini erant, magnis opibus ditati. Multi etiam mercatores plenas mercium naves tum in portu continebant. Horum igitur bona ſtatim involant Syracuſani. Ita cæteri quoque Siculi Pœnos ſecum habitantes ejiciunt, fortunaſque illorum diripiunt; nam licèt violentum Dionyſii dominatum extremo proſequerentur odio, bello tamen adverſus Carthaginienſes ſuam adjungere operam ob inſignem

Carthag. Siculis invi ſi.

hominum crudelitatem illis in votis erat: ideoque qui Græcas ſub Pœnorum ditione urbes incolebant, quum apertum jam a Dionyſio bellum geri cernerent, ſuum & ipſi odium in illos exercuerunt. Non enim prædam tantùm ſibi ipſorum bona fecerunt, ſed eos præterea comprehendunt, ac ſævitiæ pœnas in corpora miſerorum deſignant, memores illorum, quæ in excidiis urbiū ſuarum olim ipſi fuerant paſſi, ad eamque ultionis de Pœnis exigendæ aſperitatem tunc, & deinceps proceſſum fuit, ut hoc talionis exemplo Carthaginienſes admoniti, non amplius in ſubjectos ſævire diſcerent. Hinc

Bellū Dionyſ. Carthagin. denunciat.

Dionyſius, ubi cuncta ad bellum neceſſaria præparaſſet, nunciis Carthaginem mittendis animum intendit, qui bellum ipſis a populo Syracuſano indictum denunciarent, ni ſubactas a ſe Græci nominis urbes libertati priſtinæ reſtituant. Præconem igitur cum epiſtola Carthaginem ad Senatum mittit, in qua ſcriptum erat: Syracuſiorum populo decretum eſſe bellum Carthaginienſibus, niſi Græcis in Sicilia urbibus exceſſerint, inferre. Hic prout juſſus erat, in Africam trajiciens, literas Senatui reddit, quibus primùm In curia, deinde ad populum recitatis, non mediocris Carthaginienſes anxietas imminentis belli metu invadit. Infinitam enim propemodum multitudinem peſtis extinxerat, & rerum omnium apparatu deſtituebantur. Syracuſanorum tamen cœpta quorſum erumperent interim expectant, & nonnullos e Senatu ad contrahendum ex Europa militem dimittunt.

Motyam invadere proponit.

Dionyſius ergo cum Syracuſanorum delectu, & conductitiorum manu, ſociorumque auxiliis Syracuſis egreſſus, Erycem verſus iter intendit; non procul enim ab hoc colle ſita erat urbs Motya, Co-

lonia

Colonia Carthaginienſium, quæ præcipuam tunc belli arcem ad Siciliam invadendam præbebat, eâque occupatâ, non exiguis ſe commodis hoſtes anteceſſurum ſperabat. Per totum porro iter Græcarum urbium auxilia ſibi paſſim adjungit, multitudinem ad arma concitans, primoſque Camerinæos aſſumit, & poſt hos Geloos, & Agrigentinos. *Auxilia ſolicitat.* Himeræos etiam alteram Siciliæ partem incolentes acceſſit, inque tranſitu Selinuntiis ad belli ſocietatem adductis, omnes tandem copias Motyæ admovet. Sub vexillis autem habebat peditum millia octoginta, equitum verò tria millia. Naves præterea longas expediverat haud pauciores cc. Quas ſequebantur onerariæ machinis plurimis, & omni commeatus genere refertæ non infra quingentæ

Tam inſignem apparatum dum vident Erycini, tum copiarum numero territati, tum odio Carthaginienſium impulſi in Dionyſii partes concedunt. *Ericinos ſocios ſibi adjungit.* At Motyæ incolas, quòd ſubſidia Carthaginienſium expectarent, ingens Dionyſii exercitus non perterruit, ſed ad toierandam obſidionem ſe pararunt; non enim ipſos latere poterat Syracuſani populi conſilium, quòd Motyam omnium primam eſſent aggreſſuri. Jacet autem hæc urbs in quadam inſula ſex ſtadiis ab ora Siciliæ diſtans, & multitudine ædificiorum, elegantiaque præclarè inſtructa, quòd habitatores ejus opibus abundarent; anguſtamque habet viam manufactam, quæ ad littus Siciliæ perducit. *Motyæ ſitus, & ædificia.* Eam tunc Motyani diruunt, ne hoſti per illam acceſſus habeatur. Dionyſius inde cum Architectis ſitum urbis contemplatus, aggeres ad illam ducere cœpit, longis navibus in ipſo portus aditu ſubductis, ionerarias in littore ancoris firmat. *Motyā Dionyſ. terrā marique obſidet.* Poſt Leptini claſſis Prætori curam obſidionis demandat, ipſe verò cum pedeſtri agmine ſocias Carthaginienſium urbes aggreditur; Et Sicani ſtatim omnes magnitudine exercitus territi, Syracuſanis adhæſerunt; ex reliquis tandem opidis tantùm quinque in fide Carthaginienſium perſtiterunt, quæ ſunt Ancîræ, Solos, Ægeſta, Panormus, Entella. Solontinorum igitur, Panormitanorumque, & Ancireorum terras diripit, excidioque Arborum mulctat. Et Ægeſtanorum urbem, Entellanorumque cum exercitu circumſeſſas aſſiduis conatibus oppugnans, ſumma vi ſubigere illos properat.

Imilcar interea Carthaginienſium Dux Navarchum cum decem triremium claſſe dimittit, jubens ut clam noctu ſolvens citiſſimo curſu rectà verſus Syracuſas tendat, & noctu portum ingreſſus relictas ibi naves corrumpat. *Imilcar hoſtiū vires diſtrahere tentat.* Id hoc conſilio moliebatur, ut hoſtium vires diſtraheret, & Dionyſius partem navium ad patriæ defenſionem dimittere cogeretur. Navarchus ille ſine mora juſſa peragens, noctu in portum Syracuſanum invectus, inſciiſque omnibus, ex improviſo naves quotquot in portu offendit, roſtris impetit, & diſſolutis fermè cunctis, iter in Africam reflectit. At Dionyſius pervaſtatis agris omnibus, qui ſub Pœnorum ditione erant, & hoſtibus intra mœnia coactis, ad Motyam univerſas copias reducit; Ubi hac expugnata, reliquas ſtatim deditionem facturas arbitratus. Repente igitur cum majori hominum numero operi incumbens intermedium trajectus ſpatium aggeribus complet, & machinas pro ratione creſcentis aggeris ſubinde propius admovet. *Dionyſ. Motyæ obſidionē promovet.*

Sub id verò tempus Imilcar explorata navium Dionyſianarum ſubductione, longè præſtantiſſimas ſuarum triremium extemplo ad cen-

centum circiter complevit; futurum arbitratus, uti improviſo incurſu navibus in portu ſubductis facilè potiretur, quum mare in ſua habeat poteſtate; & ſi hoc ſucceſſerit, Motyæ obſidionem ſolvat, bellumque Syracuſas transſerat.

Imilcar Dionyſ. naves corrūpit.

Egreſſus itaque oræ Selinuntinorum noctu appulit, & circumnavigato Lilybæi promontorio, ſub ortum diei ad Motyam acceſſit, hoſtibuſque nihil tale expectantibus ſuperveniens navium alias confregit, alias incendit, quum nullum a Dionyſio tum auxilium ferri poſſet. Hinc portum ingreſſus naves ſic inſtruxit, ac ſi navigia ſubducta invaſurus eſſet.

Dionyſ. naves defendit.

Dionyſius igitur copias ſuas ad fauces portus confertim ire jubet; & videns exitum illum ab hoſtibus jam inſeſſum, navigia in portum deducere non audet, fatiſque advertit propter oſtii illius anguſtias paucis triremibus cum multò pluribus dimicandum eſſe; & quia numero militum abundabat, facilè navigia per terram protr act in remotius a portu mare inde conſervavit. Imilcar primas adortus triremes jaculorum multitudine repellitur; in navibus enim Sagittarii, Funditoreſque conſtiterant, a terra verò Syracuſani catapultis, quarum peracutæ erant cuſpides, rem gerentes plurimos ex hoſtili turba perimebant; enimvero hoc teli genus magnum Pœnis terrorem incutiebat, quod illo primùm tempore excogitatum eſſet.

Hoſtes Carthaginē repetere compulit.

Pœnus igitur quum, quod inſtituerant, exequi non poſſet, in Africam receſſit, ratus minimè tentandam eſſe cum duplo majore claſſe navalis prælii fortunam.

Dionyſius verò, quum operarum multitudine aggerem perfeciſſet omnis generis machinas ad muros tandem adegit, arietibus turres, verberans, & de propugnaculis reſiſtentes opidanos catapultis arcens,

Aggerē contra urbē perficit.

Turres etiam rotis incumbentes, quæ a ſenis promoverentur, ad mœnia adduxit, quarum altitudo domus exæquabat. At Motyani cives, quamvis cominus jam periculum ſubeundum eſſet, & omni ſociorum auxilio tum deſtituerentur, non tamen conſternari tantis Dionyſii viribus ſe patiuntur, ſed oppugnantes gloriæ ſtudio vincere connixi, milites loricatos ſuper malos erectis antennis collocant, qui ſtupas pice illitas, faceſque ardentes ex editis locis in machinas hoſtium demittunt. Materià igitur celeriter a flammis correptà, Siculi repente ad opem ferendam accurrunt, reſtinctoque incendio, frequenti arietum concurſu haud exiguam mœnium partem evertunt, quò quum magnus utrinque concurſus fieret, validum inſurgit certamen. Siculi namque urbe ſe jam potitos arbitrati, quodvis tolerare, ut illatas ſibi injurias a Pœnis exigerent; contra opidani poſitis ſibi ob oculis captivitatis malis fortiter occumbere; deſperataque tandem murorum defenſione, angiportubus obſtructis, extremas ſub mœnibus ædes veluti murum operoſiùs extructam occupant, unde in longè majorem difficultatem Dionyſii miles conjicitur.

Cōtra oppugnātes Motyæi dimicant.

Quum enim confertim juxta mœnia illapſi, jam opidum a ſe captum exiſtimarent, deſuper ab his, qui ex editis domiciliorum tectis pugnabant, vulneribus peſſimè excipiuntur. Ad primas tamen domos ligneis turribus admotis, ſcalas ad aſcenſum illico paratas habent, & quia tecta domorum fabricæ turrium exæquabant, cominus deinceps pugnatur. Tum Motyani conſiderata periculi magnitudine, uxoribuſque & liberis ante oculos obverſantibus, dum horum ſaluti timent, ſumma alacritate certamen ineunt. Nullus enim ex urbe fugæ locus erat; quippe quæ maris fluctibus, & hoſte ma-

maris imperium obtinente, undique cingerentur. Perculerat Pœnos maximè crudelitas Græcorum, quam in captivos enormiter exercuerant, eademque ſibi experiunda præſciebant; nihil ergo aliud reliquum erat, quàm ut ſtrenuè pugnando aut vincerent, aut caderent. Hæc pertinacia, quum obſeſſorum animos inceſſiſſet, magna Siculis difficultas ingruit; nam de tabulatis utcumque applicatis dimicantes gravi cum damno repelluntur, propterea quod & loci anguſtia præmerentur, & cum deſperatæ temeritatis hoſte, vitæque ſuæ prodigo certamen gereretur. Denique quum per integrum pene diem oppugnatio ita continuaretur, Dionyſius ad veſperam milites a pugna revocatos oppugnationem intermittere jubet. Archylumque Turium cum ſeleƈtiſſimis cohortibus ſubinde dimittit. Archylus noƈte intempeſtà ædificiis jam laceratis ſcalas adjicit, per quas cum ſuis eveƈtus, occupato quodam loco idoneo, mox reliquos a Dionyſio ſubmiſſos accipit. Quod ut quamprimum Motyani perſentiunt, omni jam ſtudio ad propulſandum occurrunt, occaſione quidem tardius, ſed tamen animis ad quodvis ſubeundum periculum non deminutis. Atrox inde pugna conſeritur, multiſque ſubinde illuc enixis, vix tandem repugnantem hoſtem Siculi loco pellunt. *Dionyſ. oppugnationem intermittit.* *Noƈte per ſcalas opportuna loca occupat.*

Confeſtim mox univerſus quoque Dionyſii exercitus per aggerem traduƈtus in urbem jam captam irrumpit, omniſque idcirco locus occiſorum cadaveribus repletur. Siculi namque Pœnorum crudelitatem quàm crudeliſſimè ulciſci cupientes, obvios quoſque promiſcuè trucidare, nullius ætatis, aut ſexus habita ratione. At Dionyſius opidanorum turbam venumdare cupiens, ut pecunias hinc contraheret, a cæde captivorum militem cohibere inſtituit, ac ubi neminem juſſis obtemperare, ſed effreni impetu Siculos ferri videt, præcones illico dimittit, qui Motyęis voce denuncient, ut ad religioſa Græcorum fana confugiant, quo facto militum vulgus a cæde ceſſavit; ſed omnis impetus ad bona civium diripienda converſus eſt. Tum magna vis argenti, nec minima auri, ingenſque pretioſæ veſtis, & multifariæ opulentiæ copia diſtraƈta; urbis enim direptionem Dionyſius militi conceſſit, ut ad futura pericula promptum dehinc, alacremque redderet. Quo defunƈtus negotio, Archylum, qui primus murum conſcenderat, coronæ muralis loco centum minis remuneratur, & reliquos, pro virtutis eorum merito honorat; Motyærum verò quidquid cædi ſupererat, ſub haſta vendit, nonnullos Græcorum, qui ſocia Carthaginienſibus arma junxerant, vivos ſibi traditos in crucem agit. Hinc præſidio ad urbis cuſtodiam reliƈto, cujus major pars ex Siculis erat, Bitontem Syracuſanum præficit; Leptinemque claſſis imperatorem cum navibus cxx. Pœnos, ſiquando trajicerent, obſervare jubet, ac illi in mandatis relinquit, ut Ægeſtam, Entellamque, uti jampridem inſtituerat, incurſationibus vexet, ipſe verò exeunte jam æſtate cum exercitu Syracuſas revertitur. *Urbêque expugnat.* *Ingens Civiû ſtrages, & bonorû direptio.* *Dionyſ. Syracuſas repetit.*

Olympiade nonageſima ſexta allabente, eduƈto Syracuſis exercitu Dionyſius Pœnorum agros invaſit, Halyciærumque legatos excepit, qui metu perculſi ſocietatem cum eo inire poſtularunt. Sed Ægeſtæi obſidentium munitiones ex improviſo adorti, igne tabernaculis injeƈto, magnum per caſtra tumultum excitaverunt; quumque graſſante ad longum ſpatium flamma reprimi tam facilè nequi- *Rurſus in hoſtes ducit.*

quiret, evenit; ut militum aliquot ad reſtinguendum properantes interirent, equorum verò plurimi cum tentoriis cremarentur, Dionyſius tamen nemine obſiſtente, agros hoſtili populatione vexat. Leptine interim cum claſſe ad Motyam ſubſiſtente, atque ad hoſtium navigationem continuè intento.

Carthagin. adreſiſtendum ſe parant. Sed & Carthaginienſes de virium Dionyſii amplitudine certiores facti, rerum bellicarum apparatu longè ipſum ſuperare decernentes, Imilconem ſibi Imperatorem creant, & cum ex Africa univerſa, tum ex Hiſpania militum copias conſcribunt, quorum partem a confœderatis evocant, partem ære ſuo conducunt, tandemque peditum tercenta millia, equitum quatuor millia cogunt, curribus exceptis, qui cccc. numerum explent. His acceſſerunt longæ naves cccc. quæque frumenta, machinaſque, & reliquam miniſterii copiam adveherent non infra ᴅᴄ. ut quidam ab Ephoro recenſent; Timæus verò tranſvectas e Lybia in Siciliam copias centum millia non exceſſiſſe affirmat, quibus triginta millia e Siculorum delectu acceſſerunt. *Ingens illorum bellicus apparatus, & claſſis.* Imilcar autem Gubernatorum unicuique obſignatas tradidit literas, quas ne prius reſignarent, quàm e portu exiſſent, ac tum demum mandata capeſſerent, edixit; quod propterea commentus eſt, ne cuiquam ex ſpeculatoribus certi aliquid ad Dionyſium perferendi facultas daretur. Scriptum verò fuerat, ut Panormum verſùs recto curſu tenderent. Secundo igitur vento omnes inde ſolvunt, & onerariæ directè in altum vela faciunt, Triremes Africæ littora legunt; quumque ad Siciliæ conſpectum onuſtæ naves veniſſent, vehementiore concitatæ flatu, Leptinem Dionyſius cum xxx. triremibus in eos miſit, jubens, ut quotquot aſſequeretur, roſtris incurſans peſſum daret. Is haud cunctanter in altum ſubvectus, prælio cum primis conſerto, quaſdam cum ipſis hominibus depreſſit, reliquæ felici adjutæ vento, licèt oneribus ſatis gravatæ non difficulter evaſerunt. *Syracuſ. onerarias Carth. naves deprimůt.* Ex illis quinquaginta circiter, quibus militum quinque millia, & ducenti currus advehebantur, ſubmerſæ perierunt.

Imilcar interim ad Panormum trajecit, expoſitiſque copiis in hoſtem contendit, & juſſis prænavigare triremibus, ipſe in tranſitu Erycem proditione cepit, moxque ad Motyam caſtra movit, & quia per id tempus circa Ægeſtam cum exercitu Dionyſius hærebat, Imilcar vi Motyam expugnat. *Imilcar Motyam expugnat.* (2) Tametſi verò Siculi ad confligendum cum hoſte ſeſe promptos exhibebant, Dionyſius tamen, quòd procul ab urbibus confœderatis aberat, & commeatus jam defecerat, bellum in alium transferre locum præſtabilius duxit. Quum igitur copias abducere conſtituiſſet, Sicanos hortari cœpit ut pro neceſſitate tum ingruente urbibus ſuis relictis, militiæ ſeſe adjungerent, meliorem illis agrum, nec priſtino minorem ſe daturum, pacatoque bello, qui vellent, in patriam reducturum promiſit. Pauci igitur ex Sicanis metu perculſi, ne, ſi oblatas conditiones reſpuerent, a militibus diriperentur, Dionyſii poſtulatis morem gerunt, reliqui verò inde abſcedunt. *Dionyſ. Syrac. regreditur.* Tunc etiam Halyciæi deficiunt, miſſiſque in Carthaginienſium caſtra legatis, ſocietatis fœdus cum ipſis renovant. Dionyſius raptim idcirco Syracuſas contendit, pervaſtatis ubique agris, quò ducebat.

At Imilcar dum res ex animi ſententia procedere videt, inſtructo exercitu, contra Meſſanam caſtra movet, ob locorum opportunitatem ſubigendæ ejus in primis cupidus; ibi enim percommodus

erat

erat portus ad totam claſſem excipiendam, quæ non minus ſexcentis conſtabat navibus; Tum ſi fretum ſuæ poteſtati ſubjugaſſet, auxiliis ex Italia trajectionem ſe præcluſurum, & ex Peloponneſo claſſes tranſitu prohibiturum ſperabat. Hæc animo obverſans, cum Himeræis, & Cephaledenſibus amicitiam iniit, & Lipara urbe potitus, triginta talentorum mulctam inſulæ imponit. Tum univerſo cum exercitu, claſſe juxta adnavigante, Meſſanam petit, brevique ingens emenſus iter, ad Peloridem caſtrametatur, ita ut inter ipſum, urbemque centum ſtadia tantùm intereſſent. Opidani verò adventu hoſtium explorato, non eadem inter ſeſe de bello ſentiebant; nonnulli enim, quanta vis eſſet exercitus hoſtilis audientes, ſeque ab auxiliis ſociorum deſertos, nec non ſuorum equitum, quos Syracuſas miſerant, præſidio deſtitutos cernentes, urbem defendi poſſe diffidebant. Deſperationem quoque plurimùm augebat, quòd mœnia procubuerant, nec ad neceſſaria præparanda præſens tempus otium concedebat; quo circa liberos, uxoreſque, & res peculii ſui pretioſiſſimas in vicinas tranſportarunt urbes. Alii verò veteris oraculi memores, quo prædictum, ſore ut Pœni in urbe illa aquam geſtarent, ex vulgari fama, prout illis commodum erat, illud interpretantes, quaſi Meſſanæ ſervitutem ſerviturì Carthaginienſes eſſent, magnam animi fiduciam conceperunt, magnamque in aliis ad pericula pro communi libertate fortiter ſubeunda promptitudinem excitabant; confeſtim igitur juventutis delectu habito, fortiſſimos quoſque ad Peloridem mittunt, qui ab eruptione in agros hoſtes prohiberent.

Imilcar Meſſanâ adoriri ſtatuit.

Variæ Meſſanenſ. ſententiæ.

Urbs ab hoſte tuendâ decernunt.

His mandata exequentibus, Imilcar Meſſenios ad deſcenſum impediendum effuſos cernens, ducentas ad urbem naves tendere jubet; exiſtimabat enim, quod conjectatu facile erat, interea dum præſidium Meſſanenſium exſcenſui ſeſe opponit, claſſarios urbem defenſoribus vacuam haud magno negotio occupaturos. Boreas tum puppibus incubuerat, hinc factum, ut naves plenis in portum velis deferrentur, præſidiumque ad Peloridem miſſum, quamvis ſubito itinere properaret, ab hoſtili tamen claſſe præveniretur. Pœni igitur undique circumfuſo exercitu per diruta mœnia vi ſibi tranſitum facientes, Meſſanâ potiuntur. Cives autem quotquot pugnam cum hoſte conſerunt, generoſam oppetunt mortem; magna vulgi pars per adjacentes urbi montes evadens in caſtella regionis paſſim diſpergitur, nonnulli ab hoſtibus intercipiuntur, alii in anguſtias circa portum concluſi, in mare ſe præcipites demittunt, quòd maris medii tractum natando ſuperare ſe poſſe confiderent, quumque plures quàm ducenti eſſent, vix quinquaginta ad Italiæ littus vivi pervaſere.

A Claſſariis urbs occupatur.

Cives diſperguntur.

Tum Imilcar cum toto exercitu Meſſanam ingreſſus, primùm caſtella, quæ per urbem erant, oppugnare inſtitit, ſed quia probè munita ſtrenuè defendebantur ab iis, qui in ea confugerant, expugnari tum illa non poſſe videns, in urbem ſe recepit, refectiſque copiis, extemplo Syracuſas verſùs expeditionem inſtituit. Cæterùm Siculi Dionyſium jam pridem exoſi, commodam tum nacti occaſionem, ad Carthaginienſes, exceptis Aſſorinis, deſciverunt. Dionyſius verò ſervis ad pileum in urbe Syracuſarum vocatis, ſexaginta naves complet, e Lacedæmoniis enim pluſquam mille mercenarios accivit, & caſtella per agrum adiens, importatâ annonâ, munivit,

Syracuſas Imilcar cõtendere cogitat.

Summo in primis ſtudio Leontinorum arces firmavit, frugeſque ex circumjacentibus agris illuc congeſſit. Campanis quoque Catanam eo tempore incolentibus perſuaſit, ut in urbem, quæ Ætna vocabatur, propter eximiam loci firmitatem commigrarent. Poſt hæc ad ccx. ſtadia cum exercitu ab agris Syracuſanis progreſſus, juxta

Dionyſ. ad Tauré caſtra ponit.

Taurum caſtra poſuit. Habebat autem ſub ſignis ped tum triginta millia, equitum verò tria circiter millia, naves præterea CLXXX. quas inter paucæ triremes erant. Imilcar interim dirutis Meſſanæ mœnibus, militi edixit, ut ædificia ſolo adæquent, ita ut nec tegula, nec lignum, neque aliud quidpiam maneat reliquum; quibus juſſa exequentibus, ſtatim per illam hominum multitudinem ea vaſtitas urbis facta eſt, ut quæ pridem incolis frequens fuerat, jam agnoſci

Meſſaná Carth. diripiunt.

haud poſſet. Videns enim locum hinc ab ſociis urbibus remotum, ſed omnium per Siciliam commodiſſimum eſſe, alterum ex his ſibi deligendum putavit, ut vel ita deſolaret, ne unquam poſſet habitari, vel ita ſaltem efficeret, ut ſera, ac difficilis ejus foret inſtauratio.

Hoc Meſſanæ excidio quum ſatis declararet, quanto Græcorum odio flagraret, Magonem Navarchum cum inſtructa claſſe dimittit, collem, qui Tauri appellationem habet, præternavigare jubens.

Tauri mons a Siculis occup.

Occuparant hunc Siculi magno quidem numero, ſed incerto duce. His primùm Naxiorum terram Dionyſius conceſſerat; ſed tunc Imilconis adducti promiſſis collem hunc inſederant, quem quòd naturâ munitus eſſet, non modo tunc, ſed etiam poſt bellum muro circumdatum inhabitarunt, urbemque a manſione circa Taurum Tauromenium nuncuparunt. Aſſumptis ergo copiis pedeſtribus Imilcar feſtinatis itineribus ad jam memoratum Naxiæ locum, Magone juxta oram legente, pervenit. Sed quia nuper Ætna ad maritimam uſque oram ignem eructaverat, terreſtris exercitus non amplius ita

Ætna incédiū maritimas oras fœdavit.

duci poterat, ut claſſem ad littus comitantem haberet; maritimis enim tractibus flammantis Ætnæ veluti profluvio quodam exuſtis, corruptiſque, pedeſtre agmen montem circuire cogebar. Magonem itaque jubet, ut Catanam verſus naviget, ipſe per mediterranea raptim ducens claſſi juxta Catanenſe littus ſeſe adjungere feſtinat. Metus enim ſuberat, ne copiis a ſe longiùs divulſis, Siculi Magonem navali prælio adoriantur, id quod etiam evenit. Dionyſius namque exploratum habens tardiuſculam Magoni navigationem, lon-

Dionyſ. Catanam contédit.

gumque, & operoſum pedeſtribus iter eſſe, præproperè Catanam contendit, ut priuſquam Imilconis exercitus accederet, ipſe cum Magone prælium iniret navale, pedeſtre enim agmen littori obtenſum fiduciam ſuis adjecturum, majoremque hoſtibus metum incuſſurum, & quod potiſſimum erat, ſi quid adverſi contingeret, naves afflictas tutum ad pedeſtres perfugium habituras ſperabat. His ita

Leptini navale bellū conſerere jubet.

præviſis Leptinem cum tota claſſe in hoſtes mittit, jubens, ut conſtipato navium agmine prælium conſerat, nec uſpiam ordines laxet, ne per tantam hoſtium multitudinem in grave aliquod periculum deducantur; erant enim in Magonis claſſe cum onerariis, aliiſque remigio inſtructis, & roſtratis naves haud minùs centum.

Carthaginienſes ergo ſimul atque littus navigiis totum ſubitò repletum, claſſemque Græcorum in ſe directam vident, non parùm angl proraſque terræ obvertere cœperunt; mox ubi conſiderant extremum ſibi periculum ſubeundum eſſe, ſi claſſe ſimul, & pedeſtri exercitu confligant, mutato conſilio pugnam navalem tentare conſtituunt,

Naval. pugna committitur.

tuunt, navibuſque in aciei ſeriem diſpoſitis, hoſtis adventum præſtolantur. Tum Leptines cum triginta navibus longè optimis ante ceteros excurrens, certamen non inſtrenuum quidem, ſed inconſultum exorditur, ſtatimque incurſu in primum agmen facto, non paucas adverſæ partis naves demergit; verùm ubi conſerta Magonis acies navibus illis triginta circumfunditur, virtute quidem Leptiniani, copiâ verò Carthaginienſes ſuperant; Acri propterea certamine exorto, quum Gubernatores ex propinquo naves inter ſe committerent, pugna illa non aliam habebat ſpeciem, quàm ſi terreſtri prælio acies inter ſeſe dimicarent. Non enim ex intervallo hoſtium navigia roſtris impetere licebat, ſed frontibus conſertis cominus res gerebatur. Nonnulli dum in proras adverſas ſaltu ſe tranſmittere contendunt, in mare devolvuntur, alii voti compotes in mediis hoſtium carinis pugnam miſcent. Tandem Leptines tantæ multitudinis vim ſufferre haud amplius valens, in altum ſe recipere fugâ cogitur; reliquæ deinde naves diſſipatis ordinibus in hoſtem invectæ a Pœnis facilè ſubiguntur; Navarchi enim profligati diſceſſus in Afris confidentiam auxit, Siculis contrà pavorem non exiguum injecit. Pugna igitur hunc finem ſortita eſt: Carthaginienſes hoſtem fugientem contentiùs inſectati, amplius centum naves corrumpunt, quique in actuariis navibus per littus diſpoſitis vehebantur, nautas ad terreſtrem exercitum enatantes trucidant, quumque non procul a terra multi perirent, locus omnis cadaveribus, & navigiorumtruncamentis oppletus apparuit. Occubuerunt in hoc prælio Carthaginienſium non pauci; e Siculorum verò parte naves ſupra centum partim obtritæ, partim captæ ſunt, & virorum pluſquam viginti millia perierunt; Poſt cujus pugnæ exitum Pœni ad Catanam naves ſiſtunt, quò captas etiam pertraxerunt, ſubductaſque refecerunt, ut hoc pacto ſuis non modo audiendam, ſed etiam contemplandam victoriæ magnitudinem exhiberent.

Leptines fugâ capeſſit.

Pœni ad Catanæ littus claſſem ſiſtunt.

Porro, quum Siculi a Carthaginienſibus circumcludi timerent, iter Syracuſas verſus inſtituere abnuentes, Dionyſium hortantur, ut repentino incurſu in Imilconem ducat, fore ut cladem recèns acceptam reſarciret. Jamque Dionyſius eorum conſiliis ſeſe attemperans, in hoſtem tendere paratus erat, quum nonnulli ex amicis ipſum admonent, periculum eſſe, ne ſi Mago cum tota claſſe Syracuſas invadat, urbem ipſe amittat. Mox igitur a propoſito illo deſiſtens, in patriam regreditur; quod Siculorum plerique indignè ferentes, illius caſtra relinquunt, atque ad proprios lares nonnulli, alii in proxima caſtella deſiliunt. Imilcar autem biduano itinere Catanæ littus aſſequutus, quotquot ibi naves invenerat, ne ventis exponeret, ſubduxit, & dies aliquot militum quieti, & refectioni tribuens, ad Campanos Ætnæ incolas legatum mittit, qui eos ad defectionem a Dionyſio ſolicitaret, larga agrorum ditione ſe illos remuneraturum, ac prædæ ex hoc bello acquiſitæ facturum participes promittens. Entellanos Pœnorum partibus favere, & auxiliarem contra Siculos operam ſibi navare, Græcos denique exteras gentes capitali proſequi odio oſtendit. Verùm Campani etſi in illorum tranſire caſtra percuperent, quum militum ſuorum optimos Syracuſas obſidum loco tranſmiſſos in Dionyſii poteſtatem tradidiſſent, huic vel inviti integra ſocietatis jura ſervare cogebantur. Sub hæc Pœnorum potentiam Dionyſius veritus, Polixenum Socerum ſuum ad Græcos in Italia, & Lacedæmonios, nec non Corinthios lega-

Dionyſ. Syracuſ. regreditur.

Imilcar Campan. ſolicitat.

Qui in Dionyſ. ſociet. perſtât.

Dionyſ. auxilia a ſociis expoſcit. tum mittens; petit, uti auxilio ſeſe levent, nec Græcos in Siciliâ radicitùs exſcindi permittant. Quæſtores etiam in Peloponneſum cum magna pecuniarum vi dimittit, ut militum delectum ſtipendiis haud parcentes faciant.

SYRACUSARUM OBSIDIO:

AT Imilcar cum navibus hoſtium ſpoliis exornatis, in magnum Syracuſarum portum invectus opidanos ſummo timore affecit; *Carth. claſſis in Syrac. portu.* biſcentum enim & octo longæ naves pulchrum remigationis ordinem ſervantes, & manubiis magnificè decoratæ intrabant; poſt has onerariæ ſupra mille, quibus plures quàm quingenti milites vehebantur, ut naves in univerſum eſſent prope MD. Hinc factum, ut portus, licèt ampliſſimus navigiis totus fere obtectus lateret. Ex altera porro parte terreſtris etiam exercitus accedit, ex trecentorum millium peditatu, ut quidam prodidere, & trium millium e- *Exercituſque terreſtris circa urbem.* quitatu conflatus. Tum Imilcar Imperator tentorium ſuum in Jovis templo ſtatuit, reliqua verò multitudo in circumjacente loco XII. circiter ſtadiis ab urbe caſtrametatur. Hinc totum exercitum Imilcar educit, aciemque ſub mœnibus explicans, ad pugnam Syracuſanos laceſſit, moxque, centum navibus longè optimis cæteros etiam portus occupat, ut injecto opidanis metu confeſſionem extorqueret, quòd in mari Carthaginienſibus longè ſint inferiores; ubi verò neminem prodire videt, in caſtra exercitum deducit. Per triginta ſubinde dies regionem incurſat, excidiis arborum mulctat, *Region. vaſtat.* & totam fœdè corrumpit; tum ut variis emolumentis militem di- *Deorũ fana expoliat.* taret, tum ut obſeſſis deſperationem injiceret. Acradinæ mox ſuburbium capit, & fana Cereris, & Proſerpinæ expoliat, cujus ſacrilegæ impietatis brevi meritas poſt pœnas dedit; nam ſtatim fortuna ejus mutari, reſque in dies magis in pejus labi, & quum reſumptâ Dionyſius fiduciâ velitationibus hoſtem laceſſeret, Syracuſani victores abire; noctu etiam nec inopinati in caſtris pavores, ac tumultus oriri, & concurſus ad arma, quaſi jam hoſtes vallo immineant, fieri; quin & morbus tandem exercitum invaſit, uti mox dicemus. Murum itaque caſtris obducere feſtinans Imilcar cun- *Sepulchra demolitur.* cta ferme ſepulchra, quæ juxta erant, demolitur, interque cætera Gelonis, uxoriſque ejus Damaratæ monumenta mirifico quondam opere, ſumptuque extructa ſubruit. Tria inſuper caſtella juxta mare, ad Plemmyrium unum, alterum circa medium portum, ultimum circa Jovis templum conſtruxit, in quæ vinum, & frumentum, cæteraque neceſſaria congeſſit, diutinam hanc obſidionem fore ratiocinatus. Onerarias præterea naves in Sardiniam, & Africam ad frumentum, cæteramque alimoniam perferendam miſit. Sub hæc Polyxenus Dionyſii Socer e Peloponneſo, Italiaque reverſus, triginta naves longas a ſociis acceptas cum Pharacide Lacedæmonio claſſis Præfecto adducit.

Dionyſ. commeatus comportat. Subinde Dionyſius, ac Leptines ad commeatus comportandos navibus longis excurrunt; Syracuſani autem jam ſibi redditi frumentariam fortè hoſtium navem accelerare videntes, hanc quinque aggreſſi navibus ſuperant, & in oppidum adducunt, in quos dum quadraginta inſtructi navibus Carthaginienſes tendunt, totam mox claſſem inſtruunt Syracuſani, & commiſſo prælio navem Prætoriam

ca-

Digitized by Google

capiunt, deque reliquis vigintiquatuor corrumpunt, & fugientes ad navalia uſque perſecuti ad pugnam Carthaginienſes provocant. Verùm illi ſubito hoc caſu perturbati nuſquam ſe commovent. Captivas igitur naves Syracuſani in urbem deducunt, elatique tam fœlici ſucceſſu de libertate cogitant, præſertim quum tam commodam in manibus habeant evertendi Tyranni occaſionem; nam huc uſque ſe fuiſſe exarmatos, nunc propter inſtans bellum arma rurſus in poteſtate habere. Hæc dum a vulgo paſſim jactarentur, Dionyſius portum ingreſſus, ſtatimque advocata concione Syracuſanos laudat, exhortatus, ut præſenti fortique animo deinceps ſint, & brevi ſe bellum ſoluturum pollicetur. Quumque jam dimiſſurus eſſet concionem, Theodorus magnæ inter equites authoritatis, ac pro ſtrenuo rerum effectore habitus, de libertate orationem afferre non dubitavit, & contra Tyrannum civium animos incendit; contra quem Pharacides Lacedæmonius claſſis auxiliariæ præfectus tribunal aſcendit; Quumque omnes illum primarium libertatis ſuaſorem fore ſperabant, hic, quòd Tyranno familiaris eſſet, ſe ad ferendum Syracuſanis, & Dionyſio opem contra Pœnos, non ad imperium Dionyſii diſſolvendum a ſuis miſſum eſſe dixit. Hæc dum præter expectationem in contrarium ille diſputat, Mercenarii ad Dionyſium concurrunt. At Syracuſani non leviter perculſi tum nihil movent, ſed Lacedæmonios majorem in modum deteſtantur; nam pridem, etiam Aretas Lacedæmonius vindicem libertatis illorum ſe profeſſus, proditor evaſerat. Et jam Pharacides Syracuſanorum conatibus interceſſerat; Dionyſius autem metu tunc quidem correptus concionem abire juſſit; deinceps verò ita cum plebe verſatus eſt, ut humanis ſermonibus uteretur, doniſque alios honeſtaret, alios conviviis ſuis adhiberet.

Syrac. contra Tyrannidem animantur.

Quorũ animos Dionyſ. cõpeſcit.

Carthaginienſium interim exercitum lues invaſit; quum enim multa hominum millia in unum conveniſſent, ipſumque anni tempus ad morbos creandos efficaciſſimum eſſet, nec non æſtas illa inſolitos haberet ardores, ac locus denique ipſe cauſam ad hoc præberet, quòd paluſtris, & concavus eſſet, fœda in caſtris ſtrages exorta innumeros abſumpſit. Contagium ab Afris initium ſumpſit, quibus catervatim intereuntibus, aliquandiu cadavera humabantur; mox mortuorum numero adaucto, quum ægrotantium quoque curatores peſte auferrentur, nemini ad laborantes accedendi fiducia erat, nullumque malo remedium adhiberi poterat, hinc ex inſepultorum fœtore, & paludum putrefactione, initio catarrhus, mox colli tumores extiterunt, poſt hæc febres paulatim, & nervorum in ſpina labores, cruruumque gravedines inſequebantur; huc dyſſenteriæ accedebant, & puſtulæ per totam corporis ſuperficiem. Furore nonnulli, ac rerum omnium oblivione correpti per caſtra paſſim vagabantur, obviosque pulſabant. Tandem quòd omne Medicorum auxilium inefficax redditum eſſet, aut quinto, aut ſexto ad ſummum die inter cruciatus atrociſſimos expirabant, tantoque gravior decumbentium erat calamitas, quòd nemo afflictis miniſterium præſtare volebat, nec tantùm ii, qui nulla cognatione devincti erant, ſeſe mutuò deſtituebant, ſed frater fratrem, amicus familiarem ſibi ipſi metuens deſerere cogebantur.

Carthagin. lue vexantur.

Varii peſtilentia effectus.

Dionyſius itaque de Carthaginienſium edoctus infortunio, octoginta navibus completis, Pharacidæ, & Leptini Navarchis mandat, uti

Dionyſ. in Hoſtes fertur.

uti prima luce in hoſtium claſſem evehantur. Ipſe ſub noctem circumductis noctu copiis ad Cyanes fanum progreſſus clam hoſtibus ſub ortum diei caſtris appropinquat. Equites autem, & mercenarios pedites mille ad illam caſtrorum partem, quæ mediterraneis obtenta erat, præmiſerat. Hos autem mercenarios, uti ſibi infenſos turbarumque, ac ſeditionum ſæpenumero authores perdere volens, Equitibus injunxerat, uti quam primùm manus cum hoſte conferri cœptum eſſet, eos deſtituerent. His mandatum executis quotquot

Hoſtiū caſtra, & caſtella oppugnat.

erant conciſi oppetierunt. Dionyſius autem caſtra ſimul, & caſtella oppugnare inſtituerat; quare perculſis re ſubita Barbaris, & tumultuariè ad defenſionem procurrentibus, caſtellum, cui Polichnæ nomen vi expugnat; Ex altera interim parte equites cum aliquot triremibus caſtellum Daſconi vicinum ſubigunt, claſſiſque univerſa etiam adnavigat, & læto clamore caſtellorum expugnationem proſequitur. Tum verò ingens Barbaros metus inceſſit; nam initio ad pedeſtre agmen cuncti ſimul procurrerant, ut caſtra oppugnantes ar-

Claſſem deprimit.

cerent. Ubi verò claſſem imminere vident, iterum ſtationem navium defendendam accelerant; ſed dum naves conſcendunt, claſſariiſque triremes complent, hoſtiles roſtris naves illas incutiunt, ictuque opportuno deprimunt. Syracuſani itaque ſucceſſu alacriores facti certatim in hoſticas tranſiliunt, barbaroſque periculi magnitudine attonitos ab omni parte effuſi trucidant.

Nec pedeſtre agmen ſegniùs earumdem navium ſtationem op-

Naveſq. complures incēdit.

pugnabat, quin ipſius Dionyſii exemplo, qui equo ad Daſconem provectus aderat, excitum, naves quadraginta ibi ſubductas, nonnullaſque onerarias, ac triremes igne in eas conjecto corrumpunt, magnumque ſpectaculum oppidanis exhibent, qui ſucceſſibus hiſce excitati ad naves in portu turmatim trajicientes, jam corruptas ab igne diripere, ex utilibus adhuc eas, quæ reſarciri poſſent, deligere, integras verò ſcaphis alligatas in urbem trahere feſtinant. Nocte ingruente pugnâ ſuperſedetur, ac Dionyſius caſtra ſua Barbarorum caſtris ad

Pœni diſceſſū petunt, & obtinent.

Jovis fanum opponit. Carthaginienſes itaq: terrà ſimul mariq: profligati, clam Syracuſanis a Dionyſio per legatos petunt, ut quod reliquum de ſuis eſſet in Africam tranſmittere ſibi concedat, pro quo tercenta ipſi adhuc in caſtris reliqua talenta pollicentur. Ad hæc Dionyſius, fieri non poſſe, ut omnes ſimul fuga ſibi conſulant, Carthaginienſibus autem civibus ſolis occultum noctu diſceſſum a ſe permitti, reſpondit; per Syracuſanos enim, & auxiliares hanc illis copiam facere, neutiquam licere intelligebat. Id Dionyſius ideo permittebat, quòd vires hoſtium funditus everti nollet, ut horum ſcilicet metu Syracuſani nunquam capeſſendæ libertatis otium nanciſcerentur. Pactus ergo nocturnam illis fugam in diem quartum exercitum in urbem reduxit. Tum Imilcar tercenta illa talenta noctu in arcem delata Dionyſii adminiſtris ad id deſignatis tradidit; ubi verò tempus ſtatutum venit, noctu quadraginta triremes civibus refercit, totumque exercitum poſt ſe relinquens, fugam intendit.

A Corinthiis laceſſiti.

Jam portum ingreſſus erat, quum ex Corinthiis quidam fugientes advertunt, & rem ſtatim Dionyſio renunciant; ſed dum ad arma vocandis militibus, præfectiſque ciendis tempus ille extrahit, more impatientes Corinthii e veſtigio in Carthaginienſes evehuntur, & extremas Pœnorum naves aſſecuti, roſtrorum incurſu contritas demergunt. Exinde Dionyſius copias educit; Siculi autem

Car-

Illorū ſocii fugiūt, ac ſe dedunt.

Carthaginienſium auxiliarii, priuſquam Syracuſani advenirent, fugà dilapſi in ſuam quiſque patriam, omnes fere evaſerant; quumque ille vias omnes cuſtodiis interſepiſſet, ac durante adhuc nocte, exercitum hoſtium caſtris admoviſſet; Barbari tum ab Imilcare, tum a Siculis ſeſe proditos advertentes, metu perculſi fugam arripiunt, quorum pars inter vias in hoſtium excubias delati comprehenduntur, pars abjectis armis vitam exorantes hoſtibus ſupplices occurrunt. Soli Hiſpani retentis armis in globum collecti de ſocietate ineunda caduceatorem mittunt, quibuſcum Dionyſius inito fœdere, eos in mercenariorum agmen cooptat. Reliquum vulgus capit, & quidquid ſpoliorum ſupererat ſuis militibs diripiendum concedit. Hunc ad modum fortuna ſubitam Carthaginienſium rerum mutationem induxit, cunctiſque mortalibus demonſtravit, quòd quicumque altiùs quàm decet ſeſe efferunt, quàm imbecilles ſint, brevi redarguuntur. Proſequitur Diodorus enarrare Imilcaris infelicem exitum, qui ſibi ipſi tandem manus intulit, & Carthaginienſium calamitates, quas eveniſſe illis ob violata Deorum numina Cereris præſertim, & Proſerpinæ, ſuperſtitioſa credulitate literis conſignavit.

Imilc. mors; & Pœnorum clades.

Interim Dionyſius mercenariorum animos maximè a ſe alienatos advertens, ne per eos imperio dejiceretur, Ducem illorum Ariſtotelem comprehendit; fit hinc vulgi ad arma concurſus, & ſtipendia acerbiùs exiguntur. Ariſtotelem igitur Spartam ſe miſſurum popularium judicio ſiſtendum affirmat; Mercenariis autem, qui decem mille circiter erant, Leontinorum urbem, & agrum in ſtipendium aſſignavit, qui propter regionis feracitatem lubenter conditionem accipiunt, & partim Leontinorum ſedes occupant. Tùm alios Dionyſius mercenarios conſcribit, quorum fidei ſuum principatum committit. Poſt Carthaginienſium porro cladem, qui ſupererant ex Siciliæ urbibus ſervituti traditis coiverunt, ac ſuæ quique patriæ reſtituti, vires iterum collegere. Dionyſius verò Locros mille, & Medimneorum quatuor millia, nec non ſexcentos Meſſeniorum e Peloponneſo Zacyntoque, & Næopacto exulum Meſſanæ collocavit; ſed quum Lacedæmonios hoc ipſo, quòd exterminati ab ipſis, Meſſanam præclaram urbem accepiſſent incolendam, offenſos adverteret, ex Meſſana tranſlatis alium quemdam Abacenæ regionis locum juxta mare illis attribuit, certiſque limitibus definivit. Urbem hanc Meſſenii Tyndaridem nuncuparunt, dumque inter ſe concordes Rempublicam adminiſtrant, & multos in civitatem adſcribunt, brevi numerus civium ultra quinque millia excrevit. Interim crebris in Siculorum fines incurſionibus peractis Dionyſius, Sergentia, Morgantiaque expugnatis, cum Agyri Agyrinenſium Tyranno, & Damone Centuripinorum Regulo, Erbitenſibus præterea, & Aſſorinis fœdera percuſſit; At Cephaledium, & Soluntem, Ennamque per proditionem ditioni ſuæ adjunxit, cum Erbeſſinis verò pacem inivit.

Dionyſ. ſuſpectos milites dimittit.

Meſſanā colonos ducit.

Siculas urbes ſibi addicit.

Cum illo præterea Rhegini expoſtulabant, quòd Meſſanam muniendo contra ipſos ſeſe armaret; ſtatim igitur ab Dionyſio exactos, alioſque eidem adverſantes in ſuam recipiunt tuteiam, & Naxiorum, ac Catanenſium reliquiis Mylas incolendas tradunt. Helorim hinc Ducem cum inſtructo exercitu ad Meſſanam obſidione cingendam mittunt. Dumque is oppugnationem circa arcem initio facit,

Rheginos ſibi infeſtis habet. cit, opidani cum Dionyſii mercenariis conglobati extemplo occurrunt, initâque pugnâ Meſſanenſes vincunt, & hoſtium plures quingentos conficiunt. Tum Mylas aggreſſi, urbem capiunt, Naxios ibi collectos data fide incolumes dimittunt, qui ad Siculas, urbeſque Græcas digreſſi, alii alias ſedes capeſſerunt. Dionyſius autem quum vicinas freto civitates amicitiæ fœdere ſibi adjunxiſſet, in Rheginos ducere inſtituit; ſed ab Siculis, qui Tauromenium occupaverant, diſtinebatur. Hos ergo primos invadere decernens, eductis copiis in regione Naxo obverſa caſtrametatur, & in obſidione per hyemem perſiſtens, Siculos e colle deceſſuros putabat, quòd eum non ita pridem inſediſſent. At Siculi jam olim a Patribus ſuis edocti fuerant, quòd quum has inſulæ partes Siculi tenerent, Græci navibus eò delati Naxum condidere, Siculoſque loci incolas ejecerunt. Ideo jure *Siculos in Tauromēt vexat.* ſe patrium recuperaſſe agrum aſſerebant, & injuriam majoribus ſuis a Græcis illatam merito vindicare arbitrati, magnâ collem operâ, ac ſtudio defendebant. Interim dum ſumma utrinque contentione res geritur, brumale ſolſtitium appetit, locuſque circa arcem nivibus conſpergitur; Tum Dionyſius propter loci firmitatem, mœniumque altitudinem negligentiùs cuſtodias ſervare Siculos advertens, nocte illuni, & tempeſtuoſa ad ſuperiora contendit, multùmque cum rupis difficultate, ac denſa nivis mole conflictatus, arce tandem potitur; ſed ſauciatus in facie erat, & læſos frigore oculos habebat; mox tamen in alteram quoque collis partem irruptione facta, exercitui viam in urbem patefecit. Ibi quum omnis undique Siculorum manus concurreret, Dionyſiani expelluntur, ipſeque inter fugam in loricam percuſſus devolvitur, parumque abfuit, quin in hoſtium *A quibus in fugā agitur.* manus deveniret; Ex editioribus hinc locis Siculis impreſſionem facientibus, ultra ſexcenta tum periere; pleriſque armorum jactura facta eſt, & Dionyſius ipſe thoracem dumtaxat reſervavit.

Hac clade vulgata Agrigentini, & Meſſanenſes, fautoribus Dionyſii rejectis, in libertate recuperanda toti erant, fœderi, quo hactenus cum Tyranno conjuncti fuerant, nuncium remittentes. Mago autem Pœnorum Prætor moram adhuc in Sicilia trahens, afflictas ſuorum res reficiebat. Nam civitatibus, quas ſub ſe habebat, *Mago Pœnorū res inſtaurare nititur.* ſeſe humanum exhibens, illas, quas Dionyſius bello premebat, in ſuam accepit clientelam, armorumque ſocietatem cum pluribus ex Siculis contraxit. Coactis tandem copiis Meſſanæ bellum intulit, agriſque populatis, magnâ obtentâ prædâ, cum toto exercitu juxta Abacenam urbem ſibi adherentem caſtra poſuit. Verùm vix Dionyſius cum exercitu ſupervenit, acies inſtruitur, & prælio acriter confecto, Dionyſiani victores exiſtunt, Carthaginienſes pluſquam octingentis amiſſis in urbem refugiunt. Et tunc quidem Dionyſius Syracuſas receſſit; ſed poſt dies haud multos cum triremibus centum claſſariis refertis adverſus Rheginos expeditionem fecit; & quia improviſa hæc irruptio erat, ſtatim urbis portas incendit, ſcalaſque *Dionyſ. Rhegiom urbē adoritur.* mœnibus adjecit. Ex Rheginis initio pauci ad propulſandum hoſtem accurrunt, & flammis reſtinguendis manus admovent. At quum primùm Heloris Imperatoris voce in hoſtem converſi, urbem tum, ne caperetur, conſervarunt; & ab ingreſſu hoſte prohibito, e vicinis ædibus ſarmenta, ac ligna congerenda, vires igni addiderunt, donec reliqua civium multitudo in armis congregata ad opem ferendam ſubvenirent. Poſtquam hic conatus Dionyſio irritus evaſit, agros

agros incurſans, igne, ferro paſſim villas & hortos evertit, atque vaſtat; Et factis hinc unius anni induciis Syracuſas ſe recipit.

Interim Romani in Italia Veiis ſuperatis decimas ex præda colligunt, aureumque Apollini cratera Delphis conſecrare ſtatuunt. At qui perferebant donum Legati in Liparenſes incidunt piratas, omneſque capti Liparam abducuntur. Ibi Timoſitheus in ſummo apud Liparenſes gradu non modo Legatos ſervat, ſed donario etiam reddito, tutum Delphis iter illis præſtat. Populus ergo Romanus de probitate Timoſithei edoctus virum honoribus affecit, & poſt annos CXXXVII. quum Liparam Carthaginienſibus adimerent, Timoſithei poſteros a tributis immunes, & omnino liberos eſſe juſſerunt. *Legati Romanorú a Liparenſ. capti, & dimiſſi.*

Porro Carthaginienſes collatis poſt cladem Syracuſanam viribus res Siciliæ denuo ſibi vendicare conſtituunt, & fortunam novo bello tentare decernentes paucis cum navibus longis trajiciunt, ex Africa, Sardinia, & ex Italia Barbaris contractis, omneſque armis ſuo ſumptu paratis numero haud octoginta millibus pauciores, quibus Mago ſummo cum imperio præerat. Is Siculorum agros percurrens pleraſque urbes a Dionyſio alienavit, ac in Agyræorum territorio ad Chryſam flumen, juxta viam, qua Murgantium itur, caſtra poſuit. Quumque Agyræos in ſocietatem pellicere, aut cogere non poſſet, audiens hoſtem e Syracuſis contra ſe tendere, progredi ulteriùs deſiit. Dionyſius enim explorato Pœnorum per mediterranea tranſitu abſque mora, quos tunc poterat contractis Syracuſanis, & ſtipendia facientibus, in hoſtem, viginti millibus ſub vexillo habens pergit, & quum non longe à caſtris hoſtium abeſſet, legatos ad Agyrim Agyræorum Regulum præmiſit, qui maximam tunc temporis poſt Dionyſium inter Siciliæ Tyrannos potentiam habebat, nam in omnibus fere circumjacentibus caſtellis dominabatur, & Agyrenenſium urbs, cui imperitabat, populoſiſſima tunc erat, quippe quæ non minus viginti millia civium alebat. Sufficiens quoque tantæ multitudini commeatus, & ingens pecuniarum vis in arce repoſita erat, quam ex cæde opulentiſſimorum civium Agyris congeſſerat. Dionyſius itaque paucis comitantibus urbem ingreſſus, ad fœdus ſocietatis non fucatæ Agyrim induxit, ſeque magnum ei terræ tractum finitimum, bello fœliciter confecto, donaturum, promiſit. Et tum quidem Agyris univerſum Dionyſii exercitum frumento, cæteroque commeatu gratis ſublevabat; poſt verò cum omni militum robore egreſſus cum illo ſe conjunxit, & communi ope bellum contra Pœnos geſſit. *Pœnor. exerc. in Sicilia.* *Agyriuſium Princeps Dionyſio adhæret.* *Simul contra Pœnos ducunt.*

At Mago in terra hoſtili ſtativa habens, in dies magis magiſque rerum inopia laborare, & non mediocri incommodo præterea affici; Agyrenſes enim locorum notitia adjuti, inſidiis hoſtem excipere, omnemque commeatus facultatem intercludere. Tum prælium cum Pœnis eſſe quamprimum confligendum Syracuſani cenſebant; Dionyſius autem refragabatur, ſe citra ullum diſcrimen tempore, & inopia Barbaros confecturum affirmans. Hac ejus cunctatione Syracuſani offenſi caſtra deſerunt; terrore igitur injecto, Servos ad pileum vocat, quos tamen de pace ab hoſtibus ſollicitatus poſtliminio dominis reſtituit, pacemque cum illis inivit. Erant conditiones ſuperioribus aſſimiles, ut Siculi nempe Dionyſio in poſterum ſubeſſent, & Tauromenium inſuper in ditionem ſuam acciperet. Hoc fœdere percuſſo, Mago ex Sicilia revehitur, Dionyſius autem occupato Tauromenio maximam Siculorum partem inde exulatum mittit, & ex mercenariis maximè idoneos ad hoc delectos ibi collocat. *Pax inter Pœnos, & Dion.*

DIONYSII EXTRA SICILIAM GESTA.

In Rhegin. copias ducit.

TOta pene Siciliæ inſula in ſuam poteſtatem redacta, Dionyſius vicinos in Italia Græcos ſibi adjicere properabat; quumque non parum ad id ſibi conducere crederet, ſi Rheginos, qui totius Italiæ propugnaculum eſſent, ante omnia tentaret, Syracuſis copias eduxit, habenſque ſub ſignis peditum viginti millia, equites mille, naveſque centum viginti in fines Locrorum exercitum tranſmiſit, & hinc per mediterranea iter faciens, ferro, igneque Rheginorum terram populatur. Claſſis interea ab altera comparte comitatur, & cum omnibus tandem copiis juxta fretum caſtra ponit. At Itali de Dionyſii adverſus Rheginos tranſitu certiores facti, ſexaginta ſtatim naves Crotone expediunt, in quas, dum altum tenent, ille quinquaginta navibus evehitur; & quamvis fugam ad littus capeſſerent, nihilominus tamen fugientes premit, & vinculis injectis terræ jam appulſas extrahere conatur. At univerſa Rheginorum multitudo ad ferendum auxilium effuſa, telorum crebritudine Dionyſium a littore propulſavit, ortâque ventorum procellâ Rhegini naves ad terram protraxere. In ea pugna quamlibet fortiter geſta ſeptem naves, militeſque mille quingentos in Rhegino littore Tyrannus amiſit, quumque viri cum navibus ad terram vi tempeſtatis ejicerentur, multi ex nautis vivi in poteſtatem civium devenerunt, ipſeque Dionyſius quinqueremi fugiens parum abſuit quin ſubmergeretur, egreque tandem intempeſta jam nocte in portum Meſſanæ evaſit; & quia jam hyems imminebat, ſocietatem cum Lucanis pactus exercitum Syracuſas remiſit.

Ab his fadè repellitur.

Lucani contra Thurios.

Poſt hæc Lucani Thuriorum agros incurſabant, hi ergo ſocios armata ſibi manu quam primùm ſuccurrere jubent; quorum tamen copiis minime expectatis, præmaturo ardore in hoſtem ducunt. Lucani Thuriorum adventu cognito in ſuam ſe terram recipiunt; At illi concitato in Lucaniam impetu feruntur, magnoque hoſtium contemptu per fauces quaſdam arctas, & confragoſas properant. Simulac verò in campum prææltis undique vallibus, & jugis abruptis cinctum veniſſent, Lucani magno numero ab omni parte circumfuſi omnem reditus ſpem illis intercludunt, & in planitiem deſcendentes prælio conſerto, eos multitudine opprimunt. Ceciderunt ex Thuriis ad decem millia, reliqui in tumulum quemdam mari proximum profugere, qui longas accedere naves conſpicati, has Rheginorum eſſe ſperantes, in ipſum mare ſe precipites effudere, atque ad triremes adnatarunt. Sed claſſis hæc allabens Dionyſii erat ſub Leptine Navarcho ad opem Lucanis ferendam deſtinata. Leptines natantes humaniter exceptos in terram expoſuit, & ut pro unoquoque argenti minam acciperent, Lucanis perſuaſit, & pro ſolutione fidem ſuam interponens eò tandem deduxit, ut Itali, & Lucani poſitis inimicitiis pacem inter ſe conſtituerunt. Id, ut favorem apud Italos Leptini conciliavit, Dionyſii animum offendit, in hac enim ſpe ille erat, ut Italis & Lucanis bello diſtractis, rerum in Italia quàm facillimè potiretur. Leptinem igitur a Prætura claſſis Tyrannus removit, alterumque fratrem Theoridem Navarchum eſſe juſſit.

Thuriorum clades.

Leptines Dionyſii frater utroſq. cõciliat.

Sequenti anno expeditionem in Italiam ſe facturum jam manifeſtè declarans Dionyſius cum ingenti exercitu Syracuſis ſolvit. Habe-

bebat peditum ad viginti millia, equitum ferme tria millia; naves longas quadraginta, onerarias verò trecentas, quintaque die Meſſanam delatus copias ibi refecit; Theoridem verò cum quadraginta navibus ad Liparas emittit, ubi Rheginas naves decem verſari audierat: Illuc itaque excurrens Navarchus opportuno loco naves of- *Dionyſ. contra Rhegin. redit.* fendit, iiſque unà cum claſſariis in poteſtatem redactis Meſſanam ſe recipit ad Dionyſium, qui captivos in vincula compactos Meſſeniis cuſtodiendos tradit, & tranſmiſſis in Cauloniam copiis urbem circumvallavit, admotiſque machinis oppugnare cœpit. At Græci Italiam habitantes ubi id intelligunt, militarem & ipſi manum hinc inde colligere properant, & Crotoniates cumprimis, quorum urbs tunc temporis horum copia quam maximè abundabat. Multi etiam *Græc. Ital. Rheginis opẽ ferũt.* ex Syracuſanis profugi illic degebant, quibus belli ſummam committunt, Helorimque copiis undique contractis præficiunt. Is enim a Dionyſio in exilium pulſus audacia ſtrenua excellebat, ſummaque fide bellum adminiſtraturus Tyranni odio credebatur.

Quum ergo tota ſociorum manus Crotonam conveniſſet, Heloris exercitum pro arbitrio ſuo ordinatum haud cunctanter Cauloniam verſus duxit, quod repentino adventu obſidionem ſolutum iri putabat, faciliuſque cum oppugnantibus labore defaticatis certamen inire poſſe confidebat; Erant autem illi pedites viginti mille, equites bis mille circiter; & jam itineris partem emenſus ad fluvii ripam caſtra locabat, quincentiſque ex ſelectiſſimis comitatus reliquum agmen præceſſerat; quum Dionyſius eidem in occurſum tendens, ubi in propinquo eſſe per exploratores cognoſcit, ſummo diluculo copias promovet, primaque luce Helorianis occurrens pugnam init, & quia compoſitum agmen habebat, nihil ad confirmandum ſeſe ſpatii adverſariis relinquit. Ad magnam hinc redactus anguſtiam He- *A Dionyſ. fũduntur.* loris, ipſe quidem cum delectorum manu hoſtis impetum ſubſtinet, reliquas verò copias per nuntios accelerare jubet. Illis mandatum impigrè executis, ubi Itali Imperatoris periculum cum ſuis cognoſcunt, curſim ad ferendam ipſis opem advolant; ſed Dionyſius conferto agmine circumfuſus Helorim & ſocios ferme omnes generosè dimicantes occidit. Italis ſparſim & ſine ordine accurrentibus, non magno negotio Siculi ſuperiores extiterunt, quos tandem collapſis animis in fugam ſe dedentes prorſus fundunt. Et jam multis in fuga per campos trucidatis, multitudo adhuc ſuperſtes tumulum quemdam munitum ſatis, ſed aquis deſtitutum occupant. Quem manu armata Dionyſius circumdat, dieque ac nocte ſtationibus accuratè diſpoſitis, per vigiles cuſtodit. Illi cùm æſtu, tum aquarum inopià *A quo pacẽ, & libertatẽ obtinent.* malè affecti, caduceatore ad Tyrannum miſſo, ut redimendi copiam ſibi faciat, rogant, hic ut arma deponant, & victoris ſe poteſtati totos permittant adjicit; aſperum hoc factu quum eſſet, aliquandiu miſeriam tolerabant; aſt ubi naturæ tandem neceſſitas graviùs ſtimularet, & jam toto corpore elanguiſſent, octavam circiter horam ſe dediderunt. Tum baculo Dionyſius arrepto collem percutiens captivorum inde deſcendentium numerum inibat, qui ad decem millia fuerunt; quumque crudelitatem modò non belluinam ſibi omnes metuerent, tunc ille omnium mitiſſimum ſe declaravit. Captivos enim ſine ullo pretio dimiſit, & facta pace civitates ſuo jure uti permiſit. Quo merito ingentes apud illos laudes conſecutus eſt, *Præclarũ Dionyſii facinus.* adeout aureis quoque coronis ipſum remunerarent. Hoc omnium ferè, quæ per totam egit vitam, pulcherrimum viſum eſt.

Hinc adverſus Rhegium cum inſtructis ad oppugnationem copiis ob nuptias contumelioſè ſibi denegatas expeditionem ſuſcepit; quod magnum Rheginis metum attulit, neque enim auxiliares, neque copias tanto hoſti pares habebant, nullumque precibus, aut miſericordiæ locum fore, capta urbe, prævidebant. Legationem igitur, ut moderatè cum ipſis ageret, nec aliquid ultra hominis conditionem ſtatueret, mittendam cenſuerunt; qua Dionyſius accepta trecentorum talentum tributum indixit, ac navibus quoquot illi habebant numero ſeptuaginta, obſidibuſque præterea centum receptis diſceſſit, & Cauloniam verſus movens hujus cives Syracuſas transfert, & in civitatem receptis, quinque annorum immunitatem concedit; hinc urbem ſolo æquat, agrum verò Caulonianum Locrenſibus donat. Anno inſequenti cum exercitu Hipponium ingreſſus, incolas Syracuſas etiam transfert; exciſoque oppido, Locris agrum ejus attribuit. De his perpetuo bene mereri obnixè ſtudebat, quod in matrimonii negotio faciles ſe præbuerant. At de Rheginis vindictam excipere, neceſſitudinis denegatæ cauſa hominem ſtimulabat. Quo enim tempore miſſis ad eos Legatis ex oppidanis virginem aliquam ſibi concedi poſtulabat, hoc Legatis reſponſum datum à Rheginis memorant: ſe nullam præter Lictoris filiam ipſi conceſſuros eſſe. At ille graviter ferens, atrocique ſe injuria affectum ratus, ad ulciſcendum eos ſtudium omne conferebat. Quod enim ſuperiori anno pacem cum illis inierat, non ideò factum erat, quòd amicitiæ cupidus eſſet, ſed quòd claſſem ſeptuaginta triremium illis ademptam cuperet. Idcircò moras in Italia nectens, ſpecioſam aliquam occaſionem venabatur, qua minimè præter dignitatem ſuam fœdus rupiſſe videretur.

Rheginis Dionyſius reconciliatur.

Illos odit, ac perdere feſtinat.

Promotis igitur ad fretum copiis ad trajiciendum neceſſaria comportat, levarique à Rheginis commeatu interim petit, remiſſurum ſe prope diem quidquid fuerit ſuppeditatum promittens. Hoc ex conſilio fecit, ut ſi nihil darent juſtam excindendi urbem habuiſſe cauſam videretur, ſin promptè largirentur, exhauſta annona obſidione illam premens ſuæ poteſtati faciliùs ſubjiceret. At Rhegini nihil horum ſuſpicati, ad dies aliquot cibaria luculenter ſuppeditabant; ubi verò valetudinem modò adverſam, modò aliud quidpiam cauſaretur, conſiliis tandem intellectis, alimenta denegabant. Id perindignè ferre ſimulans Dionyſius, obſides Rheginis ſtatim reddit, & copiis undique oppido circumfuſis oppugnationem quotidie urget. Machinas prætereà ingentes, ac numero non exiguo adhibet, quibus mœnia procellæ inſtar quatiendo, urbem expugnare contendit. Rhegini contrà Pythonem ſibi ducem creantes, quotquot per ætatem arma ferre poterant, in armis eſſe, excubias diligenter agere, & eruptionibus opportunè factis hoſtium machinas incendere, ac ſæpenumerò egregiè ante mœnia propugnando multos ſuorum amittere, nec paucos Siculorum interimere, quibus in aſſultibus Dionyſius forte fortunâ lanceâ circa pubem ictus parùm abfuit quin vitam amitteret, ægrèque vires à vulnere iſto recuperaret. Quanquàm verò, ſummum pro tuenda patria ſtudium Rhegini adhiberent, nihilominùs Dionyſius à priſtino ſuo propoſito minimè decedebat.

Rhegium rurſus obſidet.

Lancea percuſſus in obſidione, perſeverat.

Dum porrò Olympiorum celebritas ingruit, complures ad certamen quadrigas, ſcænaſque auro, & ſumptuoſo textilis artificii opere exornatas, ad ſolemnitatem illam miſit. His Actores addidit probatiſſimos,

tiſſimos,

tiſſimos, qui poemata ejus publicè recitando, magnam Dionyſio gloriam pararent; inſano enim Poeticæ ſtudio tenebatur. His verò curatorem præfecerat Theoridem Germanum; qui poſtquàm ad Conventum devenit, Tabernaculorum elegantià, & multitudine quadrigarum, hominum oculos in ſe convertit; Hiſtrioneſque voce præclara Dionyſii Poemata recitantes, populum in admirationem initio adducunt; ſimul ac verò quàm prava, & futilia eſſent carmina, Auditores intellexere, eò contemptus proceſſerunt, ut Tabernacula diſcerpere auderent. Quin etiam Lyſias Orator multitudini perſuaſit, ne in Sacrorum communionem Dionyſianos admitterent. Commiſſo ceterùm certamine Dionyſii Quadrigæ partim extra curſus limites deferuntur, partim colliſione mutua confractæ ſunt; nec meliori fortuna navis ejus vehens Sacrorum Miniſtros, dum à ludis in Siciliam tendit, ad Tarenti oras vi tempeſtatis depellitur; cujus vectores Syracuſas reverſi, quid actum in Olympiis vulgantes, pravitate carminum effectum eſſe diſſeminarunt, ut non recitatores tantùm, ſed & ipſi etiam currus, & navis rejecti fuerint. At enimverò licèt Poemata ſua malè audire exſibilarique Dionyſius acceperit, Poeticæ tamen ſtudium nequaquam abjecit. Intereà menſem jam undecimum obſidioni Rheginorum inhærens, quum illis auxilia undique præcluſiſſet, in extremam rerum neceſſariarum penuriam obſeſſos conjecit. Fame igitur Cives ſubacti, equos initio, ac jumenta in uſum alimentorum vertebant, pellibus inde elixatis veſcebantur, tandemque herbas ſub mœnibus enatas pecudum ritu depaſci cœperunt; quibus malis devicti urbem Tyranno dediderunt. Is magnas cadaverum ſtrues, quos victus inopia confecerat, in urbe reperit, quin & ſuperſtites mortuis parùm abſimiles cernere erat; Captivorum tamen ſupra quindecim millia congregavit, & hac turba Syracuſas tranſmiſſa, quicumque minà ſe redimere poſſent, eos liberos eſſe juſſit, quibus verò tanti æris facultas non eſſet, hos venum dedit. Pythonem autem exercitus Imperatorem in vincula conjecit, cujus filium in mare demerſit, ipſumque machinis altiſſimis primò alligavit, mox per totam urbem circumductum flagris cædi, omniſque ludibrii & ſævitiæ genere affici juſſit, tandemque cum tota cognatione mari ſubmergendum dedit. Pythonis egregiam fortitudinem ultimo etiam in agone Diodorus multis commendat, ejuſque caſum doctos nonnullos carminibus fuiſſe proſecutos literis mandavit.

Ad Olympia ludos ſuos mittit.

Cum ignominia depellitur.

Rheginos fame adactos in poteſtatè recipit.

Pythonis illuſtris exitus.

Jam verò quum in prolixa pace, otioque ageret Dionyſius, Poematibus ſcribendis impenſò opere animum advertit, & accerſitos paſſim, qui in hac arte celebres erant, præcipuo honore affecit, eorumque cenſuræ ſua carmina ſubmiſit. Inter familiares Poetas ipſi Philoxenus erat Dithyramborum artifex eximius, qui quòd liberiùs aliquandò de ineptis Tyranni Poematibus judicium tuliſſet, in Lapidicinas conjectus eſt, mox reconciliatus amicorum operà, prolatis Dionyſius quibuſdam verſibus, in quibus operæ ſibi pretium feciſſe videbatur, quid de illis ſentiat à Philoxeno exquirit. Ad quod ille ne verbum quidem; ſed ſtipatoribus Tyranni advocatis, ſe ad Lapidicinas adduci jubet. Hanc tunc libertatem Dionyſius riſu exceptam æquo animo tulit, utque ab intempeſtiva illa taxandi licentia tandem abſtineret, multis exoravit. Annuit Philoxenus, & quum Tyrannus verſus miſerabiles affectus exprimentes in medium produxiſſet, interrogatus ille quales hi demùm viderentur: *Miſerabiles*

Poeſi Dionyſ. animù advertit.

Philoxeni poeta dicteria.

biles reſpondit: Quo ſanè dicterio Dionyſius præclaram ſibi laudem ab eo fuiſſe tributam eſt arbitratus, quaſi verſus miſerabiles eos intelligeret, qui commiſerationis affectu pleni eſſent; reliqui ſententiam interpretabantur, quod miſerabile illud vitioſam poematis naturam ſignificavit.

Rurſus ad Olympica mittens contemnitur.

Rurſus porrò ad ſolemnem Olympiæ conventum præſtantiſſimos Hiſtriones ſua illic carmina exhibituros miſit, qui principio quidem inſigni vocis elegantia, admirationem excitarunt; at ubi res in conſiderationem venit, nihil quàm effuſum inde riſum abſtulere. De quo Poematum ſuorum contemptu certior factus Dionyſius, in extremam mœſtitudinem incidebat, qua de die in diem ingraveſcente, furor tandem animum ejus occupavit, adeò ut amicos inſidiarum ſuſpectos haberet, pleroſque illorum falſis criminibus oneratos necaret, aut exilio plecteret, quos inter Leptines ejus frater, & Philiſtus eximiæ fortitudinis viri, qui plurimis bellis commoda Tyranno præſtiterunt. Hi ad Thurios in Italiam profugientes magnum ibi favorem adepti ſunt, cum Tyranno deinceps idipſum rogante in gratiam rediere, inque priſtinum dignitatis locum ſunt reſtituti. Leptines inſuper Dionyſii filiam in conjugium accepit.

Amicos vexat.

Urbes in Adriæ ſinu condit.

Nec diu poſt urbibus ad mare Adriaticum condendis animum Dionyſius intendit, quod ideò moliebatur, uti Ionium mare ſuæ poteſtatis faceret, tutamque ſibi ad Epirum navigationem aperiret. Prope diem quippè copias in Epirum transportare, & Templum in Delphis opibus refertiſſimum ſpoliare feſtinabat. Quamobrem etiam cum Illyriis Alcetæ Moletti opera, qui exul tunc Syracuſis morabatur, Sociale fœdus jecerat. Quumque Illyrii bello tunc temporis diſtinerentur, duo millia Auxiliariorum, & quingentas armaturas Græcas illis miſit, qui armis ſuorum fortiſſimis aſſignatis, Auxiliares ſuis ordinibus immiſcent, atque ad reducendum in regnum Epiri Alcetam irruptione facta, hoſtium agros depopulantur. Conſerto mox prælio Illyrii ſuperiores quum evaſiſſent, hoſtium ſupra undecim millia conficiunt.

Illyriis opem fert.

Inter hæc Parii colonia in ſinum Adriaticum deducta, inſulam quæ Phari nomen habet, adjuvante illos Dionyſio in illa condunt. Is enim annis non multis antè, miſſa eòdem colonia Syracuſanorum urbem Liſſum ædificaverat, in qua pro ducentis triremibus navalia extruxit, & tantæ magnitudinis muro urbem circumdedit, ut omnes Græcorum urbes ejus ambitu ſuperarentur. Gymnaſia inſuper magnifica juxta Anapum fluvium eduxit, Deorum ſana, & alia quæ ad novæ urbis gloriam conducerent, elaboravit. Ex ea aliquandò Prætor à Dionyſio conſtitutus numeroſa triremium claſſe, navigia Illyriorum Græcos infeſtantium adortus, partem demergit, partem in ſuam redigit poteſtatem, Barbaris ſupra quinquies mille interfectis, ac bis mille captis.

Liſſum urbem ædificat & ornat.

Dicon Syracuſ. in Olympicis victor.

Olympias nonageſima-nona tunc agebatur, qua Dicon Syracuſanus in ſtadio palmam obtinuit. Quo ſanè tempore pecuniæ inopià Dionyſius laborans, cum triremibus ſexaginta in Etruriam, prætextu evertendi pyratas, adnavigat, Templumque in Agylliæ urbis Etruriæ ſuburbio poſitum, multis donariis refertum, exſcentione facta, Cuſtodibus ac Præſidiariis facile, quod eſſent pauci, oppreſſis, expoliat, & pluſquàm centum talentorum coacervat. Quumque Agyllæi ad vim propulſandam concurrerent, ipſos etiam prælio vicit

multiſque

multiſque captis, & agris devaſtatis, Syracuſas remeavit, ubi ſpoliis diſtractis, quincenta coegit talenta. Qua pecuniarum vi locupletatus, milites ex omni genere quàmplurimos ſtipendio conducit, manifeſto belli Carthaginienſibus inferendi ſigna præſeferens.

ULTIMUM DIONYSII CUM CARTHAGINIENSIBUS BELLUM, EJUSQUE OBITUS CAUSÆ.

Altero nonageſimæ nonæ Olympiadis anno Dionyſius ad bellum Pœnis inferendum paratus, probabilem venebatur occaſionem. Quum urbes igitur, quæ ſubditæ illis erant, ad defectionem proclives cognoſceret, in fidem ſuam quotquot deſciſcere vellent recepit, fœduſque ſocietatis cum eis iniit. Carthaginienſes verò per Legatos initio urbes à Tyranno repetunt: at ubi poſtulatis nullum dari locum advertunt, ſocietatem cum vicinis pacti, bellum communi ope contra illum ſuſcipiunt, atque è civium delectu idoneis ad militiam deſcriptis, magna pecuniæ vi peregrini militis ingens agmen mercede conducunt. Imperio denique Magoni tradito, multa hominum millia in Italiam ſimul ac Siciliam trajecere. Dionyſius, & ipſe diſpertitas habens copias quà contra Italos, quà adverſus Pœnos in armis erat. Multæ porrò peculiares inter exercitus pugnæ, leveſque aſſiduè conflictus fiebant, quibus memoratu dignum nil actum fuit; duobus tamen magnis ac famigeratis inter eos præliis concurſum eſt, quorum uno Dionyſius ſtrenuè dimicans ad Cabala, ut vocant, victor extitit, Barbaris ad decem mille trucidatis, nec minùs quinque millibus captis, reliquam verò multitudinem in collem munitum quidem, ſed omni aquarum copia deſtitutum fugere coegit, ubi & Mago Imperator egregiè pugnans cecidit. Qua clade Pœni perterrefacti de pace Legatos ad Dionyſium miſerunt, quibus ille viam unam pacificationis ineſſe reſpondit, ſi urbibus Siciliæ cederent, & pecunias in bellum hoc inſumptas rependerent.

Dionyſ. contra Pœnos fœdere jungit.

Mago Pœnorũ dux ſe illi opponit.

Dionyſ. victoria.

Durum hoc, & ſuperbum victoris reſponſum illis viſum; hinc ad conſuetæ calliditatis artes converſi propoſitas a Dionyſio conditiones ſe ratas habere ſimulant, ſed urbes ei tradere, quum in poteſtate ſua non eſſe dicerent, inducias, ut magiſtratus hac de re convenire interim ſibi liceret, poſtulant. Non refragatur Dionyſius, factiſque induciis, jam propediem totam Siciliam in poteſtatem habere blandiebatur. At Carthaginienſes Magonem regio munere functum magnificè ſepeliunt, & ſuffecto in ejus locum filio adhuc quidem adoleſcentulo, ſed generoſæ mentis indole, animique fiducià pluſquam virili, ad inſtaurandum bellum ſe parant, exactoque induciarum tempore, ad certamen deſcendunt, pugnàque ſtrenuè commiſsà, priorem cladem inſigni victoria compenſant. Leptines enim, qui alterum Syracuſanorum cornu regendum acceperat, ut fortitudine præcellebat, ita heroicè præliando poſt magnam hoſtium ſtragem editam glorioſà morte oppetiit, quo prolapſo reſumptis Pœni animis hoſtes retro pulſos in fugam vertunt; Dionyſius verò initio hoſtibus ſibi oppoſitis prævalebat, quum primùm verò Leptinis mors innotuit, alterumque cornu jam diſſipatum, fuſumque cernebatur, Dionyſii acies metu perculſa ſeſe etiam in fugam effudit. Univerſis itaque terga vertentibus Carthaginienſes magno ardore inſequuntur; ac ne

A Pœnis dolo interceptus.

ac ne quiſquam vivus caperetur, edicunt. Cecidere ex Siculis ad quatuordecim millia, ſuperſtites in caſtra elapſi noctis interventu vitam conſervarunt. Victores Panormum ſeſe recipientes legatione ad Dionyſium miſſa, dirimendi belli copiam ei fecerunt, quam is lubentiſſimè amplexus eſt, hiſque tandem conditionibus tranſigitur. Ut utrique, quæ prius in poteſtate habuiſſent, retinerent. Selinuntinorum tamen urbem, & Agrigentini agri partem ad Alycum uſque fluvium Carthaginienſes exemerunt, ac mille inſuper talenta Dionyſius illis exolvere jubetur.

Cæſuli fuditur.

Lacedæmoniis auxilia mittit. Paucis poſt annis quum atrox bellum inter Lacedæmones ex una, & Arcades, Argivos, Elæos, Boetoſque ex altera deſæviret, Dionyſius Gallorum, & Hiſpanorum duo millia, numerato in præſens quinque menſium ſtipendio, Lacedæmoniis auxilio miſit. Hi Corinthum appulſi, atque in hoſtes educti, fortes ſeſe viros exhibuerunt, multoſque Boetorum ſociique nominis proſtravere; & poſteaquàm utilem Græcis operam navaſſent, eximiam ob præſtans animi robur laudem adepti, digni quos Lacedæmones præmiis afficerent, ad exitum æſtatis in Siciliam remittuntur. Jam verò Olympiade centeſima tertia allabente Dionyſius magnis inſtructus copiis, ubi Carthaginienſes lue peſtifera afflictos, & ob Afrorum defectionem non benè paratos vidit, in eos ducere decrevit, ſimulataque occaſione inferendi belli, quaſi ditionis ſuæ agros illi incurſaſſent, coactis peditum triginta millibus, equitum ad tria millia, ac ducentis triremibus, Pœnorum regionem invadit; & primò Selinuntem, atque Entellam ſibi ſubigit, omnique circum circa regionem populatus, Eryce potitus, Lilybœum tandem obſidione cingit; ſed quòd validum in eo præſidium excubaret, illam non diu poſt ſolvit. De navalibus ſubinde Carthaginienſium incendio abſumptis certior factus, totamque illorum claſſem periiſſe ratus, contemptu hoſtis rem ſecuriùs gerit. Centum ergo & triginta claſſis ſuæ triremibus Erycinorum occupat portum, reliquas omnes Syracuſas remittit. At Pœni opinione citiùs ducentis cum navibus appellentes Dionyſii claſſem in Erycino portu aggreſſam maxima ex parte abripiunt; quumque hyems inſtaret, pactis mutuò induciis, utriuſque urbis exercitus domum ſe recepit.

Rurſus Pœnos aggreditur.

Morbo correptus e vivis obit. Poſthæc Dionyſius invaletudine correptus inter vivos agere deſiit, poſtquam annis triginta octo regnaſſet, cui filius in principatu ſuccedens per annos duodecim hunc tenuit. Cauſa mortis hæc paſſim traditur. Quum in Liberalibus ludis Tragædiam Athenis exhibens victor fuiſſet proclamatus, tam fœlici accepto nuncio, ut Diis ſacrificando grates exſolveret, epulas & compotationes magnifico cum apparatu inſtituit; dum verò inter pocula nimium ebrietati indulget, per humoris ingeſti copiam in vehementiſſimum conjicitur morbum. Deorum jampridem oraculo præmonitus fuerat, non moriturum, niſi ſe meliores viciſſet, quam vocem fatidicam ad Carthaginienſes detorquebat; hos ſe potentiores eſſe ratus. Ideo licèt bellum identidem cum illis gereret, victoriam tamen ſubterfugere, & ultro victum ſe fateri ſolebat. Vaframento tamen iſto haudquaquam fatum eludere potuit; ſed quum eſſet ipſe malus poeta, & longè ſe præſtantiores Athenienſium judicio viciſſet, conſentaneum oraculo erat, ut vitæ mox terminum haberet. Dionyſius verò junior ſimulac Tyrannidem capeſſit, advocata concione plebem eſt cohor-

Mortis cauſa.

hortatus, ut benevolentiam a patre quaſi per manus traditam erga ſe conſervaret. Hinc Patri magnificum ad regias in arce portas funus quum peregiſſet, imperii ſui ſtatum in tuto collocavit. Hucuſque Diodorus. *Dionyſ. funus.*

1 POlyenus Stratagemmatum lib. 5. Dionyſius pactus cum iis, qui Naxum prodere inſtituerant, ipſe quidem ſero ad muros cum ſeptem millibus acceſſit. Naxii intellecta proditione in turres aſcendunt; Proditores verò Dionyſium vocabant, qui iis muros tuentibus minabatur, niſi urbem ſibi traderent, ſe omnes eos morte affecturum. Sub idem tempus in portum Naxiorum navis appellebat, quæ fiſtulantes Tibicines, & hortatores ducebat, quorum ſinguli triremem unam vocabant. Naxii totidem triremes adnavigare putantes, quot hortatores videbantur, metu perterriti, ſponte Dionyſio civitatem dedidere.

2 Idem eodem libro hæc tradit: Amilcar juxta Cronium adverſus Dionyſii duces caſtra conſtituebat: quum ii, qui Cronium tenebant, ipſum urbe excipere vellent, neque duces poteſtatem facerent. Amilcar re cognita, ſylvam omnem, quæ præ caſtris hoſtium erat, incendit captato adverſum hoſtibus vento. Fumus ergo magnâ copiâ, & turbine in hoſtium vultus vi ventorum delatus Amilcari, ut clam ad mœnia tranſiret, aditum præſtitit; eique portas cives illi, qui recipere eum cupiebant, aperuerunt, quare in urbem ducibus inſciis ingreſſus eſt. Hæc Polyenus.

Cronium ubi olim fuerit, incertum Siculis Hiſtoricis, & Cluverio. In Sicanorum partibus nihilominus ſitum ex his Polyeni deduco; Cronia, ſive caſtella antiquiſſimis temporibus in Sicilia exædificaſſe Saturnum Diodorus refert, qui Cronii etiam opidi meminit lib. xv.

DE DIONYSIO JUNIORE, ET DIONE.

CAPUT SECUNDUM.

Dionyſii vitia, & mores. Defuncto Dionyſio milites, qui in ejus fide permanſerant, Dionyſium filiorum ejus natu maximum, virum omnium ignaviſſimum, luxuque, ac otio perditum Imperio ſuffecerunt. Is cùm nomine idem eſſet cum patre, longè tamen illum ſceleribus antecelluit: ſicuti magnitudine animi, & pluribus virtutibus ſatis ab illo retroceſſit. Inter initia regni ſui hic fratrum ſuorum avunculos tanquam imperii ſui æmulos, pueris ad diviſionem regni authores, de medio tollere pergit. Sed quo id cum prætextu tutiùs faceret, ad favorem ſibi populi conciliandum prius animadvertit. Igitur noxiorum ad tria millia carceribus liberat: tributa populo per triennium *Populi favorē ſibi conciliat.* remittit. Unde cum prudenter, liberaliterque ſe gerere ſub initia videretur, voluntates omnium ad ſe traxit: ac ſubinde cum quaſi adamantinis nexibus imperium ſibi firmatum putat, ad deſtinatum facinus convertitur. Fratrum cognatis primùm, mox fratribus quoque ipſis nullo non injuriarum genere in eos edito, vitam adimit, tyrannidemque in ſuos primùm, quàm in externos auſpicatus eſt. *Urbes in Apulia condit.* Sublatis omnibus Imperii æmulis, in Appulia urbes duas extruxit, ut tutam efficeret maris Jonii navigationem. Qui enim loca maritima incolebant, prædatoriis navibus diſcurrentes Adriaticum pelagus omnino inacceſſum reddiderant, idque ſolum inſigne, ac dignum memoriâ facinus toto ſuo dominatu patravit.

Cum ſucceſſiſſet in bellum, quod Carthaginenſes Siciliæ machinabantur, ſedatorum morum ſimulatione, cum hoſtibus pacem fir- *Pacem hoſtib. concedit.* mavit. Cum Lucanis item bello ſummâ negligentiâ propagato, poſtremò præliis aliquot ſuperior, cupidiſſimo animo pacem eis conceſſit. Dehinc in ſegnitiem lapſus, avaritiæ, ſocordiæ, ac luxuriæ ſeſe totum mancipat; tantâ intemperantiâ, ut novarum voluptatum inventores ſummis etiam afficeret præmiis, & ad nonageſimum uſque diem aliquando ebrius perſeverarit. Quare adeo cæcutientibus, ac vitioſis oculis fuit, ut nec ſolem, nec diem, nec ſplendorem lucis ferre poſſet. Unde amici ejus, ac complures per adulationem ſimulare conſueverant, non videre ſeſe neque cibos, neque calices appoſitos. Ferunt quoque de eo veteres, quòd cum Syracuſis in Æſculapii templo ante ſimulacrum aurea menſa eſſet repoſita, patera mero repleta: Propino tibi (inquit) Æſculapi boni dæmonis *Sævit in Cives, qui in eū conſpirant.* calicem: & cum dicto auream ſtatim menſam auferri juſſit. Quibus omnibus dum contemni ſe putat, in cives ſævitia graſſari cœpit, nunc hos, nunc illos pro libito atroci morte de medio auferens. Syracuſani non impatienter, indigniſſimèque hæc omnia ferentes primùm in eum conſpirant. (1) Mox comparatis copiis eum in Acradina adeo durè obſident, ut aliquandiu dubitaverit, imperium ne deponeret, an bello reſiſteret. Sed a militibus ſuis, qui prædam, urbiſque direptionem expetebant, perſuaſus, eductis ordinibus de- *Victus ad fraudes ſe cōvertit.* ſcendit in aciem: ubi ſine ullo ferè negotio victus, fuſus, fugatuſque eſt in arcem, & cum iteratò fortunam belli tentaſſet, inferior quoque factus ſuccubuit.

Porrò cum viribus nihil ſe profecturum cognoſceret, ad fraudem ſe convertit. Legatos ad Syracuſanos mittit, qui Tyrannidem ſe

ſe depoſiturum ſponderet, ſi ad eum mittant, cum quibus de pace agat. Primores itaque aliquot ex civibus ad eum legant, quos ipſe violata fide in carceribus retinuit; ac deinde incautis Syracuſanis, nec quicquam hoſtile metuentibus, exercitum ad delendam urbem eduxit. Syracuſani tumultuariè ad obſiſtendum ſe parant; ſitque in ipſa urbe acre bellum, ſed aliquandiu anceps. Tandem victis, fugatiſque Dionyſianis, penes Syracuſanos multitudine ſuperantes manſit victoria. Superatus Dionyſius cum arcis obſidionem metueret, cum omni apparatu regio clam navem conſcendens in Locros urbem inſignem, a Rhegio ſeptuaginta ferme paſſuum millibus diſtantem ſeceſſit. A Locrenſibus rei geſtæ ignaris regio more comiter, benignèque ſuſceptus, benignitatis artibus ſub initia civium animos ad ſe pellexit: urbis Rhegii a patre dirutæ partem reſtauravit, eamque Phœbæam appellavit. Sed mox urbis arcem occupat, ſolitamque ſævitiam aggreditur. Primorum virgines ad ſtuprum rapi, virgines ante nuptias ad ſe ducere, & ſtupratas procis reddere jubet. Locupletiſſimos quoſque aut urbe pellebat, aut interficiebat, eorumque bona ſibi adjudicabat. Subinde cum rapinæ occaſio deeſſet, univerſam civitatem callido commento circumvenit. Nam cum Locrenſes a Leophrone Rheginorum Tyranno aliquando bello premerentur, voverant, ſi victoriam adipiſcerentur, ut die Veneris feſto virgines ſuas proſtituerent. Partâ victoriâ, cum voto Locrenſes intermiſſo adverſa bella cum Lucanis gererent, in concionem eos Dionyſius vocat, divinam hanc eſſe numinum ultionem dicit, quam ſi placare cuperent, hortatur, ut uxores, filiaſque ſuas in Veneris templum quàm poſſint ornatiſſimas mittant. Ex quibus centum ſorte ductæ voto publico fungantur, religioniſque gratia uno menſe ſtent in lupanari; omnibus antè juratis viris, nequis ullam attaminet. Quæ res ne virginibus voto civitatem ſolventibus fraudi, damnoque eſſet, decretum facerent: ne qua virgo nuberet, priuſquàm illæ nuptui traderentur. Probato conſilio, quòd nec ſuperſtitioni, nec virginum pudicitiæ injuriam facere videbatur, certatim omnes feminæ impenſiùs exornatæ in templum Veneris conveniunt, quas vix fanum ingreſſas Dionyſius miſſis militibus omnes ſpoliat, necnon ad prodendas maritorum pecunias pœnis, miniſque conſtringit: ipſiſque nudo, ut erant, corpore ejectis, ornamenta ſubtracta ſuam vertit in prædam. Plerique earum viri miſerabiliter conqueſti ab eo ſunt interfecti.

In Locros ſecedit.

Locrenſes vexat.

Eorum feminas ſpoliat.

His igitur malis artibus cum ſex apud Locros regnaſſet annos, ab exaſperatis civibus impetu in eum facto ignominiosè civitate expulſus eſt. Unde Syracuſas reverſus, ingenio uſus veteri pacis conditionibus interjectis à Syracuſanis regali more receptus eſt. Sed Locrenſes poſt Tyranni fugam cæſis ejus militibus, qui arci præerant, primò quidem, ut Strabo refert, in libertatem ſe vendicant, deinde ejus uxorem, ac liberos in ſui poteſtatem redigunt. Reliquerat enim ibi filias duas, filiumque natu minorem adoleſcentem: major namque, cui nomen Apollocrates erat, cum patre diffugerat. Pater verò abſens per nuntios Tarentinos obſecrat, ut uxorem, & filios pretio reſtituant. Quibus id recuſantibus hoſtilem exercitum mittit, Locros obſidet, eorumque agros populatur; ipſi verò iram omnem in filias explicuere, quas conſtupratas interficiunt, demum earum corpora concremant, oſſaque molibus ante frumentariis contrita in ma-

A quibus ejectus Syracuſis excipitur.

Uxorē, & filios amittit.

Benignè ſe gerit. marc projiciunt. Dionyſius à Syracuſanis receptus, principio benigniſſimum facillimumque ſeſe adeuntibus exhibebat, ſed eo minus illos ad benevolentiam potuit inflectere. Tantæ ſiquidem in eorum præcordiis prioris odii reliquiæ conſederant, ut nullis etiam beneficiis allici poſſent. Neque enim facilè propagata odiorum ſementis ſtirps interit: quippè ut gratiæ in odium deflexus facilis, ita odii ad gratiam difficilis eſt tranſitus: raròque animus, quem ſemel graviter indignatio ſubit, ſincera fide excolitur: aut cum quo vehementes primùm inimicitias geſſit, affectuosè poſtmodùm in gratiam redit. *Mox ad priora vitia redit.* Neque verò diu ea humanitate uſus eſt; ſed ad intermiſſam ignaviam, luxuriam, avaritiamque rediens, veteris etiam crudelitatis non eſt oblitus; atque ita gravior, ſæviorque in dies civibus redditur. Cujus quidem Tyrannidis plerique impatientia, deſerta patria, in Italiam profugi ſub ora Galliæ Ciſalpinæ juxta Cimmerium promontorium urbem Anconem condiderunt. Naxii quoque Chalcidenſes per ea tempora ſub Andromacho Naxio viro principe Timei hiſtorici patre, quòd Tyrannidem Dionyſii maximè eſſent exoſi, ab eo magna peditum vi, & ingenti claſſe bello petiti, Naxoque funditùs *Naxii ejecti Tauromenium incolunt.* deleta expugnati, in colle urbi prominente, qui eo tempore Taurus nuncupabatur, profugere. Ubi extructæ urbi nomen Tauromenium indidere. (2)

Dionyſius verò etſi omnibus eſſet inviſus, Imperium tamen poſſidebat inſtructiſſimum. Habebat enim naves quadringentas, ordinum quinque & ſex. Pedites ad decem myriadas, Equites ad novem millia. Ad hæc urbs ipſa regia, portubus maximis inſignis, altiſſimis mœnibus invictam obſidionibus faciem præſentabat, cui apud ſe præterea ſemper in promptu erat & commeatus, & apparatus *Dionyſii vires bellicæ.* bellicus ad quingentas naves ſufficiens. Intus ſervabat ad centum myriadas medimnorum tritici, Armamentarium refertum ſcutis, machæris, haſtis, ocreis multis, thoracibus, & catapultis: quarum inventorem fuiſſe ipſum Dionyſium affirmant. (3) Habebat & ſocios multos, quibus omnibus fretus adamantino ſe Imperio ſeptum arbitrabatur. Alebat poſtremò familiares quoſdam ſibi devinctiſſimos, qui Proſagogidæ appellabantur, impios ſanè homines, & omnibus inviſos. Hi urbem promiſcui peragrabant, ſingulorum dicta, vel facta ſagaciſſimè ſpeculantes, indagantesque: quæ deinde ad Regem deferebant; quò ille amicos, & inimicos pariter dignoſcere, conſpiratorumque conſilia prævenire poſſet. Quo eveniebat, ut ne loqui quidem Syracuſis tutum eſſet.

Dion Syracuſanus ejuſque virtutes. Erat Dionyſio affinis Dion Syracuſanus (cujus ſuprà meminimus) vir non ſolùm in Philoſophiæ, ſed in re etiam militari, & generis nobilitate, atque animi magnitudine clarus, qui ſicut Dionyſio patri gener fuerat, ita & Juniori intimus erat. Is cùm apud Dionyſium de bello, quod Carthaginenſes denuò contra Siciliam moliebantur, ſermo fieret, multique trepidè, ac imprudenter loquerentur, adeò prudenter pro temporis anguſtia diſſeruit, ut omnes præcipuo ſtupore affecerit. Enimverò poſt multa ultrò, citròque colloquia Dionyſio pollicitus eſt: ſi pacem expeteret, ſe quamprimùm in Africam navigaturum, eamque compoſiturum: ſin bellum; illud ſe propriis ſumptibus ſuſtentaturum, ad quod quinquaginta triremes offerebat. Porrò hæc animi promptitudo ei apud Dionyſium & admirationem, & amorem peperit, ſed apud proceres invidiam & odium.

Exiſti-

Exiſtimabant enim & ingenii perſpicacia, & virium potentia ſe dejectos eſſe, quibus accedebat morum quoque differentia. Illi etenim turpiter etiam cum ipſo Dionyſio educati: hic ſeverè admodùm, ac nullis illecebris, ſed omni egregia vivendi forma imbutus. Cùm igitur in aula regia non Regis gratiâ, ſed rei veritate omnium primum ſe cognoſceret, exiſtimans id ab imperitia proficiſci, Dionyſium ad Philoſophiæ ſtudium, liberales, moraleſque diſciplinas accendere magnis rationibus cœpit: quo tandem, prout Regem decebat, rejecta ſolutiori vita, cui aſſueverat, ad virtutis conſuetudinem ſeſe converteret; ignominioſum, ac turpe eſſe dicens, ſi Rex corpus pretioſo ornet amictu, ædiumque parietes auratis obducat veſtibus; animum verò ignavia, luxu, avaritia & omnibus voluptatibus deturpari ſinat, qui ut regali poteſtate cæteris præeſt, ita divinis moribus eſt expoliendus. Hæc cùm ſæpè occineret, & nonnulla interdùm Platonis documenta interſereret: ingens ac flagrans ſtudium, Platoniſque ipſius amor Dionyſium cœpit. Quare literas Athenas frequentes, & ab ipſo, & à Dione, & à Pythagoricis, qui Italiam eo tempore habitabant, ad Platonem ſtatim ſcribunt, ut Syracuſas proficiſcatur ad Regis animum imbuendum. *Dionyſium ad meliorem frugem reducere tentat.*

Dum hi rumores per urbem deferuntur, Dionis æmuli pro magno negotio habuerunt, ut Philiſtus, qui à Dionyſio patre fuerat relegatus, ab exilio revocaretur, ut haberent quem Platoni, & Dioni apud Dionyſium opponerent, quod obtinuerunt. Revocatus Philiſtus, ut erat acri vir ingenio, illicò rerum regiarum adminiſtrationi ſe implicuit. Invidi verò contra Dionem calumnias, & criminationes ad Regem deferre non ceſſabant, quòd Imperium diſſolvere, & popularem principatum Platonis opera in urbem reducere vellet. Intereà Plato Syracuſas applicuit, cui Dionyſius triremem ornatu regio inſtructam adventanti miſit obviam. Egreſſo deinde ex triremi regius etiam currus cum quadrigis albis affuit, qui ipſum ad Regiam magna pompa deveheret. Dionyſius perindè ac ſi numen aliquod Syracuſas adveniſſet, ſacrificia celebrare, convivia honeſta indicere, curiæ ordinem mutare, benignitatem in omnes æquè induere cœpit, cujus exemplo (ſolet namque populus principis vitam æmulari) Syracuſanorum omnium frequens ad philoſophiam erat concurſus: geometricis figuris, quas Platonis innumeri diſcipuli deſcribebant, plena erat arx regia. Ubi cum non ita multò pòſt tempore de more ſacrificium fieret, precoque, ut conſueverat, perpetuum Dionyſio imperium conceptis verbis precaretur: Deſine (inquit ille) execranda nobis imprecari. (4) Adeò Dionyſius brevi in Platonis philoſophia profecerat, ut regnum ultrò relinquere cogitaret. *Philiſtus ab exilio Syracuſas redit.* *Platonem regio apparatu excipit Dionyſius.*

Id ubi Philiſtus audivit, magno affectus eſt mœrore; Æmuli etiam Dionis Dionyſii mentem immutatam videntes, rati quòd ſi ipſe ſe abdicaret Imperio, Ariſtomaches liberos, quorum Dion erat avunculus, ſuo loco ſufficeret, non clàm, ut anteà, ſed palàm Dionem conviciis laceſſebant: Platonem verò ut Sophiſtam irridebant, ejuſque præſentiam regno perniciosam apertè aſſerebant. Philiſtus intereà totus in Dionem odio, & invidia flagrans clam eum apud Regem in ſuſpitionem adducit, quòd ad Carthaginenſium Præfectos, ut non niſi ſe præſente cum Dionyſio de pace agerent, literas dederit, quibus commoſtratis, lectiſque Dionem Rex quarto menſe poſt Platonis adventum in arcem circa mare adduxit, unde *Philiſtus Dioni adverſatur.*

com-

communicatis illi literis vehementer increpatum; quòd contra ſe una cum Carthaginenſibus conſpiraſſet, nullam excuſationem admittens ſtatim, ut erat, cymbæ impoſitum cum Megacle ejus frater in Italiam primùm, & mox in Peloponneſum exportari per nautas curavit. (5) Quod ubi Syracuſis vulgatum eſt: regiam quidem muliebris ululatus, civitatem verò mœror, & luctus tenuit: adeò non neceſſarii modò, ſed & cives omnes eum, mores, virtutumque illuſtria ornamenta proſequebantur benevolentia. Quæ ut Dionyſius conſpexit, ad præſentem omnium dolorem levandum, non exulaſſe Dionem, ſed paululùm ob linguæ petulantiam receſſiſſe, ac cognatis brevi Syracuſas rediturum prædicabat, juſſitque ut duabus navibus ex ejus bonis quantumcunque pecuniarum neceſſe eſſet, ad ipſum tranſmitteretur, quo lautè, & pro priſtina fortuna viveret. Quæ omnia clarum ipſum etiam in exilio inter Græcos oſtenderunt. Plato prætereà multis precibus apud Dionyſium agere non ceſſabat, ut eum revocaret. Cui cum intra annum id facturum ſpopondiſſet: Plato è Sicilia diſcedere conſtituit, ante tamen Archita Tarentino, nonnulliſque Pythagoricis in amicitiam cum Dionyſio conductis.

Dion exulare cogitur.

Plato Sicilia excedere cogitat.

Sub idem tempus Dionyſius militibus ſtipendia contra patris decretum minuere voluit. Quod cùm irati milites facto concurſu id ſe neutiquam toleraturos minarentur: ipſe occluſis arcis portis coercere nitebatur. Sed illi repentè in furorem acti ad mœnia concurrunt; ſigniſque datis claſſicum ciebant, quo territus Dionyſius ad ſtipendia conſueta, ac plura etiam coactus eſt. Rumor fuit Heraclidem, qui Præfectus erat Equitum, tumultus hujuſce cauſam extitiſſe. Quod Heraclides audiens, ne Regis iram incurreret, fugam arripuit. Quem cum Dionyſius capere optaret, Theodoto coram Platone impoſuit, ut ea lege ad ſe illum adduceret, ut poſtquàm criminibus ſibi objectis reſponderit, ſi Regi in Sicilia illum ampliùs manere non placeret, tutò aſſumptis uxore, & liberis, ac omni ſupellectile Peloponneſum petat. Theodotus verò cùm id ab eo per fraudem promitti intelligeret, cum Heraclide iram Regis metuens Corinthum receſſit. Plato poſtmodum non invitus, neque abſque Regis conſenſu Syracuſis diſcedens, Athenas eſt reverſus. Ubi & Dionem ſapientiæ ſtudiis aſſiduum in Academia continebat. Unde tandem Dion Græcorum urbes cum optimis, & principibus viris adibat; feſtos conventus celebrans, nihil non in vita modeſtum, nihil turpe, ſed honeſtum, ſeque dignum peragebat. His moribus benevolentiam, & publicos honores a civitatibus conſequebatur. Lacedæmonii etiam, qui per id tempus Dionyſium contra Thebanos promtiſſimum belli ſocium habebant, quaſi ejus iram parvipendentes, Dionem ob ejus merita civitate donarunt.

Heraclides fugam cepit.

Plato Athenas regreditur.

Nec multò poſt interjecto tempore cum Dionyſius Platonis videndi, ac ejus philoſophiæ deſiderio teneretur, Architam, ac cæteros Pythagoricos, qui per ea tempora Syracuſas receſſerant, induxit, ut vades ipſi pro eo exiſtentes, Syracuſas illum accerſerent. Qui Archidemum Syracuſanum Architæ familiariſſimum, quem unicè Plato amabat, Athenas miſerunt. Ipſe etiam Dionyſius plures oratores Siciliæ nobiles, & triremes ad Platonem tranſmiſit, cum literis, quibus minabatur, nunquam ſe Dionem revocaturum, niſi Syracuſas ipſe rediret. Cognati præterea, ac ſoror, & uxor Dionem

In Siciliam revocatur.

per

per literas monebant, ut omnino Syracuſas Plato reverteretur, ſi ipſe patriam, ac ſuos viſere aliquando ſperaret. Quibus omnibus Plato adductus Syracuſas tertiò venit. Ubi cum Dionyſio familiariter verſatus, cum revocationem Dionis, tyrannidemque relinquendam ſæpius hortatus eſſet, acerbiuſque urgeret, Dionyſius iratus ex arce eum remiſit, & extra arcem manere juſsit, quem cum convicìſſet, ad Thedotum profectum fuiſſe, veluti inimicum, nunquam amplius in ſuas ædes vocavit, ſed inter milites conductitios habitare ipſum voluit. Qui cum illum interficere vellent, Dionyſius obſtitit. Quo Plato cognito, Architam, & cæteros pythagoricos, qui ejus erant vades per certum nuntium in quo diſcrimine eſſet, certiores fecit. Qui ſtatim Salmiſcum eorum unum cum triremi ordinis triginta remorum, ad repoſcendum Platonem, ad Dionyſium legatum mittunt. Atque ita Plato a Dionyſii ſævitia ereptus, Athenas, commeatum rege ſibi ſuppeditante, eſt reverſus. Ubi cum Dionem ludos ſpectantem olympiacos offendiſſet, illi quæ apud Dionyſium facta fuerant, enarravit. At ille Deum teſtatus, ſe pœnas a Dionyſio exacturum tum ob Platonem illuſum, tum ob injuſtam ſuam expulſionem juravit, quod quidem Plato non improbavit; ſe tamen illi comitem fore negavit, & quòd ætatem ſuam bellicis rebus ineptam, & familiaritatem cum Dionyſio non eſſe violandam, cognoſceret. At ſi quando conciliatore inter eos opus eſſet, hoc munus ſibi deberi arbitraretur.

Plato Syracuſ. tertiò venit.

Rurſus Sicilia excedit.

Dion igitur deſperato reditu jam inde animum ad Dionyſium Sicilia pellendum, & Syracuſas urbem tyrannide liberandam adjecit, fœderatuſque Heraclidi bellum parat, milites conquirit. Adjunxerunt ſe ſponte illi Eudemus Cyprius, & Timonides Leucadius, & ex Zacyntho octingenti viri in re bellica præſtantes. Erat quoque eo tempore in Peloponneſo Syracuſanorum exulum manus ingens ſupra mille numero, ex quibus vix quinque & viginti a Dione potuerunt ad ſocietatem allici: quòd cæteri Dionyſii potentiam pertimeſcerent. Quinimo plerique ejus damnabant inceptum, veluti hominis præ nimia ira deſipientis. Ipſe porro accuratiſſima oratione ſuorum animos nonnihil confirmabat. Cui licèt parva tunc facultas adeſſet, ingens tamen erat animus, virtus ſumma, & magna eorum, qui miſerè Syracuſis ſerviebant, erga eum benevolentia; quodque iis omnibus majus erat, ipſius tyranni ignavia, & popularium omnium mentes ab eo alienatæ. Proinde duas tantùm onerarias naves armis, & militibus ſtruit, & cum eis Zacynthum Inſulam, quæ prope eſt Cephaleniam, tranſmittit, relicto in Peloponneſo Heraclide collega, quem Cariclidem Diodorus appellat, quo inſtructis aliis navibus, ipſum in Siciliam ſuo tempore ſequeretur.

Dion ad Dionyſium pellendum ſe parat.

In Siciliã trajicit.

Hæc ubi Dionyſio ſunt nuntiata, Aretem invitam Dionis uxorem, Tymocrati familiari ſuo matrimonio junxit, filiumque ejus intemperanter educari præcepit, patris in hoc juſtitiam non imitatus, qui Polyxeno ſibi inſidianti, & ob metum Siciliâ exulanti uxorem Teſcham intactam uſque ad funus ſervavit. Interea Dioni e Zacyntho duabus cum navibus parvo apparatu in Siciliam navigaturo, cum ante luna pleno luceret orbe, repente tota delituit. Id prodigium veluti infauſtum ſociis eſt viſum. Sed Dion, Mylta Aſtronomo teſte, deliquium eſſe lunæ, & natura factum oſtendit. Quod ſi tamen quid mali portenderet, id totum ad Tyranni exitium pertinere, quòd

Lunę defectus Dionis ſocios metu afficit.

Prodigia ad Dionyſii exitiú prævia.

quòd ejus Principatus, qui veluti Sol clariſſimus videbatur, obductis tenebris citò eſſet involvendus. Nec ſolùm id eo tempore oſtentum in Dionyſii cladem apparuit; ſed & pleraque alia notata fuere. Mare etenim, quod Syracuſanam arcem alluit toto die uno dulces, & potu ſuaves habuit aquas. Sues ſine auribus editi. Aquila demum de cœlo lapſa jaculum ſatelliti abreptum in ſublime primùm detulit, mox deorſum in profundum abjecit. Quæ omnia Dionyſii exitium, imperiique ejus everſionem præſagire vates ita ſunt interpretati, ut amariſſimus ejus Tyrannidis ſtatus dulceſceret, & Syracuſanorum aures a ſævo imperio averterentur, ab eoque poſtremò vis regia Jovis nutu, cui aquila eſt ſacra, pœnitus tolleretur, & ad ima dehiſceret.

Tĕpeſtate abjectus Minoam Dion appellit.

Dion verò tertiodecimo die Pachynum Siciliæ promontorium applicuit. Sed cum Philiſtum Dionyſii claſſis præfectum, qui in Japigia ſtationem habebat, & propinquum hoſtibus deſcenſum reformidaret; Pachyno ad dexteram relicto, ulteriora, lateris ſcilicet meridionalis regionem petebat. Tum repente aſper incumbens ſeptentrio longè a Sicilia claſſem ingenti procella ad finitimam Libyæ Cercinam inſulam primùm detulit, ubi parum abfuit, quin ſcopulis illiſa disjiceretur, ſed maximo nautarum, remorumque labore ſervata; mox alia tempeſtate ad magnæ Syrtis caput pervenit. Unde tandem flante auſtro Siciliam verſus ſolvens, quinto die præternavigans Agrigentum, Minoam tenuit. Parebat tum ea urbs Carthaginenſium imperio; præeratque ei loco Paralus, ut Diodorus refert, licèt Synalum Plutarchus eum appellet, Hic Dioni anteactis licèt temporibus amicitia, & hoſpitio eſſet conjunctus, ignarus tamen qui hominum advecti eſſent, arcere milites a littore nititur. Quem Dion cum ſuis in oppidanos mixto agmine irruentes, in fugam vertunt, urbemque in poteſtatem redigunt. Urbe capta duces inter ſe cognoſcuntur, ſtatimque nemine violato urbs Paralo reſtituitur. Tum Paralus receptis benignè militibus neceſſaria Dioni comparavit, auditâque adventus causâ, ei ſignificavit, Dionyſium per ea tempora octuaginta cum navibus circa mare Adriaticum in urbibus nuper a ſe conſtructis otiari. Quo audito Dion, & ſocii maximam benè gerendæ rei ſpem concepere.

A Paralo amicè recipitur.

Igitur ut tempus patrandæ rei aptiſsimum vident, æreis armis numero ad quinque millia, & ſarcinis Paralo relictis, ut ea Syracuſas, ubi tempus ſibi opportunum viſum fuerit, tranſmitteret, mille viris comitatus Syracuſas verſus præpropere movet. Proficiſcenti ducenti Agrigentinorum equites, qui Ecnomum incolebant, ultro ſe illi adjunxere. Inde & Gelenſes, Madinæi, (6) & Camerinenſes, ac aliæ Siciliæ mediterraneæ civitates ad aſſerendam Syracuſarum libertatem ſe ſocios addunt, atque ita Dion concurrentibus ex omni parte auxiliis etiam Meſſanenſibus, & ex Italia pariter Græcis, exercitum ſupra viginti millia hominum comparavit. Cujus adventus fama illico Syracuſas pervaſit. Timocrates, cui Dionis conjux connubio fuerat tradita, præſidio Syracuſarum præfectus ad Dionyſium expeditiſſimum cum literis nuntium mittit; quo Dionis adventum ſignificabat. Nuntius trajecto freto, Rhegium venit, deinde in Cauloniam ad Dionyſium accelerans in familiarem quemdam incidit, qui nuper cæſum ferebat arietem. A quo carnis fruſtum dono cum accepiſſet, peræ, in qua literas deferebat, incluſit, poſtmodum majori

Socios, & auxilia ſibi adſciſcit.

Nuntius ad Dionyſ. de adventu Dionis.

ſori parte noctis itinere abſumpta ſub auroram ſomno, & labore victus in ſylva paulisper ſe dedit. Dormienti caſus ſanè admirandus obtigit. Lupus fortè per ſylvam oberrans juxta cubantem tranſiens odore carnis perſentito ſacculum cum carne, & literis abſtulit. Experrectus homo, ignarus rei, cum aliquandiu literas fruſtra quæſiſſet, ſine legationis fide ad Dionyſium non auſus accedere, ab itinere aliò divertit. Quo evenit, ut Dionyſius Dionis adventum tardiùs reſciverit. *Caſus admirandus.*

Intereà jam Dion Syracuſanos fines intraverat. Cujus adventu cognito, occurrit ei multitudo ingens, & ex agris, & ex urbe venientium ad ſe hominum inermium. Quibus Dion advecta jam ſibi ab urbe Minoa arma diſtribuit, quæ cum non ſufficerent, reliquos eo armorum genere, quod ſibi ſors obtulit, inſtruxit. Poſt hæc omnibus ad concionem vocatis eo animo ſe veniſſe dixit, ut Siciliæ libertatem reſtitueret: longoque ſermone eſt hortatus, ut tales Duces deligant, qui huic prælio ſuperincumbant, cui ab omni multitudine conclamatum eſt: ſe non alios quàm ipſum, & fratrem ejus Megaclem aptiores ad id bellum noſſe. Flagrabat jam tum libertatis adipiſcendæ deſiderio Syracuſæ urbs, & conſpirationibus æſtuabat. Duces intereà, quos Dionyſius ad urbis cuſtodiam reliquerat, oppidanos à defectione quàm diligentiſſimè deterrere ſtudebant. Quod cùm fruſtrà tentaſſent, civium tumultu paſſim convaleſcente, coacto mercenario milite unà cum his, qui in urbe Regis partes tuebantur, conſpirantibus obſiſtere pergunt. Erant cum Timocrate Leontini, atque Campani, qui Ennam, complures, qui Epipolis præſidium tenebant. Hi cùm (ſed falſum) à Dione prolatum rumorem de eorum urbibus occupandis audiſſent, Epipolis & Timocrate deſtitutis, opem ſuis allaturi cucurrerunt. Erat Dion tum circa Matras, (7) exercitum habens. Ubi cùm per certum nuntium Leontinorum, & Campanorum ab Epipolis abſceſſum audivit, confeſtim concitatis militibus noctu ad Anapum fluvium pervenit. Ibi caſtrametatus peractis juxta flumen pro victoria obtinenda de more ſacris, cum inter ſacrificandum corona eſſet inſignitus; uno animo milites omnes & ſibi ipſis ex floribus, & herbis coronas impoſuerunt. *Dioni Syracuſani complures adjunguntur.* *Timocrates Dioni opponitur.*

Erant tum cum Dione, hominum millia fermè quinquaginta, cum quibus trajecto flumine ſubitò urbem invadit, ubi cùm nullos in aperto ſe illi opponentes offenderet; quinimò qui aut opibus, aut nobilitate præſtabant, compoſito ad lætitiam, gratulationemque habitu ante mœnia obviam illi egrederentur; audacter per Menetidas portas Acradinam ſubit, confeſtimque in forum cum exercitu, libertatem apertis, ac iteratis vocibus ingeminante contendit: ibique ingenti omnium civium favore exceptus eſt. A quibus mox in Tyranni Proſagogidas facto impetu, quotquot occurrerunt, capti, virgis cæſi, & membranis exuti ignominioſè ſunt trucidati. Timocrates ſubita mutatione perculſus cùm in arcem ingredi nequiſſet, conſcenſo confeſtim equo fugâ ſalutem quæſivit. Proindè urbe à ſervitute ad libertatem reſtituta, omnia gaudiis, ſacrificiis, focisque triumphalibus publica & privata perſtrepebant. Paſſim ab omnibus urbis partibus concurſus civium ingens ad Dionem fiebat. Omnes eum cum admiratione intuebantur. Quocunque ille incedebat, floribus, frugibuſque libertatis aſſertori ſolum inſternebatur. *Dion urbem invadit, à civibus excipitur.*

Annus ab introducta à priori Dionyſio tyrannide quinquageſimus,

Ad libertatem ſirvandam eos excitat. ſive quadrageſimus octavus, ſi Plutarcho credimus, agebatur; cum celerrima hæc Dioni, & mira cum libertatis Syracuſanæ reſtitutione tertio poſt adventum die, tanto Dionyſii imperio deleto, contigit victoria. Capta urbe, Dion horologium excelſum, quod ſub arcem, & Pentapylum Dionyſius illuſtre ediderat, aſcendens, ad concionem vocatam plebem ad tuendum ſibi divinitùs redditum, omnium digniſſimum libertatis beneficium pluribus eſt hortatus. Subinde Epipolis minimo negotio captis, quotquot ex civibus in vinculis ibi detentos reperit, diſſolvit. Totaque jam urbe præter arcem, quæ erat ad inſulam, potitus, ut & eam obſidione premeret; muro à terra circumſepit; ne præſidio illius, quod erat validum, ſuppetias, vel commeatum quiſque ferre poſſet.

Intereà cognitis apud Cauloniam Dionyſius quæ Dion geſſerat, ſeptimo die poſt urbem captam cum claſſe reverſus, ſeſe in arcem *Dionyſius pacem componere tentat.* retulit. Unde initio privatim miſſis ad Dionem Legatis pace res componere tentavit, mediocria polliceri vectigalia, militiæ requiem; niſi ſi quam ultrò ſuſcipiendam eſſe decreverint. Quæ cùm populus irrideret, mox petiit, ut aliqui ad ſe mitterentur, cum quibus de pace aliquid certi tranſigi poſſet. Miſſi ſunt ad eum viri, quos Dion probatæ, ſpectatæque fidei eſſe ſciebat. Qui dum cum Dionyſio de pace differunt; ex arce ſubdolè exorta fama urbem pervaſit; à Dionyſio Tyrannidem non Diònis, ſed ſui, ac patriæ gratia deferendam. Sed ea omnia dolum Syracuſanis & inſidias portendebant. Nam cùm populus inter hæc pacis expectatione negligentiùs ſtationes ageret, ſegniùſque cuſtodias curaret: ipſe Legatos primùm in carcerem conjicit: mox illuceſcente extemplò reſeratis portis arcis inſtructum ſtipendiariorum agmen, & mero ſaturatum contra circumductum à Dione murum emittit. Quem Barbari cum clamore ingenti repentè invadentes trucidatis non paucis præſidium pervaſtant, ac deinde intra civitatem irruunt. Syracuſani re inexpectata perculſi ad obſiſtendum occurrere non audent.

Dion verò, ubi fraude à Dionyſio deceptum ſe videt, milites *Dionyſiani cù Dione & Sociis congrediuntur.* colligit, ac obviam factus hoſtibus reſiſtit: ceptoque prælio multos paſſim cædit. Cùmque intra munitiones eſſet pugna, nec magnum, ſed unius vix ſtadii ſpatium intercederet: accurrit ſubitò ex arce nova militum manus. Ubi inter milites utrinque virtute præſtantes acerrimè pugnatum eſt, his quidem ob ingentia Dionyſii promiſſa, illis verò libertatis amore partes ſuas tuentibus. Et initio quidem anceps pugna, æqualiſque utrorumque fuit animi vigor. Cadebant etenim ex utriſque plurimi, nec pauci confodiebantur. Dion egregium facinus peracturus in mediam hoſtium aciem prorupit; & acriter dimicans, multos cecidit, perturbatiſque illorum ordinibus, in medio ſolus conſtitit. Ubi contra emiſſa undique in ſe tela, clypeo, galea, aliiſque armis propulſans, tandem in brachio dextro confixus eſt, vulneriſque impatientia in terram collapſus. Quo viſo, Syracuſani de ſui Ducis ſalute ſolliciti in hoſtes ruunt impetu, Dionemque, ne in hoſtium manus deveniret, periculo levant. Qui à militibus ereptus Timonidem ducem ſibi ſubſtituit. Ipſe verò equo urbem circuit, Syracuſanos à fuga retrahit, externos milites, qui Acradinam pro ſtatione tenebant, contra Barbaros concitat. Inte- *Dion Dionyſianos fugat.* gros prætereà contra ſaucios adhibet, promptos contra animo dejectos ſubrogat, ita, ut Barbari ſpe occupandæ urbis dejecti gradum

in

Dion Dionyſianos fugat.

in arcem referre, & incumbente vehementiùs Græcorum agmine terga vertere, ac ſeſe mœnibus includere compulſi ſint. Identidem quoque & ad aliam muri partem Syracuſani ſtrenuè geſſerunt, Barbaros ſuperantes, & eos ad portas uſque inſulæ perſecuti. Ceciderunt eà pugnà ex Dionis militibus quatuor & ſeptuaginta, Dionyſiani octingenti. Partà hac victorià, per quam Syracuſanorum civium animi libertatis fiducià ſunt roborati, trophæum in Tyranni opprobrium erexere; & externos milites centum minarum coronis ornaverunt; Dionem verò aureo diademate redimiverunt. Dionyſius ſua ſpe fruſtratus, impetratiſque ſuorum cadaveribus, parentandum curat: quæ aureis coronis, purpureiſque veſtibus exculta efferri jubet. Quibus officiis ſuperſtitum animos ad ſubeunda libenter pro eo diſcrimina erexit. Magnis prætereà muneribus eos, qui ſtrenuè pugnaverant, proſecutus, validioribus præſidiis arces communiit.

Suos Dionyſ. demeretur, ac pacē poſtulat.

Poſt hæc Legatos, qui de pace cum Syracuſanis iterum tractarent, miſit. Quos Dion variis excuſationibus diſtinebat, quouſque eam muri partem abſolveret, quæ ad totam arcem circumſepiendam deerat, eadem arte Dionyſium ludificaturus, qua ipſe fuerat ab eo paulò ante deceptus. Abſoluto deinde opere Legatis reſpondit: Unicam eſſe pacis viam, ſi depoſita tyrannide, privato ſit contentus. Dionyſius hac via excluſus ad commenta quædam contra Dionem, quibus eum populo inviſum redderet, ſe convertit. Literas igitur Hipparini Dionis filii, quem Aretheum Timeus appelat, patri ſcriptas finxit, aliaſque allis complures, quibus Dion eo bello Syracuſanis, ob acceptas olim ab eis injurias odio adhuc conflagrans, non libertatem, ſed Imperium ſibi acquirere pergebat. Syracuſani literis publicè lectis Dionem ſuſpectum habere cœperunt. Cumque interea Cariclides, ſive Heraclides, ut alii efferunt, quem Dion cum triremibus in Peloponneſo reliquerat, Syracuſas viginti cum triremibus, mille & quingentis inſtructis militibus appuliſſet, claſſis eum Præfectum deligunt, ut communi ejus, & Dionis conſilio contra Dionyſium deinceps res ageretur. Ægro id animo Dion tulit, queſtus collatam Heraclidi Præfecturam Principatus ſui labefactationem eſſe, indeque clam paucis Heraclidem increpuit, quòd non benè eo tempore, quo victoria in manu erat, ſecum pro gloria decertaret. Orta igitur ob hoc inter eos contentione, Heraclides, licèt non apertas, clandeſtinas tamen in Dionem exercebat inimicitias.

Dionem inſidiis petit.

Heraclides Dionis occultus hoſtis.

Erat inter Syracuſanos Dionis inſidiatores Soſſis verſuti vir ingenii. Is contra eum novandi res tempus commodum, occaſionemque nactus vulneribus, ac plagis totum ſibi corpus, ac faciem fœdavit, atque ita veſte lacera indutus, quo ex omni parte fidem mereretur, in forum venit, ac lamentabili voce eas injurias a Dione ſibi illatas queritur. Jus ſibi ut fiat, populum appellat. Cujus conſilio, ac fraude detecta, rerum novarum molitor, & urbis turbator judicium publicum ſubiit, & pœnas luit. Damnato Soſſide, Dion in populi gratiam rediit. Interea Philiſtus Dionyſii præfectus, quem mari Adriatico præfecerat, octoginta cum triremibus, & quingentis equitibus ex Japigia Syracuſas venit. Unde pluribus aliis equitibus, ac duobus peditum millibus aſſumptis, in Leontinos, qui & ipſi a Dionyſio deſciverant, ſe convertit. Noctu mœnibus ſuperatis cum partem urbis occupaſſet, a Syracuſanis, qui Leonti-

Philiſtus Dionyſio auxiliatum venit.

nis auxilio venerant, irruentibus ſuperatur, ac extra mœnia ejicitur. Ita fœdè pulſus claſſem triremium ſexaginta mox inſtruit, & ad navale bellum Syracuſanos authores ejus cladis excitat. Syracuſani, qui & ipſi claſſem non multò minorem in procinctu habebant, cui Heraclides præerat, contrà exeunt. Conſerto prælio, ſumma vi utrinque pugnatum eſt. Et jam primò victoria ſe ad Philiſtum inclinabat; ſed paulò poſt inferior factus a ſuis tandem una cum ſola navi deſeritur. Syracuſani, ubi Philiſtum derelictum vident, undique eum premunt, & ut vivum capiant, obnixè laborant. Sed ipſe ne in manus hoſtium veniret, captivitatiſque contumelias evitaret, ſua manu ſibi mortem conſcivit, ut Ephorus, & Diodorus ſcribunt, licèt Plutarchus vivum in Syracuſanorum poteſtatem veniſſe, probriſque affectum tandem obtruncatum fuiſſe Timonidis authoritate, qui ab initio belli Dionis ſocius fuit, aſſerat. Ejus cadaver diſcerptum primò Syracuſani rheda per urbem traxerunt: dehinc in Latomias inſepultum abjecerunt.

Navali commiſſo prælio occiditur.

Dionyſius, mortuo Philiſto, & amiſſo tanto Duce, animo dejicitur: & demùm deſperatis rebus, per Legatos Dioni dimidium Imperii offert, quo recuſato, totum etiam ceſſit: dum tamen milites, & opes omnes in Italiam tutò poſſet transferre; & ex Gyarte agro, qui intra Syracuſanos fines latus, & ferax à mari ad Mediterranea ſurgit, annuos fructus perciperet. Reſponſum eſt à Dione, ut à populo petat. Approbabat namque ipſe conditiones: populum etiam ad ſubeunda pacta hortabatur. Sed pleriſque in contrarium tendentibus nihil profecit; quippè quòd vi, & vivum ſibi dedi Tyrannum vellent. Re infecta, reverſis Legatis, Dionyſius, valido præſidio firmata arce, & Apollocrati liberorum ejus natu maximo tradita, regiaque ſupellectili, ac omni gaza navibus clam impoſita Heraclidem, qui cum claſſe ejus fugam in portu obſervabat, noctu prætervectus in Italiam ad Locros evaſit.

Dionyſius ad Locros fugit.

Dionyſio fugato, in urbe ſeditiones ſtatim ſunt exortæ. Erant namque, qui rerum ſummam Heraclidi, qui ad Tyrannidem minimè propenſus videbatur, demandandam judicabant: plerique Dioni. Populus agros æquè plebi dividi poſtulabat, quod hoc libertatis eſſet initium. Quibus hinc favebat Heraclides, illinc adverſabatur Dion. Hinc populus, quo nihil in humanis eſt volubilius, odiis contra Dionem exardere cœpit: ac intereà ne in præceps urbs prolaberetur, quinque & viginti ex plebe deligunt Præfectos, ex quibus unus erat Heraclides, qui rei Syracuſanæ (Dione fruſtrato) præeſſent. Acceſſit ad æ umnas, quæ Syracuſis paulò pòſt ſupervenerunt: quòd mercenarii milites, qui ad tria millia ex Peloponneſo venerant, cùm ſtipendia multa eis deberentur: & ob indigentiam Reipublicæ præſtari non poſſent, & abire propterea decreviſſent, Dionem hortabantur, ut ſecum & ipſe diſcederet, ulciſcerenturque pariter communes injurias à Syracuſanis acceptas. Non annuit primò Dion. verùm paulò pòſt urbe contra eum ſeditionibus flagrante, coactus (relicta ingrata Syracuſarum urbe) cum eis ad Leontinos pergebat. Quo reſcito, Syracuſani acceptum odium aperto bello manifeſtant, eoſque inſequuntur. Sed in ipſo itinere, pugna inita, ſuperantur, multiſque cæſis, retrò fœdè fugati domum redeunt. Ubi à mulieribus deriſi ab ignominia, ac ludibriis exaſperantur: tum reſumptis animis contra Dionem ſunt regreſſi. Quem ut fluvium trajicientem offen-

Seditiones Syracuſis excitæ.

Digitized by Google

offendunt, abacto equitatu prælium inchoant: ſed multis ibi è ſuis amiſſis fœdiorem, quàm anteà, fugam capeſſentes, iterùm in urbem revertuntur. Dion, bis partâ victoriâ, humaniſſimè erga hoſtes, inimicoſque capitales ſe geſſit, qui miſſis, qui cæſorum corpora peterent, nihil negavit; captivoſque omnes citra redemptionem liberos dimiſit. Inde verò Leontinum perveniens, à civibus ſummo honore excipitur: ubi multa apud ſocios de ſuorum injuria, atque ingratitudine queſtus eſt. Leontini per Legatos à Syracuſanis militum ſtipendia, ut æquum erat, poſcunt. Quibus illi militibus, & Dioni ob varias rationes fidei nihil deberi reſpondent: ac demùm ſociorum decreto, ut res apud Leontinos diſcutiatur, ſtatutum eſt. Ubi auditis partibus quæ jam ibi convenerant, contra Syracuſanos judicatum eſt. Illi verò, qui inſolentiæ, ob ſervitutis jugum excuſſum magis, magiſque in dies incumbebant, judicium ſubire noluerunt. *Dion Leontinum recedit.*

Intereà Dionyſius ratus (quod & evenerat) milites qui erant in arce, annonæ caritate premi, veritusque ne ob id deditionem facerent, Nypſium Neapolitanum virum prudentia, & fortitudine inſignem cum aliquot navibus commeatu onuſtis è Locris Syracuſas ad obſeſſos in arcem miſit. Sed illo navigante, arcis milites ſpei omnis, atque expectationis ignari, fame pulſi ſequenti die, & arcem, & ſeipſos Syracuſanis dedere ſtatuerant. Illuceſcente igitur jam ab arce ad populum milites, qui deditionis pacta firmarent, ibant: cum Nypſius inexpectatus cum claſſe ab arce conſpectus eſt. Portum ingreſſus circa Arethuſam naves applicat: frumenta, & ſummam rerum omnium abundantiam Dionyſianis in arcem exponit, atque ita arx jam propè deſperata ex inſperato, militibus inopia levatis firmata eſt. Syracuſani ejus adventu ira commoti, eductis triremibus, (Nypſio adhuc cum militibus in arce agente) in ejus claſſem irruunt. Quo prælio Nypſii aliquot naves naufragio perierunt, quatuor captæ, cæteræ ſunt fugatæ. Ea victoria cives nimis elati ab excubiis ad convivia continua genium ſimul, menteſque convertere: utpotè qui jam hoſtibus penitùs devictis, nihil ſibi ampliùs metuendum eſſe arbitrabantur. *Nypſius à Dionyſio miſſus ſuis auxiliatum.*

Quo cognito, Nypſius, copiis noctu expeditis, oppoſitas arci munitiones cum ſuis furtim aſcendit, perfractiſque muris, trucidatiſque cuſtodibus, quos temulentos, ac ſomno ſopitos offenderat, reſeratis portis totum exercitum, qui ad decem millia peditum erat, in urbem introduxit. Syracuſani hoſtium ingreſſu experrecti, alii à menſis, alii à ſomno in ſubſidium accurrunt. Sed cùm vino languerent, vel trucidati, vel in fugam verſi, repentino caſu conſternati ſunt. Incompoſiti itaque ipſi & ſine Duce, hoſtium verò ordinatæ acie dimicantium impetus ſuſtinere non poterant. Dionyſiani porrò occupato foro, in domos irruunt, cuncta diripiunt, opes prædantur, fœminas & pueros captivos cum ejulatu in arcem ducunt. Diffugerant complures in angiportus, & vias quaſdam: ubi magna etiam cum eorum cæde dimicabatur; & noctu quidem hæc omnia geſta ſunt, & propterea quanta hominum facta fuerit ſtrages, nonniſi illuceſcente dignoſci potuit. Jamque Acradinæ propinquum erat diſcrimen. Quo Syracuſani animadverſo, ea omnia ob ingratitudinem in Dionem exercitam pati ſe intelligentes, vocandum Dionem, & ex Leontinis accerſendos Peloponnenſes milites ſeria omnium voce conclama- *Syracuſanos aggreditur.*

clamatum eſt. Proindè ad eos mittunt ex ſociis Archonidem, & Teleſidem, ex equeſtri verò ordine Hellanicum.

Dion in patriam revocatur.

Miſſi concitato curſu Leontinum profecti, coram Dione obortis procidere lachrymis, & mox patriæ calamitatem, ac diſcrimen exponunt, cujus ſi miſerendum ſtatueret, ad eam ſublevandam cum Peloponnenſibus ut feſtinet, orant. Dioni & pietas, & legationis novitas lacyrymas quoquè excuſſit: ita ut vocem etiam præ ſingultibus aliquandiu teneret. Mox tamen ut ex affectu paululùm ſe recepit, nihil indignationis in cives oſtendens, milites ſuos ad patriam liberandam paucis hortatus eſt. Subindè per eoſdem Legatos Syracuſanis, ut ſeſe omnes ad bellum noctu dum hoſtes quieſcerent, pareant, imperat. Intereà Dionyſiani, poſtquàm & eo die pluribus cladibus urbem affeciſſent, paucis ſuorum amiſſis, in arcem ſe retulere. Quo viſo, Dionis oſores, reſumptis animis, & per ſe urbem, libertatemque tueri confiſi, cives, ut Dionem omittant, hortantur, atque effecere, ut Præfecti rursùm, qui eum ab itinere retinerent, à populo remitterentur: at contra equites, civeſque, ut maturaret iter inſtabant. Ea ratione Dion ſerò ſimul, ac per otium proficiſcens adveniebat. Quem noctu æmuli ut adventantem excluderent, urbis portas tenebant.

Nypſius denuò in urbem irruit.

Dum ita inteſtinis hiſce diſſidiis ſtudent Syracuſani, Nypſius ex arce longè plures, promptioreſque ſtipendiarios milites emittens totum muri circuitum demolitus eſt, urbemque percurrens diripit universa: cæduntur non modò viri, ſed mulieres quoque, ac pueri non pauci. Magna cunctorum ſtrages, magnæ direptiones, magna incendia tota urbe per domos agitabantur. Qui per vias profugiebant, necabantur; qui domos introibant, igne compulſi aut erumpebant, aut incendio ſuffocabantur. Dionyſius namque deſperatis rebus tantum in Syracuſanos odium conceperat, ut cum Principatu ſuo Nypſio ſimul & urbem tumulare præceperit. Ea calamitas pluſquàm miſerabilis univerſam urbem, & Dionis etiam inimicos tetigit. Quamobrem illuceſcente prodeuntes aliquot equites, & complures Dionis adverſarii, ac Heraclidis frater, & Theodotus avunculus ab Heraclide miſſi ſupplices Dioni in itinere obviam occurrentes magnis cum precibus, ut captæ rurſus urbi, & propè everſæ, ac concrematæ, priuſquàm penitùs collabatur, quàm celerrimè auxilietur, orant. Aberat tum à portis urbis undecim paſſuum millibus, nec jam pedetentim, ſed maturato itinere Syracuſas cum exercitu perrexit. Cumque ad Hexapilon perveniſſet; ibi luſtratis ordinibus progredi cœpit. Cui mulierum, puerorum, ſenumque plus minus decem millium ab urbe ſugientium ſortem & urbis, & ſuam deplorantium turba occurrit. Quos ut vidit, tum pietate accenſus, tum militum ſtrenuitate fretus per portas in urbis regionem, quam Hecatompedon appellabant, irrupit, continuòque levis armaturæ equites in hoſtes immiſit: reliquos munitos armis, confluenteſque promiſcuè ad ſe cives per turmas, Præfectoſque diſpartiebatur, ut multis ſimul in locis terribiliorem ſe hoſtibus inferret, atque ita in hoſtes nil tale metuentes, ut qui concremandis laribus, & auferenda raptim præda adhuc deſtinebantur, incompoſitique per urbem diſcurrebant, multis ex partibus repentinus irruit.

Dion hoſtibus occurrit eoſque fugat.

Dionyſiani ſubito ejus adventu perculſi animis conſternantur, paſſimque trucidantur. Ipſe porrò Dion per cruorem, per ignem,

per

per cadavera primus inibat, primus diſcrimen obibat; ingens namque ab igne periculum milites turbabat, infeſtumque faciebat iter. *Periculis ſeſe opponit.* Ædiumque ruinæ, fervida permeantia rudera, & collabentia murorum fragmenta, fumus præterea ſimul & pulvis ne continuatæ incederent acies, impediebant. Ut verò ſeſe hoſtibus immiſcuerunt, pauci cum paucis ob locorum anguſtias, difficultateſque comminùs pugnam conſerunt. Cecidere ex eo prælio ex Dionyſianis ad quatuor millia. Tum Nypſius vi compulſus cum reliquis repetita fuga in arcem ſeſe recipit, obſtructiſque portis imminentem cladem evitat. Dion hac victoria fœlix ſine mora curavit, ut incendia, quibus pleræque adhuc domus conflagrabant, coercerentur. Juſſit quoque, ut quàm primùm munitionibus reficiendis incumberetur, ne ab arce in urbem excurrere poſſent. Deinde expurgatis locis omnibus, quæ interfectorum cadaveribus patebant, trophæum erexit; & Diis more gentium ſacra perſolvit. *Victor trophæum erigit.* Populus verò, & Heraclides, ac Theodotus, inimici quoque ejus eum patriæ liberatorem ſalutant: Imperatorem etiam ſibi deligunt, & ut animum ejus maximo officio demererentur, divinos illi honores decernunt. Ille ut ubique ſe magnanimum oſtenderet, inimicis quàm benigniſſimè indulſit. Heraclidem inſuper amore præcipuo (claſſis præfectura ei populo conſentiente reſtituta) complexus eſt: populumque univerſum ad concordiam ſervandam cohortatus eſt. Divinos ſibi honores decretos reſpuit; cæſos ſepulturæ dedit; & captivos ad duo prope millia ſolvit. Ad murum, quem arci circumdederat, vallum adjecit, & tranſverſis etiam trabibus arcem ambivit. Quibus meritis diu in publico ſervator patriæ cognominatus eſt.

Cæterum cum pulſo Dionyſio, domos, agroſque viritim populus diviſiſſet, eaque decretis etiam firmaſſet; Dion huic diſtributioni adverſatus, plebeſcitis reſciſſis, nova jam lege immutavit. Eo facto indignatus populus novum in eum odium ſuſcepit. Heraclides, qui in ea lege populo favebat, occaſione conſiderata, confeſtim milites, & nautas Meſſanam cautè abduxit, eoſque ibi contra Dionem, veluti ad Regnum inhiantem in ſeditionem pertraxit, atque intereà cum Dionyſio per Pharacem Spartanum ejus exercitus Ducem pacta tranſigebat. *Civium animos offendit Heraclidis opera.* Erat is eo tempore cum caſtris non longè ab Agrigentinorum agris: ubi qui Dionyſii adhuc partibus adhærebant, in fide continebat. Dion licèt cum eo manus conſerere percuperet: rem tamen ad tempus magis opportunum differebat: quippè quòd relinquere eo tempore urbem, quæ inteſtinis ſeditionibus flagraret, expediens non arbitrabatur. Sed Heraclides, qui toto huc incubebat animo, ut pulſo Dione Syracuſas ipſe teneret; per ſuos divulgavit, eum idcircò cum Pharace certamen procraſtinare, quo perpetuum penes ſe teneret Imperium. Quibus rumoribus excitus Dion, magna cum Syracuſanorum manu contra Pharacem contendit.

Conferto prælio Dion ſuperatus, dum iteratò inſtructis copiis redintegrare pugnam conſtituit, longèque à Syracuſis bello incumbit: *Cum Pharace infeliciter pugnat.* Heraclides Syracuſas invadendi tempus adeſſe ratus Meſſana cum ſua claſſe ſolvens illuc navigat: eo animo, ut capta urbe Dionem excludat. Dion ubi hæc per certum indicium cognovit, confeſtim robuſtiſſimis, iiſque expeditiſſimis militibus ante Syracuſarum portas ſtetit. Heraclides licèt cum claſſe celerrimo contendiſſet curſu; poſterior tamen Dione Syracuſas venit. Qui ubi ſe præventum cogno-

vit:

Digitized by Google

vit: reflexo curſu littoralia invaſit. At inter navigandum ex improviſo Geſylus & ipſe Spartanus, qui à Lacedæmoniis cum claſſe miſſus, ut Gylippus olim ad Syracuſas liberandas, tuendaſque adnavigabat, ei occurrit, quem, quo ſibi contra Dionem auxilio eſſet, quàm benigniſſimè receptum præmiſſo præcone Syracuſanis, ut Præfectum ſuſcipiant, imperat. Cui ſatis Præfectorum Syracuſis eſſe a Dione reſponſum. eſt. Quòd ſi fortè res Syracuſanæ Spartano Duce indigerent, Spartanum jam civem ſe factum eſſe etiam adjicit. Geſylus horum viſâ controverſiâ, præfecturâ omiſſâ, ad Dionem navigat. A quo magnificè receptus Heraclidem ei etiam juramento conciliat. Syracuſani his ſucceſſibus læti claſſem, quæ ingentium impenſarum, & magnarum inter Principes ſæpe ſeditionum cauſas ſuppeditabat, cum nihil eis amplius pro tempore opus eſſet, diſſolvunt, ac deinde totis viribus ad obſidendam arcem convertuntur, circumſeptumque murum exædificant.

Geſylus Spartan. Dioni adhæret.

Apollocrates Dionyſii filius, quem pater arci in ſua fuga præfecerat, cum fortè annona deficeret, & ſuppetias nullas ſperaret, & milites in fide titubantes videret, deſperatis rebus, præſenti fortunæ conſulens arcem Dioni tradidit; & ipſe liber cum ſororibus, ac triremibus quindecim regiâ gazâ onuſtis Syracuſis diſceſſit, & ad Dionyſium patrem Locros navigavit. Ad quod ſpectaculum tota civitas indicto feſto confluxerat; quippe quòd ex diuturnis tenebris eo demum die Syracuſis ſol per libertatem exoriri eis viſus eſt. Dion verò ad arcem tendit, cujus ingreſſum Areta coniux, & Ariſtomache ſoror cum Hipparino filio ad fores prævenere. Quas benigniſſimè, nec ſine lacrymis complexus, arcem Syracuſanis tradidit, atque ipſe in paternam domum cum ſuis reverſus privatam vitam inſtituit. Hæc modeſtia majorem ſamam non ſolùm inter ſuos, ſed totà etiam Græciâ, magnaque Italiæ parte conſlavit, operamque deinceps dedit, ut præſens urbis ſtatus optimè juxta Platonis placita inſtitueretur.

Arx Syracuſanis redditur.

Dion uti privatus vivit.

Sed dum his incumbit, Heraclides rurſum ei opponitur, ipſumque variis actionibus impetit, quòd arcem non eſſet demolitus, quòd Dionyſii ſepulchrum non everterit, quòd illius cadaver non disjecerit, prout populus expetiverat, quòd conſiliarios ex Corintho advocarit, quòd cives dedignetur habere collegas, quòd demum Principatum affectaret. Nam Heraclides non minus valebat apud optimates, quorum conſenſu claſſi fuerat prælatus, quàm Dion, qui peditatui præerat. Non tulit hæc Dion æquo animo: ſed verſum Homeri retuliſſe fertur: Non poſſe benè regi Rempublicam multorum imperiis. Quo dicto, magna invidia, ſuſpicioque Dionem eſt conſecuta; quippe quòd eo ambitionem, affectationemque Imperii ipſe declarare videretur. Eam porro non obſequiis lenire Dion ſtuduit, ſed acerbitate opprimere. Nam Heraclidem, quem aliàs a cæde ſervaverat, ut turbulentum, ſeditioſumque civem ad cædem depopoſcit. (8) Cives, petitione Dionis audita, ſtatim Heraclidis domum conſentiente Dione irrumpunt, eumque interimunt. Dion ut authorem ſceleris minimè fuiſſe ſe oſtenderet, ei magnificè parentandum curavit, juſtaque ei, exercitu funus comitante perſolvit. Diſplicuit Syracuſanis vehementer ejus mors, omneſque non dolore modò, ſed & timore perculſit. Dion verò, adverſario remoto, licentioſiùs Principatu fungebatur, eorumque bona, quos ſciebat contra

Heraclides occiditur.

tra ſe ſenſiſſe, militibus diſpertiebat. (9) Quibus moribus & optimatibus, & militibus quoque inviſus redditur. Plebs etiam citatis vocibus Tyrannum non ferendum conclamare cepit. Inter hæc horrendum ei ſuæ mortis oſtentum apparuit. Sedebat prima nocte in cubiculo ſolus, ubi tùm repente ex ea parte ædium, quę contra cubiculum erat, ſtrepitus ingens ejus aures perculit. Unde & mulieris ſimulacrum ſtatura enormi nihil a tragico cultu diverſum ei oblatum eſt, quæ ſcopis pavimentum verrebat. Quo aſpectu perculſus accitos amicos orat, ut ſecum pernoctent, ne rurſus phantaſma oculis obverſatum eum exanimaret.

Prodigia Dionis mortem præcedunt.

Erat eo tempore Calippus Athenienſis inter Duces inſignis, qui ex Peloponneſo cum Dione (ut diximus) ad Syracuſas liberandas venerat, vir callidus, vafri ingenii, & ſine ulla religione, ac fide. Is cum præſtantiſſimos Dionis ſocios bello abſumptos, Heraclidem quoque occiſum, & Dionem ob Heraclidis necem populo inviſum, & militum animos ad ſe tranſlatos videret, ad Siciliæ imperium invadendum animum adjecit. In quo inſtituto cum ſolum Dionem formidaret, in ejus necem conſpirat. Quam ut cautiùs perpetrare poſſet, ipſum Dionem adit, eum in magno eſſe periculo propter optimatum, & plebis odium aperit; & niſi virum ſolertem habeat, qui, ſimulatâ ejus inimicitiâ, cum æmulis ſe ingerat, & eorum animos, tractatuſque indagando perſcrutetur, præcaveatque, eum proculdubio interfectum iri. Probavit ejus conſilium Dion, eique ipſe illud negotium committit. Qui recepta cum ejus æmulis converſandi poteſtate, Zacynthios quoſdam ſibi adſciſcit, cum quibus pacta viginti talentorum mercede, in caput Dionis conſpirat. Quem ut Syracuſanis magis ſuſpectum redderet, falsò ſpargebat in vulgus, Dionem, quòd filiis eſſet orbatus, Apollocratem Dionyſii filium, qui uxoris ejus ex fratre nepos erat, ad ſe vocatum Imperii Syracuſani hæredem inſtituiſſe.

Calippus Dioni inſidiatur.

Calippi hæc conjuratio multis cognita ad Ariſtomachen ſororem, uxoremque ejus Aretam pervenit. Quæ timore perculſæ Dionem monent, ut caveat. Ille negat ſibi parari inſidias, ſed quæ gerebantur, ejus juſſu fieri dicit. Mulieres nondum ſedato hoc reſponſo animo ipſum Calippum adeunt, objurgant. Qui re negata conſtantiſſimè quid tractatum ſit, ut ſervetur Dion, non ut perimatur, actum affirmat. Illæ neque timori, quo plenus eſt fœmineus animus, hac quidem exceptione depoſito, ut ſecuræ omnino redderentur, Calippum in templum Proſerpinæ ducunt, ac jurare nihil ab illo periculi fore Dioni, compellunt. Qui cum nec religionem, nec fidem vereretur, hoc ſacramento non modò non eſt deterritus, ſed ad facinus maturandum potius concitatus: quippe quòd timeret, ne antequam voto potitus eſſet, conſilium detegeretur. Calippus itaque conjuratis munitiora loca tradidit, domum cuſtodibus circumſepſit, a foribus qui non diſcederent, conſtituit, triremem parat, ut ſi conſiliis fortuna obſtitiſſet, haberet quò confugeret ad ſalutem.

Ut a Calippo caveat Dion, monetur.

Poſt hæc ſtatuto Proſerpinæ die in Dionis domum, quò e civium conventu jam ſe receperat, Zacynthii abſque mucronibus inermes veluti conveniendi ejus gratia ingrediuntur, Dionem in cubiculo nil tale metuentem manibus invadunt, ſuffocare nituntur. Quod ubi non ſucceſſit, gladium expoſcunt, quem eis Lycon Syracuſanus conjuratorum unus, qui foris cum cæteris aſtabat, per

A conjuratis obtruncatur.

fenc-

feneſtras ſtatim projicit, quo ipſum pavitantem, veluti ante aras viĉtimam interficerent, annos tum natum quinqagintaquinque, quarto poſt Syracuſas in libertatem reſtitutas anno. Ejus cædis rumorè per urbem delato, plebs omnis eò viſendi gratià convolavit, cujus mortui aſpectus omnium ſub tò voluntates ab odio in lacrymas, deſideriumque immutavit; & qui viventem paulò ante Tyrannum vocitarant, eumdem tunc patriæ liberatorem, & tyranni expulſorem cognoverunt. Porro Calippus cæſo Dione Syracuſas urbem per vim tyrannide oppreſſit, Dioniſque gravidam uxorem unà cum ſorore conjecit in carcerem. Quæ cum partus inſtaret, in vinculis peperit maſculum. Eas poſtea Icetes Syracuſanus Dionis amicus e carcere ſolutas benignè ſuſcepit. Quas tamen a Dionis hoſtibus poſtea inductus, ſimulato earum in Peloponneſum trajectu, inter navigandum unà cum infante necari, & in pelagus projici juſſit. Calippus Syracuſis oppreſſis, ad ſubigendam ſibi Catanam perrexit. Quam dum oppugnat, Syracuſas amiſit. Nam Syracuſani eo abſente in libertatem nullo obſiſtente ſeſe vendicarunt. Receptà Catanâ, & ſubactà, Calippus Meſſanam eſt adortus, quam licèt invaſerit, maximam tamen militum partem, & Dionis interfectores amiſit. Et cum totà ferme Sicilià diſcurrens nullam civitatem cepiſſet, trajecto freto Rhegium occupat. Ubi cum præ inopia ſtipendia militibus ſolvere nequiſſet, a Leptino, & Poliperconte, eodem, quo & Dion, pugione occiſus, cædis immeritæ meritas tandem pœnas dedit. (10)

Ejus mors ſummo luctu excepta.

Calipp. Syracuſ. opprimit.

Rhegii occiditur.

1. HÆc prima Syracuſanorum in Dionyſium conſpiratio nec Diodoro, nec Plutarcho memoratur. Unde Fazellus eam eruerit mihi omnino incompertum. Quæ ſubdit de legatione ad cives, deque eruptione in illos, & geſtis utrinque prœliis, videntur cum illis congruere a Diodoro recitatis, ubi Dionis ac ſociorum in Tyrannum conſpirationem exponit lib. XVI. neque a Plutarchi verbis diſſentiunt in Dionis vita. Profugit a Dione exactus Dionyſius in Italiam, atque ad Locrenſes ſanguinis neceſſitudine ſibi conjunctos, ut qui ex Dorida Locrenſi matre natus erat, evaſit, Apollocrate filio ad arcis cuſtodiam relicto. Ex Locris enim Nyphium navibus, ac milite inſtructum ad res ſuas apud Syracuſas tuendas, & filio auxiliatum miſit, uti claris verbis Diodorus enarrat. Verùm ſi Locrenſes offenderat, impiiſque facinoribus ſibi infenſos reddiderat, quo pacto ad eos ſecundò remeaſſet? Rurſus ex Plutarcho habemus: Apollocratem matre, ſororibuſque receptis quinis onuſtis triremibus ad Patrem navigaſſe, tutò illum emittente Dione; quæ illis omnino adverſantur a Fazello relatis ex Strabone lib. 6. de Uxore, & filiis Dionyſii a Locrenſibus crudeliſſima morte enectis. Rejicienda idcirco dixerim, quæ hic enarrantur, poſt Tyranni, Dionis opera, ejectionem. Semel quippe Syracuſas ille rediit, bis deturbatus, & exul ſecundò Corinthi conſenuit, ac deceſſit.

2. Naxum excidit Dionyſius major, hujus nempe Pater; uti in ſuperioribus dictum. In Tauro monte diu ante mortales conſiderant, & Tauromenium urbem idem Dionyſius pace cum Pœnis firmata ſibi vindicavit, Siculiſque ejectis, novos in eam colonos induxit. Andromacus hinc Timæi Hiſtorici pater, Tauromenii minime conditor, quod perperam videtur Diodorus ipſe ſibi contrarius vulgare, ſed Inſtaurator ſummùm aut novæ coloniæ Ductor dicendus. Malè hine veteris hujus urbis ſub Dionyſio minori conſignantur initia; quum & ſub Dionyſio Patre, immo & Pithagoræ, ac Phalaridis ævo extiterit.

Cata-

3. Catapultæ inventionem Dionyſio Patri omnino adſcribit Diodorus lib. 13. circa finem.

4. Dionyſii etiam Patris id fuiſſe effactum memorant, uti in illius vita ſuperiùs ſcriptum; Verùm congruè magis filium ea protuliſſe Platonis imbutum præceptis putaverim.

5. Diodorus lib. xvɪ. Dionem voluntariè in exilium fratre comite ſeceſſiſſe tradit, ubi ſplendidiſſimè vixit.

6. *Nullum in Sicilia*, inquit Cluverius lib. 2. cap. 10. *alii cuiquam memoratum eſt opidum Medina. At Dionem iter feciſſe ab Agrigento per Acras ſupra a Plutarcho didicimus. Hinc quia Diodorus Camerinenſes cum adſumpſiſſe teſtatur in tranſitu ; per Camerinam quoque iter eum egiſſe haud dubium eſt. Poſt Camerinenſes, quum ipſe Diodorus dicat, eum aſſumpſiſſe illos, qui in vulgatis ejus exemplaribus leguntur Medinæi, nullos alios hos fuiſſe judico, quàm Mutycenſes, pro quo vocabulo corruptum illud ſuppoſitum.*

7. Corruptum quoque nomen *Matras* apud Plutarchum idem Cluverius docet, & *Acras* ſubſtituendum cenſet. Acra opidum in finibus Syracuſanis, de quo Decade prima diximus, hodie Palatiolum ex Fazello, ſed juxta Cluverium ibidem haud longè a Neto ſitum, ubi Ciſtercienſe Cœnobium S. Mariæ de Arco.

8. Plutarchus Dionem in Heraclidis mortem conſenſiſſe tradit, minimè verò eum ad cedem popoſciſſe. *Cogitabat illum populi dominatum inhibere, ac Laconicum, & Cretenſe quoddam genus permiſcens ex populari, & regio optimatum regimen inſtituere. Quum igitur his adverſaturum conſiliis Heraclidem expectaret, alias quidem ad res turbulentum hominem, ſeditioſum, & permutationis avidum, quod diutius impedierat, eo tempore necare volentibus aſſenſus eſt.*

9. Nullibi hæc me legere memini; nec enim Diodorus talia habet, minus verò Plutarchus; Quin Tyrannidis omnino oſorem Dionem hic perpetuò affirmat, Heraclidiſque mortem, cui nonniſi conſenſum prebuit, adeo illius percuiſſe animum, ſcribit, & exinde ſomnos duceret inquietos; quod ab omni invadendæ tyrannidis cogitatione alienum arguit.

10. Calippum Dionis interfectorem per menſes tredecim adminiſtraſſe rempublicam Diodorus lib. 16. tradit; Dioniſque amicos contra illum ſeditionem excitaſſe, qui profligati ad Leontinos fugerunt. Aliquanto poſt Hipparinum Dionyſii fratrem cum armata claſſe Syracuſas appulſum, Calippum prœlio victum in fugam egiſſe; Regnum paternum a ſe vindicatum per duos annos tenuiſſe ſcribit. Sed hæc alibi non leguntur.

DE DIONYSII JUNIORIS AD PRINCIPATUM RESTITUTIONE, ET TIMOLEONTE TYRANNIDIS EXTINCTORE.

CAPUT TERTIUM.

Libertas Syracuſanis parta.

POſt Dionis interitum inſurgentibus ad libertatem contra Calippum qui cum Dione ſenſerant, manſit per annos ferme ſex nonnihil immunitatis, libertatiſque Syracuſis. Sed tot poſtea clades, ac varii rerum caſus Siciliam afflixerunt, ut parum abſuerit, quin urbs ipſa penitus deſereretur. (1) Reliquæ etiam civitates turbulentæ, vel a potentioribus, vel a barbaris facilè occupabantur, aliæ aliis caſibus afflictæ. Dum in hoc ſtatu ſeditionum res Siculæ laborarent, Dionyſius repetendi regni occaſionem nactus, ex mercenariis militibus reſtaurato exercitu, decimo poſt Principatum amiſſum anno Syracuſas ex inopinato adortus, Nyſeo tunc Reipublicæ miniſtro ſine negotio pulſo, urbem rurſus tyrannide ſibi ſubegit. Enimvero cum omni metu civitas videretur erepta, repente hoſtiles Dionyſii copiæ cum exulibus quibuſdam, quos ad ſocietatem Rex coegerat, ad urbem occupandam adventarunt. Ubi ſine periculo per Acradinæ muros illapſi refractâ proximâ portâ aditum equitibus patefecerunt. Ad horum ingreſſum clamor ſublatus per urbem diffunditur, itur ad arma, concurritur adverſus hoſtes, ac paſſim tota urbe prælia conſeruntur. At cives trepidi nec quid agere, nec ubi conſiſtere deberent, nec quomodo tantis viribus reſiſti poſſet, prævidentes, migrandi aliqui conſilium ceperunt, aliqui congrediendi; quos ita diſtractos in medio urbis hoſtes hinc inde oppreſſere, tandemque ipſis ſuperatis, & Nyſeo fugam capeſſente, urbs capitur, contrariæ factionis capita trucidantur. Mirum profecto Dioni obtigerat: Dionyſium e tyrannide tunc omnium Tyrannorum maximum expuliſſe. At multò mirabilius modo exulem *Dionyſium* paucis cum copiis tyrannidem pleno jure recepiſſe. (2)

Dionyſ. Tyrannidē denuo invadit.

Cives paſſim opprimit.

Porro Syracuſani in urbe ſubacti eò ſævius a Dionyſio opprimebantur, quò nuper exilium, cladeſque ingentes animum illius acerbiùs exaſperaverant. Jamque omni domeſticorum ſpe deſtituti optimates, cæterique omnes genere clari, quos jam ſervitutis pertæſum erat, urbe dilapſi ad Icetem Leontinorum tyrannum, qui & ipſe Syracuſanus erat, ſupplices confugiunt, ac eum ut patriæ jam in præceps iterum lapſæ ſuccurrat, ducem ſibi deligunt. Sub idem præterea tempus Carthaginenſes quoque ad occupandam Siciliam totis animis intenti, centum & quinquaginta triremes, peditumque quinquaginta millia, præter hæc bigarum, curruum, armorum, telorum, ac machinarum ad expugnandas urbes multa millia, commeatum denique, & aliarum rerum, quæ bello ſunt uſui, copiam ingentem paraverant. Cum quibus omnibus eo conſilio Dux Hannon cum plena Præfectura Siciliam pervenerat, jamque non longè a Syracuſis erat. Tot igitur calamitatibus Syracuſani oppreſſi, conſilii prope inopes per legatos Corinthum (quòd coloni Corinthiorum

Carthaginenſ. in Sicilia.

Digitized by Google

orum eſſent, & ad Archiam primordia referrent) pro auxilio ſolicitant.

Corinthii & ut cognatis opitularentur, & quòd libertatis amatores ſemper extiterant, pro qua in Græcia bella ingentia geſſerant, ſuppetias Syracuſanis ferre decreverunt. Igitur Timoleontem Corinthium Ducem, & rei militaris peritiâ, & bonis artibus præſtantiſſimum ad tantam molem deligunt. Erat is patre Timaneto, quem Timodinum Plutarchus appellat, & matre Demariſtia clariſſimis parentibus ortus, qui patriam a Timophanis fratris natu maximi tyrannide oppreſſam, fratrem in publico foro trucidans, liberaverat. Dum igitur Timoleon & copias inſtruit, & ad profectionem ſe parat, mirum ei prodigium obtigit. Nam cum ſuperſtitiosè in Delphis Apollinem conſuleret, ab anathematis in templo affixis ex alto in caput ejus corona aurea adeo aptè concidit, ac ſi ei ex induſtria fuiſſet impoſita; quo omine ex demandato ſibi bello victoriam pollicebatur. Naviganti quoque ei in Siciliam noctu fax ardens in cœlo præluxit, donec ad Rhegium perveniſſet. Priùs etiam antequam Corintho ſolveret, Cererem, & Proſerpinam vidiſſe, ac Sacerdotibus ſuis in ſomnis aſtantes pollicitas fuiſſe cum Timoleonte ſeſe in Siciliam navigaturas, memoriæ proditum eſt. *Timoleon ad Syracuſ. liberationem properat.*

Interea Icetes Leontinorum Princeps, ad quem Syracuſani ſupplices confugerant, ad imperium Syracuſarum aſpirans, primùm cum Carthaginenſibus ad Dionyſii principatum evertendum ſocietatem ſecretò iniit; deinde per literas Corinthios a ſuppetiis ferendis, Duceque mittendo conatur avertere, multum periculi adeſſe ſignificans, ſi eam expeditionem aggrederentur, Carthaginenſibus longè latèque jam Siciliam occupantibus. Scripſit eiſdem quoque ſe vel ob eam cauſam dediſſe operam, ut ſociæ civitates contra Carthaginenſes Dionyſio jungerentur. Spretæ a Corinthiis cum earum authore hæ literæ a claſſis tranſmiſſione Corinthios avertere non potuerunt; quinimo majori, quàm antea, ſtudio rebus ad bellum neceſſariis incumbere, & Timoleontem expedire properarunt. Icetes interea ubi Corinthiorum claſſem adventare omnino in Siciliam cognovit, veritus ne ad ſuam ambitionem ei impedimento forent, Carthaginenſium triremibus acceſſitis, ac terreſtri valido exercitu Syracuſas contra Dionyſium ex Leontinis contendit. Jamque vallum circa Olympium jecerat, totiſque viribus terrâ, & mari hoſtem oppugnabat. Sed obſidione in longum protractâ, commeatus inopiâ preſſus, inde ſolvere, Leontinoſque repetere compulſus eſt. Dionyſius porrò emiſſis copiis abeuntem inſequitur, ac extremum ejus agmen inceſſit. Quo irritatus Icetes converſus manus cum Tyranno conſeruit. Utrinque acerrimè bellatum. Ubi ad extremum ipſe ſuperior factus, tria armatorum millia ſub Dionyſio merentium cædit; reliquos in fugam convertit, eoſque tanta celeritate inſequitur, ut ſimul cum fugientibus in urbem irruperit. Ita mira felicitate tota Syracuſarum urbe, exceptâ inſulâ, atque arce, parvo negotio potitus, urbem muro & foſſâ circumdedit, fugatumque Dionyſium in arce & inſula terrâ & mari obſidet. *Icetes Timoleonti adverſatur.* *Syracuſ. obſidet, ac feliciter pugnat.*

Dum hæc Syracuſis geruntur, Carthaginenſes primam expeditionem contra Entellienſes ſuſceperunt, eorum agris primùm populati, mox ad oppidum obſidendum properant. (a) Tenebant Entellam Campani, qui magno hoſtium numero perterriti, ab urbibus Car- *Pœni contra Entellam.*

Carthaginenſibus inimicis, per legatos auxilia petunt. Ex quibus ſoli Galerienſes (cæteris omnibus ſocietatem detrectantibus) mille armatos miſerunt. Qui a Pœnis in itinere circumventi omnes trucidati ſunt. Campani quoque, qui Ennam tenebant, comparata auxilia Entellam, utpote ad gentem cognatam mittere decreverant. Sed Galerienſium clade perculſi ab incepto deſtiterunt. Quocirca Entellenſes omni deſtituti ſubſidio, tametſi urbem naturâ munitam, & in colle edito, ac undique prærupto ſitam incolerent, deditionem fecere. Carthaginenſes iis initiis proſperè geſtis, veriti ne a Corinthiis ab incepto impedirentur, legatos cum triremibus viginti ad Timoleontem precatum miſerunt, ut remiſſis Corinthum navibus, ipſe ſe Iceti, qui jam in curſu eſſet victoriæ, ſocium adjungeret. Interea Timoleon decem cum triremibus Corintho ſolverat, & Jonio mari emenſo, tribus diebus poſt captas ab Icete Syracuſas Rhegium appulerat, ubi cum non longè ab oppido copias in terram ad corpora curanda vix expoſuiſſet, Carthaginenſium legati ei ſuorum mandata pertulere. Qui cum videret longè plurimas naves Carthaginenſibus, Iceti verò multò majores copias, quàm ſibi eſſe, & ab incepto opere pedem referre ſibi decorum non eſſe, ac nullo eorum, quæ moliebatur, facto indicio, legatis ſimulato ore, ſatis benignè, & ad vota reſpondit. Mox ab illis ſeſe ſurripiens navim aſcendit, & quàm ocyſſimè in Siciliam provehitur. Quem cum legati ita deluſi abeuntem inſequerentur, ipſe majori curſu progreſſus, nocte ſuperveniente, tenebris maximum ſibi auxilium præbente, citra offenſam Taurominium tenuit.

Pœni Entellâ expugnant.

Timoleon in Siciliâ ſe traſfert.

Præerat illi oppido tum Andromachus Timæi hiſtorici pater Syracuſanæ libertatis ſtudioſus, & Tyrannis infenſiſſimus, qui ſummo humanitatis officio Timoleontem, ſuoſque omnes excepit, eiſque ſuum oppidum, tanquam aſylum obtulit. Deinde & cives ſuos, ut pro Siciliæ libertate Corinthiis ſocios ſe adjungerent, hortatus eſt. Carthaginenſes, eo fœdere percepto graviter offenſi per Legatos Andromacho crudeliſſima quæque minantur. Quibus ſubridens Andromachus, ni inde citiùs una cum navi abſceſſiſſent, igne abſumendos comminatus eſt. Interea per vicinas urbes Timoleontis ad Tyrannidem extinguendam adventu divulgato, ob copiarum paucitatem, qui vix mille erant milites, Carthaginenſium verò contra exercitus immenſus, claſſis ingens, & Icetis copiæ innumeræ, quæ jam in victoriæ curſu erant, parum fidei, minuſque ſpei ad libertatem adipiſcendam eſt aſſecutus. Cui etiam & Calippi, Pharacidſque, quorum alter ex Athenis, alter ex Sparta pro libertate fruſtrà in Siciliam nuper venerant, recens memoria non parum authoritatis detraxit. Sed egregium illud facinus, quod pro patriæ libertate contra fratrem Timoleon geſſerat, tum ejus in rebus gerendis prudentia ſimul, & rei militaris præſtantia, benevolentia denique, & comitas, quam omnibus æquè exhibebat, fiduciam Siculis, tametſi exilem, libertatis potiundæ exhibebat.

Taurominii excipitur.

Dum in hac animorum perplexitate eſſent Siculi, Icetes delectis quinque armatorum millibus contra Adranitas, qui ſuas partes detrectaverant, profectus eſt. Adranitæ hoſtem contra ſe armata manu progredientem cùm vidiſſent, Timoleontis adventu cognito, eum per Legatos ad auxilium evocant. Qui, legatione benignè audita, trecentis ſupra mille ſecum militibus confeſtim aſſumptis, ex Tauromenio,

Icetes cont. Adranû movet.

nio; ubi adhuc agebat, Adranum, quod quadraginta ferè paſſuum millibus ab eo diſtat, petit. Primo die non multum itineris confecit: proximo per loca aſpera, utpote combuſtas Ætnæ montis radices iter ingreſſus, toto die progrediens, contigit, ut uno, eodemque fermè tempore & ipſe, & Acetes Adranum appropinquarent. Icetes non longè ab oppido caſtrametatus, militibus reficiendis corporibus vacare conceſſit. Timoleon ubi Icetem cum exercitu prandentem accepit, hoſtes incautos, laboreque feſſos invadere ſtatuit. Quare promptioribus ad pugnam militibus ſelectis tanquam manifeſtè victoriam præſagiret, primus ad hoſtes contendit, eoſque invadit. Quem milites ſecuti in hoſtes & ipſi ruunt, eoſque repentino adventu turbatos in fugam vertunt, trecentis cæſis, ſexcentiſque unà cum illorum caſtris in captivitatem adductis. Hac victoria læti Adranitæ apertis portis Timoleontem mira gratulatione, honoreque excipiunt; illique victoriæ illius præſagium ab ſe antè notatum hujuſcemodi enarrant. Viderant namque, oſtiis templi ultrò recluſis, Adranum, quem deum falſo errore ducti arbitrabantur, pili cuſpidem concuſſiſſe, ſudoremque novum facie exalaſſe. Quod oſtentum ſuſcepit inſana turba non modò in peractæ pugnæ, ſed futurarum etiam rerum omnium fauſtiſſimum omen. *Quem Timoleon invadit & fugat.*

Fuit ea victoria Timoleonti ad res benè gerendas initium ſatis opportunum. Enimverò Tyndaritani, & plures Siciliæ populi, qui adhuc ſub Tyrannide vivebant, eo fœlici ſucceſſu divulgato, per Legatos & ipſi auxilium ab eo ad Tyrannorum profligationem imploravere: quin & aliquot civitates decretis legationibus ei ſeſe, urbes, agroſque ſuos ultrò dederunt. Timoleon, ut gratum ſe omnibus pro accepta victoria præſtaret, Adrano Deo more gentis ſacra facit. Sed dum cæremoniis intendit: duo ad eum occidendum ab Icete milites miſſi ruſticos mentiti ad aras aſtitere. Quorum alter gladio extracto, ſocium Ducis peremit, ac fuga celeri ad petram altiſſimam ibi vicinam evaſit. Alter, dum Timoleontem occiſurus, aram amplectitur, capitur, captuſque, ut ſibi rem omnem detecturo parcatur, orat. Data fide, ſe ab Icete ad Timoleontem interficiendum miſſos fatetur. Timoleon, & ei, & capto etiam, qui in petram aſcenderat, condonavit: quòd is, qui ab eo occiſus fuerat, patrem apud Leontinos necaverat. Atque ita peracta re divina ereptus periculo Adranitis, Tyndaritaniſque ſimul, & ſuorum militum manu aſſumptis, confeſtim Syracuſas properat: miraque celeritate iter totum emenſus Tycham ex improviſo adortus nullo labore capit. Tum repentè ingens intra Syracuſas tumultus fit, cùm tres jam principes viri diverſa urbis loca occuparent. Inſulam, & Arcem Dionyſius: Acradinam & Neapolim Icetes, & Tycham Timoleon. *Tyndarides, aliique Timoleonti adhærent.* *Illi Icetes inſidias tendit incaſſum.*

Porrò ſub hæc victoriæ initia, inopinata & quæ nullo conſilio parari poterat, proſpera rerum ſucceſſio Timoleonti obvenit. Primùm vulgata ejus victoria Mamercus Catanæ Tyrannus vir militia, & opibus inſignis, cuique tum & theſauri parati, & magnæ militum copiæ ſuppetebant, cum Timoleonte ultrò ſocietatem iniit: eique argentum, quo ſtipendia exercitui ſolveret, obtulit. Atque ipſe etiam in Tyrannidis everſionem cum eo enixè cuncta moliebatur. A Corinthiis præterea naves alias decem militibus, auroque onuſtas non ita multo pòſt accepit. Quibus omnibus animo elatus, ad Dionyſium expugnandum ſe accinxit. Quod antequàm aggrederetur, *Mamercus Timol. adhæret.*

Digitized by Google

retur, per Legatos ei perſuaſit, uti arce tradita, & Principatu relicto in Peloponneſum cum omni ſua pecunia ex compoſito tranſiret. Dionyſius incredibilem Timoleontis rerum ſucceſſum admiratus, & ſibi nullam evadendi ſpem ſupereſſe videns continuò (mirum dictu) ſeipſum, arcem, regiam omnem, ac regnum nobiliſſimum victori quinquageſimo, poſtquàm Siciliam ille applicuerat, die, tradidit. Timoleon, aſſumptis ſecum Euclyde, & Telemacho Corinthiis, ſimul & quadringentis militibus arcem à Dionyſio recepit. In qua præter regiam ſupellectilem, quæ immenſi erat pretii, tantam armorum vim ibi congeſtam reperit, ut ſeptuaginta hominum millia inde ad bellum ſatis commodè inſtrui poſſent. Equorum inſuper, telorum, ac machinarum ingentem numerum, & militum plus minus duo millia. Dionyſium deinde regno privatum, quod decem ante Dionem, & duodecim poſteà crudeliter occuparat, annos, cum una navi, in quam omnem ſuam pecuniam convehebat, Corinthum in exilium anno mundi 4860 tranſmiſit: ut & Corinthii Tyrannidis ab eo extinctæ belluam immanem conſpicerent.

Dionyſius Timol. ſe tradit.

Corinthum in exilium abit.

Pepercit autem Dionyſio Timoleon, cum ad necem uſque ſævire poſſet, duas præſertim ob cauſas, tum quòd Corinthii utriuſque Dionyſii operas utiles aliquandò experti eſſent, tum quòd clementiæ, quàm ſævitiæ memoria ſe digniorem arbitraretur. Ita Dionyſius, qui quadringentas anteà triremes habuerat, in puſilla arctus navicula ex Syracuſis, ubi paulò antè in majeſtatis ſolio ſulſerat, Corinthum ſolvit. Admirandum ſanè fortunæ ſpectaculum. Ad quod viſendum Syracuſani fermè omnes, viri, mulieres, ſenes, puerique quotquot in magna illa urbe tunc erant, laribus relictis concurrere: alii priſtinæ fortunæ celebritatem, plures privatum odium ſecuti, ut veterem ſuperbiam privato exprobrarent. Multi fortunæ miſerabile propè mancipium contumelioſo cum ludibrio intuiti condolebant. Scribit Plinius eo die, quo Dionyſius tyrannide eſt exutus, mare in portu Syracuſano edulcuiſſe. Abeuntem eum cum plerique interrogaſſent: quid ſibi Plato, ejuſque, quam didicerat, philoſophia profuiſſet; reſpondiſſe ferunt: Ut has fortunæ mutationes ferre poſſem. Interrogatus quoque quonam modo cùm ejus pater Syracuſanus civis, egenus, & privatus Tyrannidem ſibi paraviſſet: ipſe Regis filius Regnum adamante revinctum amiſerit: reſpondit. Patrem regnum ſibi tradidiſſe, non fortunam. Corinthum cùm appuliſſet: nemo fuit etiam ex Græcis, qui diverſa ratione inductus videndi illum, & alloquendi ſtudio non teneretur. Ubi cùm ageret, ſaniori ductus conſilio, nil, niſi quod humillimum eſſet, tutum arbitratus eſt. Idcircò in ſordidiſſimum vitæ genus abiit. Inter lixas namque, & Lenones in popinis, & fornacibus veſte obſoleta contectus reſidebat. Noviſſimè ſe ludi magiſtrum profeſſus in trivio docebat. Inter has tamen ſimulationum artes ter affectatæ tyrannidis à Corinthiis eſt inſimulatus. Poſtremò miſeria extrema ductus, obſcurè adeò interiit, ut incertum ſit, an apud Corinthum naturalem, an verò in Siciliam reverſus coactam mortem obierit.

Ejus memorabile reſponſum.

Corinthi ſordidè vivit.

Corinthii felicem Timoleontis, feſtinamque fortunam, ac victoriam admirati, majori armatorum coacta manu peditum millia duo, equites ducentos in Siciliam ei tranſmiſere. Icetes poſt hæc, qui Acradinam & Neapolim adhuc tenebat, cum Carthaginenſibus confœderatus, arcem, quæ Dionyſio pulſo in Corinthiorum poteſta-

Icetes arcem Syracuſ. obſidet.

tem

tem venerat, terra, & mari oppugnare conſtituit. Quocirca Carthaginenſium centum & quinquaginta triremes Duce Magone in portum magnum ad ſe pertraxit. Deinde ſexaginta armatorum millibus in urbem introductis, magnis viribus arcem obſedit. Timoleon intereà cymbis, & naviculis per loca ſtagnoſa occultè ne ab hoſtium triremibus interciperentur, ſuis præſidiis in arcem ex Catana commeatum convehebat. Quo exploratо, Icetes, & Mago Catanam ex improviſo invadere ſtatuunt. Sumptis igitur ſecum præſtantiſſimis quibuſque militibus, ſolutiſque ex portu triremibus Syracuſis eo inſtituto exceſſit. Quod ubi Neon Corinthius, qui Syracuſanæ arcis Præfectus erat, reſcivit, hoſteſque ab excubiis urbem tenere animadverteret, ſuorum manu educta repentè in Acradinam ex inopinato irruunt, quam, hoſtibus partim cæſis, partim fugatis, occupatam in ſuam poteſtatem redigit; eamque, quòd & eſſet arci conjuncta, & cæteris urbis partibus munitior, necnon commeatu, aliiſque ad bellum neceſſariis referta, muro, & præſidio munivit. *Catanam occupare ſtatuit*

Icetes, & Mago, qui juxta Catanam erant, ubi per certum nuntium, & captam Acradinam, & claſſem Corinthiorum propediem cum nova militum manu adventuram audiſſent, aliquot triremes ad intercipiendam hoſtium claſſem emiſerunt. Mox ipſi, Catana relicta, Syracuſas cum copiis ſunt regreſſi. Sed dum ipſi prope Syracuſas caſtrametantur, claſſis Corinthiaca cum duobus armatorum millibus, & ducentis equitibus Rhegium applicat. Quibus Timoleon adauctus relicto Syracuſis præſidio, Meſſanam urbem, quæ Carthaginenſibus etiam parebat, terra, marique adortus, parvo labore adeptus eſt. Mago dum circa Syracuſas expugnandas tempus terere ſe videt, ad fallendum Corinthios, qui in ea erant, novum conſilium comminiſcitur. Nautas ſuos omnes coronis induit, rubriſque ſcutis, ac Corinthiorum inſigni triremes extrinſecus ornat. Subindè Syracuſas adnavigans, portum magnum maximo plauſu ingreditur, ac ſi claſſem Corinthiacam, quam obſervabat, intercepiſſet; ut ſic Corinthii animo dejecti ad deditionem inducerentur. Sed Corinthii, qui Pœnorum artes exploratas habebant, & à mœnibus, & ab arce eos cachinnis, & contumeliis inceſſebant. *Timoleon Meſſanam expugnat.* *Magonis Pœni aſtutia detecta.*

Intereà Timoleon, capta Meſſana, fortunæ ſucceſsibus magis, quàm viribus fictus, cum quatuor armatorum millibus parvifaciens quadraginta hominum millia, quos Mago ſub ſignis habebat, Syracuſas ad ſuis auxiliandum confidentiſsimè properat. Mago ubi tantam animi virtutem conſpicit, ſuſpicatus Timoleontem cum Icete clam fœdus (ad eum intercipiendum) iniiſſe, & ſibi inter Græcorum medio paratas inſidias, præſertim quòd id, ex quibuſdam ſignis notaſſet, Icete cum tota claſſe, copiiſque omnibus Syracuſis relictis, in Libyam contendit. Icetes etſi Carthaginenſium claſſe eſſet deſtitutus, animo tamen non dejicitur. Sed cùm Neapoli adhuc potiretur, de capiendis reliquis urbis partibus ſpem ſibi, animumque facit. Timoleon contrà, Magonis diſceſſu cognito, milites, quos præſtantiores habebat, dividit, ac Neapolim aggredi ſtatuit. Igitur ad Anapum fluvium ſtationes ponit; deinde & præſidiares Acradinæ cohortes, quarum Niſias Corinthius erat Dux, inde egredi jubet. Tertiam verò militum partem, quos Demachus, atque Demarathus Corinthii noviſſimè cum claſſe nova Corintho advexerant, ad vertices direxit, atque ita Neapolim tribus ex locis adoritur, quam *Timoleon Neapolim aggreditur*

faciſi inſultu ex caſtris Icetis militibus ad eum transfugientibus capit, atque in poteſtatem ſuam, nemine ſuorum aut cæſo, aut ſaucio redigit, Icete ad Leontinos profugiente. Ita tota Syracuſarum urbs a Timoleonte capitur; Mira ſanè, & celerrima fuit hæc Timoleontis victoria, qui intra quinquageſimum diem, quo ex Corintho Siciliam applicuit, tota Syracuſarum urbe potitus eſt.

Arcē Syracuſ evertit.

Porro Timoleon his rebus fœliciter geſtis, Arcem urbis Syracuſanæ, ſitus præſtantiâ, pulchritudine, & ſtructuræ magnificentiâ toto ferè orbe celebrem, veluti Tyrannorum aſylum, ac ſedem, ſingulari animi magnitudine in ſignum recuperatæ libertatis unà cum tyrannorum ſepulchris, ac palatio, publicè per preconem ad id accitis civibus, quò omnis Tyrannorum memoria aboliretur, funditùs demolitus eſt. Gelonis autem ſtatuam ob id, quòd Carthaginenſes ad Himeram urbem viciſſet, populique ſemper fuiſſet ſtudioſus, ne illius, ejuſque beneficiorum memoria excideret, Senatus, populique decreto ſervavit incolumem; deinde civibus libertatem reddidit: populare regimen tyrannide præſtantius inſtituit.

Syracuſar. leges corrigit.

Poſtea leges, quas a Diocle conſcriptas hactenus Syracuſani ſervaverant, corrigere aggreſſus, quæ ad rerum privatarum contractus, teſtamentaque pertinebant, inviolata reliquit. Sed quæ Rempublicam decernebant, ad regimen populare immutando tranſtulit, authoreſque & cenſores earum legum Cephalum, & Dionyſium Corinthios doctrinâ, & prudentiâ inſignes elegit.

Jovis Olympii Famulatū inſtituit.

Inſtituit præterea annuum magiſtratum honorificentiſſimum, quem Jovis Olympii famulatum appellavit. Callimeneſque primus omnium Olympii Jovis famulus ſuffragiis eſt electus. Duravitque is Jovis famulatus in ea urbe annos ſupra trecentos, quouſque captis a Romanis Syracuſis abolitus eſt. Et quoniam Tyrannorum ſævitiâ, variiſque bellorum cladibus Syracuſæ continuò afflictæ adeo ingentem vaſtitatem contraxerant, ut forum ipſum ob ſolitudinem in ſylvam concretum læta jam brutis pabula præberet, & pro mœnibus urbis homines venarentur, prout & in cæteris Siciliæ urbibus, cervos, aproſque habitaſſe memoriæ traditum eſt; Corinthii, petentibus Timoleonte, & Syracuſanis, decem hominum milia tum ex Siculis, quos Dionyſii Tyranni, ceteræque calamitates in Græciam

Exules Syracuſas reduxit.

fecerant extorres, tum ex Græcia reliqua, & Aſia collecta ad incolendum Syracuſas tranſmiſere. Quò & ipſe Timoleon ex Sicilia, Italiaque vicina ſexaginta hominum miliâ domibus, & agris liberaliter donatos habitatum pertraxit.

His ritè conſtitutis, reliquas Siciliæ urbes ſub Tyrannis adhuc preſſas in libertatem vendicare properat. Ac primùm contra Leontinum, quo Icetes juſto cum exercitu ſeceſſerat, caſtra movit; ſtatimque eam urbis partem, quam novam urbem appellabant, aggreſſus, cum ibi eſſet præſidium, & ad mœnium propugnationem ſatis

Tyrannos per Siciliā exterminat.

idoneum, ab incepto deſiſtere coactus eſt. Unde ad Engium urbem tranſivit, quæ Leptini Tyranno parebat, qui & Apolloniam cum pleriſque aliis finitimis oppidis occupaverat. Is porro licèt principio belli æquis propè viribus, & acerrimè obſiſteret, ingraveſcente tamen bello, deditionem facere cogitur. Quem Timoleon Corinthum in exilium aſportari juſſit, ut eo pacto Græci devictorum Tyrannorum pulchro fruerentur ſpectaculo. Capto Engio, Apolloniatæ etiam ſe dedidere. Quibus Timoleon utriſque libertatem, ut ſuis

vi-

viverent legibus, conceſſit. Potitus eſt præterea Entella urbe, in qua quindecim primores cives, qui Carthaginenſium partes acriter tutabantur, trucidavit; cæteros autem & urbe ipſa, & libertate donavit. Interea cum rei pecuniariæ laboraret inopiâ, jamque militum, quibus multa ſtipendia debebantur, ſeditiones timeret, armatorum pubem ſelectiſſimam ſub Demarcho, atque Demaratho in Carthaginenſium civitates ad incurſiones, populationeſque faciendas emiſit. Qui latiſſimam eorum regionem, ut injunctum erat, populati, egregiam inde rerum omnium prædam Timoleonti apportaverunt, ex qua militibus multi temporis ſtipes perſolvit. Hac rerum fœliciter geſtarum fama excitæ Græcæ in Sicilia civitates libertatis quoque expectatione ultro omnes Timoleonti ſe tradiderunt. Siculorum præterea, Sicanorum, & aliarum gentium civitates a Carthaginenſibus ſubjugatæ, amicitiam ab eo, ſocietatemque per legatos petiere. Qui benignè omnes in fœdus recipiens, libertatem quoque eis præſtabat. *Pœnorū agros populatur.* *Siculos, & Sicanos in ſocietatē excipit.*

Interea Carthaginenſes cum parum ſtrenuè res Siciliæ a Magone adminiſtratas vidiſſent, corpus ejus, qui per deſperationem ſibimet vim intulerat, cruci primùm affigunt; mox ex Afris, Gallis, Hiſpanis, & Liguribus ad ſeptuaginta milia exercitu comparato, ducentiſque triremibus inſtructis, & mille præterea navibus frumento, machinis, curribus, rerumque cæterarum copiâ onuſtis, Annibalem, atque Bomilcarem Duces in Siciliam cum mandatis tranſmittunt, ut omnes Græcos ſubactâ provinciâ inde pellant. Timoleon licèt non ita magnum militum numerum haberet, cognito tantæ claſſis, tantarumque copiarum in Siciliam trajectu, nihil animo perturbatus eſt. Sed cum contra Icetem adhuc pugnaret, pace cum eo firmata, auxilia quoque ejus obtinuit, quibus non parùm auctus, ad bellum ſe parat, atque in Carthaginenſium Siciliæ provincia, quæ hodie vallis Mazaræ dicitur, diſtatque a Syracuſis centum & ſexaginta ferme paſſuum milibus, bellum transferre pro conſulto habuit; quo & urbium ſociarum agros immunes ſervaret, & eodem tempore hoſtiles vaſtarentur. *Pœnorū copiæ in Sicilia.* *Contra Pœnos ducit.*

Cæterùm Syracuſani, militeſque audito Carthaginenſium numero adeo perculſi ſunt, ut mille ex eis, qui cum quatuor aliis milibus ſub Timoleonte ſtipendia merebant, inter eundum ſeceſſerint: Timoleontem mente captum edicentes, quòd cum quinque peditum milibus, & equitum ſolis mille contra ſeptuaginta hoſtium milia dimicare auderet, abducto etiam longè a Syracuſis exercitu; unde nec ſuppetiarum indigentibus ſuccurſus, nec fugientibus ſalus, nec denique morientibus ſepeliendi facultas expectari poſſet. Ipſe verò his pro nihilo habitis, comparatas ex auxiliis omnibus, & mercenariis ſuas omnes copias, quæ ad duodecim armatorum milia cenſebantur, ad concionem vocat. Ubi eos (oratione habita) ad bellum, & ad victoriæ communionem hortatur, eoſdem ipſos eſſe, qui & paulò ante contra quadraginta Carthaginenſium milia egreſſi acie vicerant, & Dionyſium, Icetem, Leptinem etiam, ac Syracuſas, Catanam, Meſſanam, & cæteras ferme omnes hoſtium urbes expugnaverant, in memoriam revocans. Carthaginenſes præterea eos eſſe, qui paulò ante fœdè fugati fuerant, ac victi, victoriam denique non in multitudine, ſed qualitate, ac fortitudine conſiſtere multis edocens. *Suos ad pugnā incendit.*

Excepta eſt a militibus ejus oratio magnis animis, atque acclamationibus, qui omnes contra barbaros ſtatim progrediendum eſſe conclamabant. Atque ita explicatis ſignis, iter ingreſſi, vix in Agrigentinum agum pervenerant, cum tumultus, ſeditioque magna in eorum caſtris, nulla hoſtium apparente ſuſpicione, repente exorta eſt. Erat in exercitu miles unus Thraſius nomine, vir temeritatis incredibilis, & ad omne facinus promptus. Is milites ad defectionem ſolicitare cœpit, Timoleontem inſanum dictitans, qui ad certiſſimam cædem ſuos duceret milites; quippe quòd Carthaginenſes copiarum numero ſexcuplo, & omni denique apparatu bellico ſint ſuperiores. Id autem nihil aliud eſſe, quàm militum ſuorum animas in periculum conjicere, ne ſtipendia longi temporis mortuis illis perſolveret. Proinde ut Syracuſas reverſi debitum expoſcerent, ſuaſit. Verba hæc multorum animos commoverant, & jam ſeditio inter milites inchoata mille ex eis viros ad ſequendum Thraſium retraxit. Timoleon magnâ prudentiâ reliquorum tumultum ſedavit, & per literas primùm miniſtris, quos Syracuſis habebat, ſcripſit, ut perſolutis ſtipendiis milites contumaces cum Thraſio benignè reciperent, ſeditionum authores in tempus aliud puniendos differens. Deinde ſedatos blanda, longaque oratione a tumultu, reliquos ad veterem erga ſe benevolentiam, animique promptitudinem revocavit.

Thraſius ab eo diſcedit.

Tumultuarios Timoleō compeſcit.

Poſt hæc cum cognoviſſet, Carthaginenſes ad Crinifium flumen propediem venturos, in colle fluvio prominenti, unde hoſtes videre poſſet, caſtrametatus eſt. Ubi cum Græci in ſtationibus eſſent, viatores fortè multi eis occurrerunt, qui jumentis magnam apiorum vim ad thoros extruendos portabant. Quæ viſio Græcos non mediocriter perterruit; conjectantes quòd apium ob id, quod ſepulchris defunctorum in Græcia ſolet affigi, mortem eis portenderet. At Timoleon in contrarium trahens, victoriæ id omen eſt interpetatus: quòd victores Iſthmiacis apud Corinthum ludis coronâ ex apio contextâ capite redimerentur. Itaque ſtatim in vectores irruens coronam ex apio contextam capiti ſibi impoſuit, idque ut omnes ſuo exemplo milites facerent, perſuaſit. Cujus interpretationem lætis animis milites exceptam quaſi indubitatam vincendi ſortem pari mentium alacritate præſumunt; quos eò audaciæ portentum ipſum provehebat, ut jam ſibi victoriam ante oculos proponentes, abſque reſpectu periculorum certatim in prælium proſilirent. Ita Timoleon, firmatis ſuorum animis, aciem inſtruit, ac ut ex colle flumen ab alto conſpiciant, edocet.

Ex apio coronas ſibi cōtexit

Poſtridie Carthaginenſes ad fluvium trajecturi ab occidente appellunt, jamque æſtivum erat ſolſtitium, quo craſſior ſub auroram maximè nebuloſa, tanta aeris denſitas regionem, & flumen obtexit, ut neque ex clivo ſuperiori, ubi erat Timoleon, neque per emiſſos ad flumen equites, Græci de hoſtium adventu quicquam præſentire potuerint, ſed tantummodo voces magnæ multitudinis, & ſonitus quidam indiſcretus, atque commixtus de vertice collis a Timoleonte, & Corinthiis audiebatur. Cæterùm nebula ſenſim a locis inferioribus Solis viribus in montium ſummitates elata, fluvius claro undique proſpectu, hoſtiumque trajectus a Timoleonte videri cœpit. Collocaverant Carthaginenſes in prima fronte ad pugnam currus, & milites albis ſcutis candicantes, poſt quos cætera multitudo, flumine trajecto, abſque ordine ſequebatur, & jam hoſtium decem cir-

Pœni Timoleonti occurrūt.

circiter milia fluvium incompoſitè ob feſtinationem trajcerant. Quod cum vidiſſet Timoleon, juſſit Demarato, ut cum equitibus in eos nondum in aciem reductos irrueret. Ipſe verò ex colle in planitiem deſcendens plurimos ſtipendiarios cum Siculis in utroque cornu primùm conſtituit, deinde Syracuſanis, ſuiſque militibus circum undique ſtipatus fixo greſſu, quid Demaratus cum equitatu egiſſet, obſervabat. Cumque Demarathus ob hoſtium currus, qui ante eum diſcurrendo dimicationem impediebant, manus cum hoſtibus conſerere non poſſet, Timoleon cum exercitu, & editiori voce, quam conſueverat, uſus, ut abſque mora in aciem irrumperent, equitibus ſignum dedit. Cornua extra ordinem curruum contra Carthaginenſes irruere jubet. Ipſe collectis propugnatoribus in pugnam quoque ſuccedit. Hoſtes quoniam thoracibus ferreis, galeis æreis, ingentibuſque ſcutis protecti jaculorum inſultus facilè rejiciebant; primo congreſſu viribus æquis, animiſque reſtitere, jaculaque reſiliebant. Sed poſtquam bellum comminus gladiis geri ceptum eſt, ubi non minùs ingenio, quàm corporis viribus eſt opus; confertis manibus Græci magna Carthaginenſium facta cæde, reliquiſque, qui jam flumen trajecerant, in fugam verſis, ſuperiores fiunt.

In eos incompoſitos irruit Timoleon.

Atq. in fugam verſos fundit.

Sed interea reliquæ omnes hoſtium copiæ flumine tranſmiſſo, Corinthiorum impetum facilè repreſſerunt, prælioque inſtaurato, Græcos turbare incipiunt. Sed tum repente imber & vehemens, & continuus cum fragore ingenti coortus eſt; ſimulque grando, ac vehementiſſima ventorum vis, & nebula ipſa, quæ colles, & montium vertices tegebat, veluti divinitùs miſſa ad locum pugnæ conglomerata ſunt; nimbus denique Corinthios a tergo, Carthaginenſes a fronte, & ob oculos impetebat, quos & delata aſſiduè a nubibus fulgura, & tonitrua miſerè vexabant, feceruntque, ut ipſa ſibi arma ab aqua, & grandine propulſata impedimento eſſent, ne juſſa Ducum vel audire, vel exequi poſſent; veſtimenta quoque ſinuoſa, quibus utebantur, plurimo imbre repleta, dum manus conſerebant, ipſos graves, ineptoſque reddebant; idoneos autem, ut a Corinthiis ſuperarentur. Ad hæc cum cadebant, ex cœno irrelevabiles erant. Nam Criniſus aquarum irruptione cum magnoperè exundaſſet, ob trajicientium multitudinem, aggerem ruperat, & planities, quæ fluvio adjacebat, multis fluvii faucibus concurrentibus aquis, quæ non ſuo ferebantur alveo, lutoque abundabat, a quibus Carthaginenſes involuti vix liberabantur.

Imbres, & grādines contra hoſtes.

Tandem cum inundatio, & aquarum fluctus inſtarent, & prima Corinthiorum acies, quæ ex quadringentis militibus conſtabat, contra Carthaginenſes irrueret, in fugam illi vertuntur. Quorum plerique in planitie obiere. Qui verò ad Criniſium vado, & ripis impeditum, ac aquis tumentem ex fuga, ut trajicerent, pervenerunt, aut profluentis gurgitibus ſunt abſorpti, aut in ipſa cunctatione tranandi amnis, dum alieno periculo humiliora quærunt, perſequentibus Corinthiis miſerabiliter perierunt. Plurimos, qui ad colles ſibi ſalutem quærebant, ab aſcenſu velites prohibebant. Multi conculcati a ſuis, plerique a ſociis ob vadi occupationem confoſſi; plures, Corinthiorum equitatu urgente, cum ad ripam agminatim confluerent, vulneribus a tergo oppreſſi obibant; quamplurimi citra hoſtilem offenſam ſuis ipſi manibus interempti; nonulli etiam metu, & pavore acti cum flumini minimè ſe committere auderent, acervatim dilapſi ſtrue corporum opprimebantur.

Pœnorũ ſtrages, & ingens clades.

De-

Cæſorũ numerus, & captivorum. Denique ex tanto Carthaginenſium numero in hoc bello decem millia ſunt cæſa, inter quos tria ferme millia opibus, dignitate, ac militia inter Carthaginenſes longè principes numerabantur; capti ad quindecim millia. Currus bellici in ipſo certamine diffracti, ducenti tantùm recepti. Jumenta verò, & vehicula cum impedimentis milites ſibi rapuerunt. Armorum magna vis in flumine deperiit. Eorum porro, quæ ſuperfuerant, thoraces mille, ſcuta ferè decem millia ad Timoleontem a ſuis collecta pervenere; quæ partim in Syracuſanis templis dicata fuerunt, partim ſociis auxiliaribus dono data. Plura Corinthum in Neptuni templum ex voto ſunt miſſa. *Spolia, & prædæ.* Tanta verò auri, argentique copia reperta eſt, ut ab iis, qui ſpolia extraxerunt, ærea, atque ferrea ſuppellex parvifieret. Triduum Corinthii in prædæ conquiſitione (adeo fuit ingens) conſumaverunt. Subinde trophæum pro victoria erexerunt, quæ eò fuit admirabilior, quòd eam ſine ullo ſuorum vulnere tam parvus numero exercitus a tanta legione conſecutus eſt. Carthaginenſes, qui tantæ cladi ſuperfuerunt, animo conſternati ad Lilybœum ſeſe contulerunt; nec ſunt auſi naves inſcendere, veriti ne in ipſo mari Libyco quicqam aliud adverſi experirentur. Nuncius tantæ cladis Carthaginem delatus adeo urbem perterruit, ut ipſa ſibi in ea ſtrage corruiſſe ſit viſa. Nam nullo ad id uſque tempus prælio tot viros unà pugnâ amiſerunt ex ſuis, quot in iſta; cum in cæteris bellis mercenario milite plerumque, in hoc verò ſuis tantùm eſſent uſi. (4)

Syracuſas Timoleon victor redit. Timoleon eà victoriâ fęlix mille ſtipendiarios Syracuſas ad prædam deferendam præmiſit, quos ipſe paulò poſt toto cum exercitu ſecutus ingenti cum gratulatione, fauſtiſque ſuorum acclamationibus, tripudiiſque excipitur. Cum aliquantulum quieviſſet, mille milites, qui duce Thraſio in agro Agrigentino defectionem fecerant, Siciliâ ut adſcederent, ſub capitis mulcta præcepit. Qui proximam Brutiorum Italiam petentes, oppidum ibi maritimum cum diripuiſſent, a Brutiis ſuperati ad unum omnes trucidati ſunt. Poſt hæc Timoleon Poſthumium pyratam, qui prætextu amicitiæ duodecim cum biremibus cuncta Syracuſis vicina littoralia prædatus fuerat, captum interemit.

Mamercus, & Icetes contra Timoleontem. Interea Icetes, & Mamercus, qui jam Timoleonti fœdere juncti erant, ſive tam inſigem ei victoriam invidentes, ſive (quod veriſimile videtur) timentes, ne ſuperatis Carthaginenſibus, & ſubactis jam cæteris omnibus Tyrannis, eos quoque tandem armis ſumptis expelleret, clam cum Carthaginenſibus fœdus, ſocietatemque ineunt, eiſque ſuadent, ut novum exercitum in Sicilia reſtaurent, ni vellent & Siciliâ pœnitus exulare, & ad extremum Carthaginem diſcrimen deducere. Qui ita perſuaſi Giſconem Hannonis filium tunc exulantem in patriam revocant, eumque, quòd ſpiritus eſſet ingentis, & rei bellicæ peritiâ polleret, ducem belli conſtituunt, milites exteros, græcoſque conducunt. *Novus Pœnorũ exercitus.* Quos cum ſeptuaginta navibus omni commeatu inſtructis in Siciliam mittunt. Giſco ut primùm in Siciliam pervenit, Meſſanam urbem navigat, primaſque ejus vires unà cum Icete movet, atque oppugnat. Quam initio ſtatim obſidionis in conſpirationem abeuntibus civibus, parvo negotio cepit, eamque trecentis Timoleontis militibus præſidiariis ibi captis, interfectiſque, Hipponi tradidit.

Ti-

Timoleon ubi captam Meſſanam audivit, eò militibus inſtructus proficiſcitur. Sed cum Icetes in Calabriam ad expugnanda quędam oppida trajeciſſet, ejus terga inſequitur, cum quo ad Damiriam fluvium congreſſus ancipiti Marte diu concertat. Ubi tandem ſuperior factus ex hoſtili exercitu mille cadentibus, Icetem ipſum in fugam vertit, qui prolapſus trajecto freto Leontinum venit. Quem Timoleon (omiſsâ pro tempore Meſſanâ) perſecutus, Leontino expugnato, vivum cum filio judicio populi capitis ſupplicio affecit, ac ſepulturæ tradidit. In Enthynum quoque, qui unà cum eodem in ejus manus devenerat, ob contumeliam in Corinthios, quos ad bellum non magis, quàm mulieres aptos in concione vocarat, capitaliter animadvertit. Icetis uxorem, ac filias, eo quòd ipſe Aretam Dionis uxorem, ſororemque Ariſtomachen, ac filium infantem in mare demerſerat, interficiendas Syracuſanis tradidit.

Icetē Timoleō fugat, & ſupplicio afficit.

Porro iis geſtis nil ſe feciſſe ratus, ſi Mamercum inultum dimiſiſſet; contra Catanam exercitum movet. Quo cognito Mamercus contractis viribus Timoleonti in campum, qui inter Teriam, & Simæthum fluvios ſitus eſt, occurrit. Ibi ſigno dato prælium ineunt, manus conſerunt; gladiis res geritur. Aliquandiu Mamercus obſtitit: demum amiſſis tribus militum milibus, quos ſibi ex Phœnicibus Giſco auxiliares miſerat, in fugam vertitur, atque ita auxilii, conſiliique inops in Italiam, ut Lucanos in Timoleontem induceret, navigat. Sed qui cum eo Catanenſes profecti ſunt, duce relicto, remenſoque cum triremibus pelago in Siciliam reverſi, Catanam cum omnium civium conſenſu Timoleonti tradunt. Mamercus amiſsâ Catanâ, & Lucanorum auxilio fruſtratus in Meſſanam urbem ad Hipponem confugere cogitur. Quo audito Timoleon copias contra Hipponem movet. Meſſanam terrâ, & mari recenti obſidione tentat. Qua in deſperationem Hippo ductus navem aſcendens, Italiam profugus navigat, ſed a militibus interceptus capitur, & in urbem ducitur, atque unà cum filiis necatur.

Cōtra Mamerchum movet.

Meſſanā obſidet, Hipponē interficit.

Mamercus deſperatâ fugâ hac conditione Timoleonti ſe dedit, ut Syracuſanorum judicio ſiſteretur: ſperabat enim ab illis ad commiſerationem flexis veniam etiam conſequi. Syracuſas adductus cum orationem pro ſe in concione moliretur; populus contra eum tumultu edito non eſſe proditorem audiendum, ſed in ſupplicium raptandum conclamavit. Quod ille animadvertens dolore, ac deſperatione percitus, abjecto pallio per theatrum medium curſu citiſſimo in ſubſellia perductus veluti ibi moriturus caput dabat: ſed a militibus inhibitus paucis poſt diebus pro prædone a legibus indicto pœnæ genere ſuffocatus eſt. Scribit Athanes (referente Plutarcho) Timoleontem dum Meſſanam contra Hipponem, & Mamercum oppugnaret, oculis aliquatenus fuiſſe captum, ſed pedem minimè retuliſſe, quinimo pertinaciter oppugnando tandem & urbem, & tyrannos cepiſſe.

Mamerchus laqueo perit.

Carthaginenſes fœliciſſimum hujuſcemodi victoriarum Timoleontis curſum, quo omnes jam Siciliæ Tyrannos ſubegerat, admirati, veriti etiam ne ad ſuorum in Sicilia provinciam deveniretur: Legatis ad eum primoribus urbis deſtinatis pacem petunt. Quam benignè quidem Timoleon, ſed iis conditionibus conceſſit: ut Græcæ in Sicilia urbes omnes liberæ eſſent. Ut Lycus fluvius, qui Platanis hodie dicitur, Carthaginenſium provinciæ ad occidentem terminus

Timoleon pacē cum Pœnis firmat.

minus

minus ſit; ne Carthaginenſes Tyrannis ſuppetias ferant; & denique qui ex Carthaginenſium provincia Syracuſas tranſmigrare vellent, cum familia, & omni ſuppellectile liberè admitterentur. Hoc fœdere pacis cum Carthaginenſibus icto, Timoleon Campanos, qui Ennam tenebant, interfecit: (4) Nicodemum Centuripis urbis Tyrannum ad libertatem ſuis dandam compulit. Apolloniadem Agyre Principem Tyrannidem deponere coegit. In ſumma Tyrannis omnibus in Sicilia extinctis, civitates omnes liberas fecit. Verùm & eas, quæ bellorum procellis habitatoribus ferè deſertæ jacebant, cultu reddidit frequentiores. Nec Syracuſas modò incolatu reſtauravit, ſed Agyram quoque, quòd ibi ager eſſet latiſſimus, magnaque loci amœnitas, decem incolarum millia tranſcripſit. Agrigentum etiam, & Gelam magnas eo tempore Siciliæ urbes poſt Atticum bellum a Carthaginenſibus depopulatas habitatoribus replevit. Agrigentum a Megero, & Feriſco ex Helica coloniam ducentibus; Gelam verò a Grogo ex Chio colonis ductis. Camerinam quoque multis civibus auxit. Urbium mœnia, ſanaque disjecta refecit. Singulis civitatibus leges tradidit, tantamque pacem & quietem ſubmotis bellis, toti Siciliæ dedit, ut ſingularum urbium verior ipſe, quàm illi, qui ab initio earum fundamenta jecerant, conditor haberetur.

Siculas urbes inſtaurat, ac legibus firmat.

Tum verò a laboribus diuturnis meritam quietem nactus, uxorem ex Corintho ſibi accerſiri curavit, & quod nullo recuſante obtinere poterat, imperium depoſuit; privatamque vitam Syracuſis egit, cui Syracuſani ædes ex publico ædificarunt, agrumque ei donarunt amœniſſimum, quem apud Trimiliam fuiſſe hodie ducta per manus fama Syracuſani prædicant, in quo reliquum vitæ, a civium tumultibus ſeceſſu delecto, inter ruſtria exercitia peregit. Senio verò confectus penitus viſu eſt orbatus. Syracuſani verò non minùs cæcum, quàm videntem coluerunt, in dieſque ad eum confluentes, patrem patriæ, liberatoremque ſalutabant; quin & hoſpites, advenasque ad eum pro miraculo rerùm geſtarum viſendum educebant, eoque eis placebat magis, quòd apud ſe diem ſuum obire deleverit. Mirèque eum extollebant, quòd ſplendidos, claroſque triumphi apparatus, quos ſibi in ſuo reditu Corinthii, cæterique Græci pro rerum geſtarum gloria pluſquam promerita præparaverant, Syracuſanorum conſuetudini poſthabuerit. Ipſi præterea cum de rebus magnis concilium habebant, Timoleontem cæcum etiam convocabant. Qui cum per forum lecticâ perferretur, in tranſitu a populo lætiſſimis acclamationibus Patris patriæ nomine ſalutabatur: dictâque in publico ſua de rebus conſultandis ſententiâ, rurſus per theatrum a miniſtris domum deportatus cum iiſdem vocibus, & plauſu ab omnibus dimittebatur.

Imperium depoſuit, & privatus vivit.

A Syracuſanis colitur.

In hujuſce fœlici ſenio, paternâ reverentiâ a Syracuſanis habitus diem ſuum anno octavo libertatis reſtitutæ obivit. Syracuſani diem funeris protracto, ut debitæ pararentur exequiæ, & ut finitimis ad ſpectaculum, funeriſque frequentiam veniendi daretur facultas, atratos de more juvenes feretro ſubegere. Qui per regiam Dionyſii eo tempore ſolo adæquatam progreſſi multis virorum, ac mulierum millibus, & præeuntibus, & ſequentibus, ſpectaculum nullo celebritatis genere inferius exhibuere. Senatus prætcrea, populuſque, ac tota civitas lachrymis, planctu, luctuque Timoleontem proſequebantur, patrem patriæ, benefactorem, præſtantiſſimum libertatis reſtitutorem, Tyrannidis ex-

Felix tandem ſenio confectus obit.

extinctorem, ac beatum, fœlicemque, ingeminatis laudibus etiam in cœlum ipſum efferebant. Expenſæ verò in funus ducentæ minæ ſunt computatæ. Proinde ubi cadaver rogo injectum eſt, collapſiſque deinde cineribus flamma quievit; Demetrius, qui ea tempeſtate facundiâ, ac magnitudine vocis cæteris præſtabat, cum funebri oratione, populi Syracuſani decretum etiam promulgavit: Ut ſingulis annis perpetuò Timoleontis memoria muſico, equeſtri, & gymnico certamine celebraretur; quòd Barbaros in Sicilia Carthaginenſes debellaſſet; quòd maximas Siciliæ urbes populi frequentiâ repleviſſet, atque reſtauraſſet; quòdque demum libertatem extinctis Tyrannis reſtituiſſet. Præconio edito ſepulchrum in foro ſtruunt. Ejus aream magna porticu circumdant, palæſtras ædificant, gymnaſium extruunt, quod Timoleontis nomine appellant, atque quotannis ludos in eo loco in ejus, & patriæ liberatæ memoriam inſtituunt.

Ejus funus ſplēdidè curatur.

1 QUi fuerint hiſce temporibus varii caſus per Siciliam apud veteres minimè leguntur; Tyrannos nihilominus ſingulis penè urbibus oppreſſis, Inſulanos variis cladibus affeciſſe conſtat.

2 Entella vetuſtiſſimum Siciliæ opidum a Campanis per ſummam injuriam, uti vidimus, occupatum ad Trojanos originem refert. Situm idcirco creditur Fazello, & Cluverio non longè a Panormo; quod Decade prima adnotatum. Galaria, ſive Galeria, ubi hodie Galianum, vulgò *Gagliano*, ſtetit juxta eoſdem, loco idcirco longè ab Entella diſſito; facile hinc fuit Pœnis auxiliares Galeriæ copias intercipere, atque ad internicionem delere. Ætnenſes porro, ſive Campanos Ætnam incolentes auxilia etiam Entellanis ſociis decreviſſe ex Diodoro tradit Plutarchus lib. 2. cap. 8. quamvis hos Ennenſes dicat Fazellus ex errore, Ennamque a Campanis occupatam obtrudat.

3 Ex Afria, Gallis, Hiſpanis, & Liguribus delectum habuiſſe Carthaginenſes ad bellum hoc capeſſendum ſuperiùs noſter Author ex Diod. lib. xvi. ſcribit; hic ſibi contrarius ſuis tantùm fuiſſe uſos militibus tradit.

4 Enna rurſus pro Ætna hic apud Fazellum irrepſit, Campanoſque Ennæ incolas obtruſos legimus. Verùm ex ſupradictis Campanos Ætnæ ſibi ſedem ſtatuiſſe conſtat, quos & Timoleon oppreſſit. Poſt Timoleontem Heraclides & Soſiſtratus Rempublicam adminiſtrarunt, quorum res geſtas Diodorus lib. xviii. complexus eſt, ut ipſe ſub initium xix. teſtatur, ſed excidiſſe illas dolemus, etenim eo in libro deſiderantur. Per inſidias poero, & cædes magnaque piacula vitam utrumque exegiſſe memorat, ſed quæ hæc fuerint, ſingillatim alibi ſe dicere ſcribit.

Dionyſium pro recuperata tyrannide donaria ad Delphici numinis templum miſiſſe ex Diodori lib. xvi. colligo. Verba ejus ſunt: *Quum Iphricates* (Athenienſium Dux) *ad Corcyram cum vi claſſaria ſubſiſteret, & Dionyſius Syracuſanorum Princeps tum ſigna ex auro, & ebore fabricata, Olympiam & Delphos tranſmitteret, ille in naves, quæ Dona votiva portabant, fortè fortunâ incidens in poteſtatem redactas Athenas mitteret cum hac ſciſcitatione, quid facto nunc opus eſſet? populuſque contra non ſcrupuloſè Deorum res examinare, ſed quomodo militem alat, providere ipſum juberet. Quod patriæ decretum executus Iphicrates Deorum ornamenta, non ſecus ac quamvis prædam aliam diſtraxit. Unde Tyrannus irâ in Athenienſes commotus his verbis ad illos ſcripſit: Dionyſius Senatui, & populo Athenienſium: Salvere, & rem bene gerere vos, ut ſcribam minimè convenit; quandoquidem ſacrilegia in Deos terra marique perpetratis, quin & ſimulacra, quæ conſecratum Diis miſimus, intercepta, in pecuniæ uſum concidiſtis, qua impietate Deorum maximos Apollinem, & Jovem Olympium violaſtis.*

FR. THOMÆ FAZELLI SICULI,

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE REBUS SICULIS.

Poſterioris Decadis

LIBER QUARTUS.

DE AGATHOCLE SYRACUSARUM REGE.

CAPUT PRIMUM.

Extinctis Tyránis Siciliæ, crevit.

TImoleontis operâ libertate Siciliæ reſtituta, quæ per annos circiter viginti (ut ſupputat Euſebius) duravit; urbes, ac oppida, parvo eo temporis intervallo populi frequentiâ opibus, publicis, privatiſque extructionibus maximè coaluerunt. Siquidem præter privata ædificia, Deorum quoque templa, curiæ, fora, turres, monumenta, Pyramides, theatra, & cætera id genus opera egregio, accuratoque artificio paſſim urbibus acceſſere. Præ cæteris verò, Syracuſanis ex opum abundantia non ſolùm ornatus, ſed & Imperii quoque amplitudo accrevit. At volventibus annis dum externam vim metuunt, in domeſticam incidunt, dilabunturque. Nam anno mundi 4480. Athenis imperante Dimogene, & Romæ L. Potio, & Manio Fulvio Coſſ. Agathocles vir humili loco, & ſordido genere, utpote ignobili, & figulo patre genitus. Syracuſarum urbis Tyrannidem occupavit. Cujus originem paulò altiùs repeti locus expoſtulat.

Carcinus Agathoclis pater.

Carcinus figulina arte vix cognitus Rhegii Brutiorum naſcitur. Is proceſſu ævi ob ſeditionem patriâ pulſus Thermas Siciliæ oppidum in ora Selinuntina ſitum, quod nunc Sacca dicitur, incoluit, quod quidem eo tempore Carthaginenſibus parebat. Ubi uxore, quam ex ea regione duxerat, concipiente, nocturnis ipſe imaginibus frequenter, & ante ſomnum viſis, & in ſomnis occurrentibus, deterrebatur. Quocirca, prout genti moris erat, per Carthaginenſes amicos, qui Naxum ſe conferebant, de prole naſcitura oraculum ſciſcitatur. (1)

De filio vaticinia.

Nuncupatis votis Archagetus Apollo natum iri infantem, a quo Carthaginenſibus, atque univerſæ Siciliæ variæ clades imminerent, vaticinatus eſt. Quod ubi pater reſcivit, editum infantem, ne tandem ipſe oraculi eventu declarato in perduellionis pœnam, quæ equorum ungulis damnatos conculcabat, unà cum uxore, totaque familia incideret, exponere decrevit. Jam enim oraculum per totum oppidum jactabatur. Agathocles itaque puerpera matre in lucem editus ab incunabulis, primiſque infantiæ rudimentis formoſus, cunctiſque dilectus adeo evaſit, ut omnium ſinu jugiter, atque oculis foveretur. Carcinus pater a Carthaginenſibus, quibus ſuberat, exitium veritus, infantem exponendum, ſuffocandumque conductis ad id famulis tradidit. Sed miniſtri ejus pulchritudine in commiſerationem, cædiſque innocuæ formidinem attracti, a ſuffocatione abſtinentes, more gentis dumtaxat eum expoſuerunt. Quo cognito mater noctu filium e vado raptum ad Heraclidem ejus germanum fratrem

Filium infâtê exponit, qui ab Avo educatur.

Digitized by Google

trem clam detulit educandum. Ubi ab avo materno, qui tum adhuc vivis ſupererat, Agathoclis nomen ſortitus eſt.

Infantiam egreſſo, ac creſcente cum annis forma, & robore, Carcinus fortè cum ad Heraclidis ædes ad ſacrificandum Diis invitatus conveniſſet, ſeptem jam annos natus puer ibidem cum aliis coetaneis ludo intentis aderat. Cujus ignarus pater, & decoram faciem, & vires ultra ætatem provectas admiratus, & paterno affectu etiam in ignorantia ſtimulatus, quiſnam, & cujus puer eſſet, percontatus eſt: magnoque ſe illius amore detineri, palamque optare ſe, ut ſuus eſſet filius, quem metu coactus expoſuerat, edixit. Mater ubi ejus deſiderium cognovit, ſtatim: Hic eſt (inquit) filius tuus. Quo dicto, inopinatus parens ingenti affectus lætitia in filii amplexus ruit, oſculiſque delinitum domum recipit. Verùm cum præ recenti adhuc oraculi apud oppidanos, & Carthaginenſes memoria nondum formidinem exuiſſet, ſumptis ſecum uxore, filio, omnique ſupellectili Syracuſas, quòd id temporis lex a Timoleonte promulgata omnibus ex oppidis Carthaginenſibus liberam veniendi poteſtatem conceſſerat, commigravit. Ubi in civium numerum receptus tegulariam exercuit; qua poſtquam filium etiam imbuiſſet, paulò poſt morbo correptus vitâ functus eſt. *Et a Patre cognoſcitur.*

Poſt Carcini mortem cum Agathocles unà cum matre extra Syracuſas ad hortos eſſet, dormiretque, ingens apum examen favum mellis ad os pueri convolans formavit. (2) Quod miraculum cunctis immani ſtupore proſequentibus, conſultus aruſpex eloquii in eo ſuavitatem, & ad Imperium evectionem interpretatus eſt, ad quod his initiis ſanè parum honeſtis contendit. Damas inter Syracuſanos proceres & genere, & opibus princeps vir erat. Is Agathoclem inſigni ejus captus forma ardere, atque miſerrimè deperire cœpit. Cujus libidini obſequentem auro ubertim proſequitur; jamque parvo tempore ex ſtupri cum Damante patientia puer coacervando ditiſſimus evaſit. Ubi verò per ætatem ex ephoebis exceſſit, libidinem a viris ad fœminas tranſtulit; mox eò ſcelerum proceſſit, ut jam utroque ſexu eſſet infamis, cum quo & Damantis uxor in adulterio deprehenſa eſt. Hinc Timæus eum ſcortum promiſcuum impudentiſſimo cuique expoſitum, Triorchem a Triorche ave efferatæ libidinis appellat. (3) Inde ubi primùm per ætatem militiæ aptus fuit; cum & manu promptus, & valde facundus eſſet, Damantis auxilio, gregarius miles efficitur. Primâ militiâ egregia facinora adverſus Ennæos Syracuſanis edidit. Ubi eodem ſuffragante Hecatontarchus, quem Centurionem appellant, factus eſt. Subinde contra Campanos, atque Agrigentinos tantam de ſe ſpem omnibus dedit, ut omnium conſenſu Tribunus militum, quem Græci Chiliarchum vocant, fit inſtitutus. In quibus bellis præclarum ſibi Ducis nomen comparavit; agilis, promptus, & in periculis arduis obeundis ſtrenuus, & intrepidus, atque ita in præliis ſeſe objiciebat, ut ſemper inde cum victoria reverteretur. Cumque milites vel turbatos, vel pavidos conſpiciebat, eos ſuâ facundiâ & firmabat, & audentiores faciebat, ad prædam, & latrocinia avidiſſimos. Hinc eo tempore ob morum ejus affinitatem, quos natura ad furta imbuiſſe videbatur, loquacitatemque, graculum ipſum appellatum ſcribit Timæus. Interea Damante morbo correpto, & tandem abſque liberis defuncto, vix inferiis peractis, uxor ex aſſe hæres, Agathocli, & quòd clandeſtinos an-

Principatus initia impudiciſſima.

Fit Centurio, & Tribunus.

Uxorem ducit nobiliſſimam. antea accubitus cum eo habere conſueviſſet, & quòd nomen ejus militià inclarere cœperat, connubio jungitur. Atque ita Agathocles ex inope dives, ex plebejo nobilis, & figulo Dux, fœlix etiam matrimonio, animum ad majora erexit.

Sub id tempus cum inter Crotoniatas, & Brutios bello exorto, Crotoniatæ inferiores facti a Brutiis dura obſidione premerentur, a Syracuſanis auxilia petentes Heraclidem, & Soſiſtratum duces cum copiis impetrarunt, cum quibus & Agathocles cum Tribunatus munere eſt profectus. (4) At cum Agathocles ſtrenuè cum Brutiis re geſta nomen ſuum propagaret, per invidiam a Soſiſtrato Chiliarchatus dignitate privatus fuit. Qui ſtatim apud Syracuſanos injuſtè militia ſe abdicatum conqueritur, Soſiſtratumque Tyrannidis inſimulat. Syracuſani ſpreto propemodum accuſatore Soſiſtrati cauſæ faverunt. Quod Agathocles ægrè ferens Syracuſis abſceſſit, & in Italiam profectus ad Brutios deſcivit. Cum quibus contra Crotoniatas, eiſque faventes Syracuſanos bellum movit. Sed eo prælio victus, fugatuſque a Tarentinis receptus eſt. Ubi ob ſingularem militaris rei peritiam Præfecturà donatus, cum in rerum novarum ſuſpicionem poſtmodum incidiſſet, dignitatem ſimul cum civitate amiſit. Eodem fermè tempore cum Heraclides, & Soſiſtratus magna militum manu Rhegium oppidum obſiderent, Agathocles veteris injuriæ non immemor, coactis exulibus omnibus, qui per Italiam vagabantur, Rheginis opem tulit, profligatoque Soſiſtrati, & Heraclidis exercitu, confeſtim Syracuſas ad urbem occupandam ſe contulit. Sed qui ex Soſiſtrate erant, cæterique cives fortiter obſiſtentes non ſine multo ſuorum ſanguine irritos ejus conatus effecerunt.

Varia ejus in bellis fortuna.

Contra Syracuſ. pugnat, & fugatur. Deinde cum Syracuſani contra Gelam pugnantea urbem defeciſſent, Agathocles ejus rei certior per emiſſarios factus, mille cum militibus noctu Syracuſas ingreſſus eſt. (5) Sed Soſiſtratini, qui in urbe erant, magna vi ſtatim accurrunt, atque eum extra urbem cum ſuis fugant, fugatoſque inſecuti, ad anguſtiſſimum locum, unde nulla evadendi ſpes apparebat, propellunt. At Agathocles in Syracuſanos verſus, acerrimè contra propugnat, & tandem ſe, ſuoſque a diſcrimine non ſine magno vitæ periculo ſtrenuè liberat. Siquidem inter præliandum ab hoſtibus ſeptem vulneribus confoſſus in terram corruit, adeoque ex ſanguine defluente debilitatus eſt, ut cum fugam arripere non poſſet, a Syracuſanis confeſtim circumdatus parum abfuit, quin in hoſtium manus veniret; calliditate tamen ſua ſe redemit. Nam ſine mora, ſuis ad urbis mœnia ſigna canere jubet. Syracuſani ſigno belli audito, rati novos adveniſſe hoſtes, urbemque invaſiſſe, relicto Agathocle ad urbem tuendam convolant; ita ipſe periculo exemptus in ſpecus cujuſdam ſubtarraneæ cum ſuis militibus primùm latebras, deinde in tutiſſima loca ſe tranſtulit. Ubi graviſſimè ægrotans, ac longo itinere attritus diù conquievit. Syracuſani poſtquam ad mœnia pervenere, ubi ſe deluſos agnoſcunt, ad Agathoclem capiendum redeunt. Quo non reperto, non ſatis conſtitutum habentes quod ſibi capiendum conſilium foret, neque periclitari diutiùs pro eo tutum rati Syracuſas reverſi ſunt.

Ejus calliditas ut evaderet.

Aceſtorid. Tyrannidè abit. Erat eo tempore Syracuſanorum Dux Aceſtorides Corinthius. Is cum Tyrannidem ambiret, multaque pro ea obtinenda tentaſſet, Aga-

Agathocles, hæc cognito, ſpem ſui facinoris accommodam inde ſumens, clam per internuntios cum Syracuſanis conſpirationem pro libertate patriæ contra eum ordinavit. Sed non latuit Aceſtoridem Agathoclis conſilium. Idcirco contra eum, qua urbem ingreſſurus erat, inſidias ponit. Sed Agathocles hæc reſciens, adoleſcentem ætate, & forma ſibi ſimilem armis ſuis indutum, ac ſuo invectum equo, per locum inſidiarum tranſire juſſit; qui pro Agathocle interfectus eſt; ipſe verò ruſticum mentitus per turbas nemini cognitus incolumis Syracuſas pervenit. Ubi paulò poſt cum bis occupare imperium tentaſſet, ſecundò a civibus in exilium actus Murgantinos adiit. Illi cum infenſiſſimi Syracuſanis eſſent, Agathoclem ducem contra eos creant.

Agathocles itaque coacta maxima militum manu urbem Leontinum ex inopinato adoritur, capitque; deinde contra Syracuſas profectus urbem obſidet. Syracuſani neceſſitate premente, exules, qui Soſiſtratinæ factionis erant, in urbem revocant; & cum Carthaginenſibus, eorumque duce Amilcare pacem, ſocietatemque ineunt, atque auxilium implorant. Amilcar depoſito, quo ad id uſque tempus in Syracuſanos atrociſſimè geſſerat, odio hoſtili, ſubſidia eis decernit. Mira rerum viciſſitudo. Uno eodemque tempore Syracuſæ urbs ab hoſte, civili amore defenditur, & a cive hoſtiliter oppugnatur. Itaque Syracuſani & ſociorum, & Pœnorum aucti viribus acertimè obſiſtendo ab incepta oppugnatione Agathoclem dimoverunt. Quod ille animadvertens ad fraudem ſe convertit. Amilcarem per internuntios promiſſionibus non ſolùm ſibi conciliare, ſed occultè etiam ſe in ejus ſocietatem inducere ſtudet; quod ut cum honeſto prætextu impetraret, eum obſecrat, ut pacem inter ſe, & Syracuſanos componat: quippe quòd invitum, & deſperatione, non impietate ductum contra Syracuſas ſe bellum gerere jurejurando affirmaret.

Agathocles contra Leóntinos.

Amilcaris ſocietatè obtinet.

Amilcar, qui toto animo ad occupandàm Carthaginenſibus Siciliam inhiabat, ratus quantò Agathocles Syracuſanis viribus præſtabat, tantò Carthaginenſes majorem ad capeſſendum Siciliæ imperium facultatem habere; ſocietatem cum homine jungit. Pro qua Agathocles expoſitis ignibus cæreis, eiſque digito contactis in obſequia Carthaginenſium jurat. Quibus inter ſe clam firmatis, Amilcar ad concionem Syracuſanos vocat, eos elaborata oratione ad pacem cum Agathocle hortatur; præſertim cum principe viro domeſtico, & potente. Cujus ipſi verbis perſuaſi, pace renovata Agathoclem lætis animis in urbem recipiunt. Urbem ingreſſus cum Senatu, & populo ad Cereris templum perductus more gentis ictis ſacris ſe nunquam amplius Reipublicæ infenſum fore, neque contra eam arma ſumpturum jurat, ac deinceps erga cives comem, mitem, benignumque ſe oſtendebat, populi partes ſemper tuebatur. Qua morum immutatione illecti Syracuſani, quia tum ingenio, lingua, & militia erat inſignis, tum quòd Amilcarem ad id authorem habebant, eum urbis Prætorem ſimul, & Ducem non multò poſt inſtituerunt; prætertim cum eo tempore in plures civium factiones urbe diviſa, plerique ob Tyrannidis ſuſpicionem in exilium abiiſſent.

Syracuſan. conciliatur.

Prætor, & Dux creatus.

Agathocles itaque magiſtratu ſuſcepto, ad Tyrannidem occupandam totus inhiabat, modumque, ac occaſionem quærebat. Ad

quam

Ad quam cum viros quoſdam ſibi adverſantes haberet; eos primùm de medio tollere hac arte pergit. Contra Herbitam civitatem bellum ſe moturum ſimulanter edicit; poſtea Herbitenſes quoſdam patriâ extorres, qui in agro Herbitenſi exercitum habebant, & Morgantinos multos, atque ex finitimis urbibus mercenarios milites delegit. Milites quoque, qui ſecum ſtrenuè contra Carthaginenſes olim pugnaverant, & pluribus ab eo muneribus devincti ad tyrannidem occupandam, defendamque Rempublicam (quòd perpetuò ſubjici populo iniquum ei videbatur) jam ſecum nuper conjuraverant, ad ſe evocavit. Cives præterea, qui paupertate preſſi invidiâ adverſus divites exardebant, ſibi ſocios aſcivit. Ab Amilcare demum quinque Pœnorum millia ad facinoris apparatum accepit.

Ad Tyrãnidē viam parat.

Eos igitur omnes cum Piſarcho, & Decleo, qui conjuratorum multitudini præerant, (6) in urbem reductos, manè ad concionem ad gymnaſium, quod Timoleontis adpellabatur, vocat, facùnda oratione eos contra proceres ſuæ mentis turbatores, eo prætextu irritavit, quòd populi (cujus ipſe ſtudioſiſſimus erat) illi fortunæ inviderent, ac libertati, quam eousque fortiter ipſe tutatus fuerat, & deinceps propter invidorum divitum calumnias, quibus premebatur, deſerere cogeretur. Vix ſoluto concilio indomita militum, populique turba non diutiùs cunctandum, ſed in ſui Ducis hoſtes irruendum conclamans, dato ſigno, concitatoque impetu in ſeditionem vertitur. Urbis Senatum primò; mox primores, ac potentiores exagitant, cœdunt, irruptiſque eorum ædibus prædam exportant. Ita urbs repente tumultu, cæde, populatione repletur; Cujus facinoris ignari complures per inordinatum rumorem e domibus exciti, ut urbi labenti ſuccurrerent, ad vicos, forumque feſtinabant, quos imparatos ſeditioſi milites adorti nullo obviantium, ac ne affinium quidem habito diſcrimine, genus nullum omittentes immanitatis, & injuriarum, trucidabant. Neque enimvero in tanta urbis clade, maxima hominum nece patrata, omnique civitatis loco cadaveribus repleto, quiſquis erat, qui ad tam dirum, & calamitoſum ſpectaculum vel miſeratione commoveretur, vel contrà iret. Portis urbis clauſis qui per eas profugium foras quærebant, capti vel interficiebantur, vel diripiebantur. Plurimi e mœnibus ſeſe extra præcipites dabant, atque ad vicinas urbes fugiendo ſtragem evaſerunt, quorum plerique cum Soſiſtrato apud Agrigentinos benignè ſunt recepti. Initio deinde noctis uxores, virgines, & cæteræ mulieres omnis ignominiæ, atque impudicitiæ dedecore violatæ ſunt.

In cives debacchatur.

Duobus diebus urbe hoc pacto miſerè dilaniata, tertia demum luce eos, qui tantæ cladi ſuperfuerant, Agathocles captos ante ſe adduci fecit. Et Dinocratem quidem propter veteris benevolentiæ nexum liberum dimiſit; cæteros verò vel peremit, vel extorres patriâ fecit. Cæſorum numerus ſupra decem, fugientium verò ad ſex millia fuit. (7) Rerum omnium, ac pecuniarum vis immenſa abducta eſt. Iis immaniter geſtis Agathocles milites, eoſque omnes, qui factioni ſuæ adhæſerant, ad concionem vocavit, quos humaniſſima oratione a tantæ ſævitiæ admiratione abduxit; quippe quòd non aliâ via pervicacibus, & Reipublicæ libertatis perturbatoribus, quàm permiſſa cæde obſtari potuiſſet. Democratiâ, hoc eſt regimine populari, & non oligarchiâ, ideſt paucorum magiſtratu, qui facilè ad

Cæſorũ numerus, & exulũ.

ty-

tyrannidem propenſus eſt, deinceps urbem moderandam ſibi videri edixit. Et pro libertate Reipublicæ ſemet tam arduum opus non ſine graviſſimo & rerum, & ſalutis periculo aggreſſum, quò & ipſe omni ſolicitudine ſolutus privatam cum cæteris vitam ageret.

His dictis chlamidem ſericam, qua erat indutus, laceratam humi projecit, ac ſe magiſtratu abdicavit; hortatus plebem, ut cum in agmine, ac prælio pro tuenda Republica eum ſocium periculi acceepiſſent; tantùm adniterentur, ne ex ſua parte tantæ curæ deeſſent, viderentque quomodo poſtmodum optimè gubernata Reſp. benemeritos proſequeretur. Sed hæc omnis ex compoſito conficta ſimulatio fuit. Jam enim pro comperto habebat, multitudinem, quæ tot cædes eo authore ediderat, non alium, niſi Agathoclem in Regem appetere. Proinde cum finem dicendi feciſſet, tota confeſtim concio eum precibus urget, oratque, ne urbem labantem deſerat, ſed imperium ipſe, qui civis, qui Dux ſtrenuus, & qui urbis pater hactenus fuerat, pari animo ſuſciperet. Qui cum ad hæc nihil reſponderet, ſed meditantem ſe taciturnitate fingeret; multitudo repente elatis clamoribus Regem eum conclamat, ſalutat, adorat. At ille cum ſe iterum Imperio ineptum, Rempublicam liberam fore, & non uni dumtaxat illius adminiſtrationem convenire reſponderet, populus eò magis, vehementiùſque repetitis ſuffragiis ei velut invito regnum detulit. Demum ille multitudinis voto ſuccumbere ea lege viſus eſt, ſi tantùm ſibi ſoli imperium decernatur, vereri enim eum collegis imperare addidit, ne illis errantibus ſibi error imputaretur. Cui annuente populo, Agathocles ſolus Rex efficitur.

Magiſtratu ſe abdicare fingit.

A populo Rex efficitur.

Initio quidem principatus non tam armis, quàm comitati ſtuduit; pauperes benignitate proſecutus muneribus pluribus affecit; in pervicaces durus animadverſor. At quanquam authoritate Regia uteretur, Diadema tamen ſuſcipere noluit, vel ſatellites regio more, ut cæteri Tyranni ad ſui cuſtodiam habere. Sed facilis ad eum unicuique acceſſus, adituſque. Vaſa præterea fictilia nomine ſuo in anſis græcè ſic impreſſa, AGATHOCLIS. cujuſmodi apud Elorum anno ſalutis 1555. menſe Julio unum vidimus; quippe quòd ipſe figulus, & figulo patre genitus eſſet, inter aurea ponebat, non alias majorum imagines, vel triumphos, aut conſulatus oſtentans, quod glorioſius exiſtimaret, regnum propria virtute, quàm hæreditate adipiſci. Firmato cum civibus largitionum, benevolentiæ, ac modeſtiæ nexibus dominatu, quò illud ampliaret, ad arma ſe convertit. Erat in portu magno ingens claſſis quam Syracuſani antea ſibi paraverant. Qua aucta, conſcriptoque ad bellum milite inſtructa, finitimas urbes repentino, & inopinato inſultu aggreditur, & capit, ſociaſque etiam Carthaginenſium civitates permittente Amilcare incurſionibus, direptionibus, omnibuſque injuriis vexat. Ita, ut quod jam antea privatus inceperat, Rex quoque ſine fide fuerit.

Figulū ſe fuiſſe gloriatur.

Poſtea contra Meſſanam etiam movet; cujus arcem parvo labore occupat. (8) Pro cujus redemptione cum a civibus ex pacto argenti plura recepiſſet talenta, eam tamen ille reddere noluit, quin & reliquam urbem per partem muri disjectam invadere tentat, eòque equeſtri, & pedeſtri milite miſſo, ipſe cum claſſe noctu portum ingreditur. Sed Meſſanenſes perfidiam hominis ſimul, & conatus præſentientes, reparato quàm celerrimè muro, ad cuſtodiam urbis militibus neceſſariis diſtributis, fortiter propugnantes ab incepto hoſtem

Meſſanā occupare tentat.

Mylas oppugnat, ſtem fœdò repulerunt. Meſſanenſi fruſtratus expeditione contra Mylas navigat; oppidum obſidet, ac demum in deditionem accipit. Quo præſidiis munito Syracuſas rediit. Æſtate ſequenti rurſus contra Meſſanam, ſed & tum fruſtra bellum movet. Syracuſanorum namque exules, quorum ingens manus erat ibi, & pro defenſione urbis, & in Tyranni odium acerrimè illi obſtiterunt.

Interea Carthaginenſium in Sicilia civitates, quæ ab Agathocle rupto fœdere direptæ fuerant, apud Senatum Carthaginenſem Agathoclis injurias, & Amilcaris perfidiam proponentes, illum ut Tirannum, & Siciliæ vaſtatorem, hunc verò non modò ut Syracuſarum, ſed ſociorum etiam proditorem accuſant, & ni ſtrenuè ſuccurrant, brevi fœdum Agathoclis incendium Amilcaris culpâ conflatum, & totam Siciliam ſimul cum ipſa Africa correpturum nunciant. His *Pœnorũ legati ad Agathoclē.* querelis Carthaginenſes irâ perciti legatos ad Agathoclem mittunt, qui eum de fœderis, quod cum Amilcare inierat, violatione arguant. Illi Siciliam appulſi, pluribus ultro citròque collatis, atque ab Agathocle arce Meſſanenſibus reſtituta, Libyam repetiere; Amilcarem verò ſecretò in urnam conjectis ſuffragiis, quouſque Carthaginem rediret, capite damnant. Sed ipſe ſpontanea morte præreptus Carthaginenſium judicio liberatus eſt. Agathocles poſt hæc Abacenam Siciliæ urbem ſociam profectus, ſupra quadraginta inviſos ſibi cives ibi interfecit.

Interea Soſiſtratus, & cæteri Syracuſanorum exules, qui Agrigentum receſſerant, Agrigentinos ad deprimendam Agathoclis tyrannidem priuſquam in immenſum aucta totam Siciliam invaderet, magnopere hortati ſunt; ut contra eum quamprimùm exercitus pareretur, idque impetrarunt. Ad quod bellum Geloi, & Meſſanenſes ſocii con- *Siculi cõtra Tyrãnũ inſurgũt.* venere. Ducem deinde tanti exercitus, cum metu Tyrannidis ſuos cives haberent ſuſpectos, maximum Cleomenis Regis filium, qui paratam in Lacedæmonia claſſem habebat, delegere. (9) Is & Spartanorum invidiâ, & rerum novarum cupiditate ductus libenter Præfecturam iniit. Lacedæmone itaque paucis navibus ſolvens, Adriam Italiæ urbem ad Apolloniorum regionem primùm tenuit, quam tunc temporis a Glaucio Illiricorum Rege obſeſſam, pace inter Apolloniates, & Regem compoſita, liberavit. Subinde Tarentum navigans Tarentinos cum parata, quam habebant, claſſe, ad Agathoclis expugnationem ſocios adſcripſit; cum quibus Agrigentum tandem applicuit. Ejus adventu Agrigentini magnâ primùm affecti ſunt lætitiâ. Sed poſtea hominis vecordiam, luxumque, âc rei militaris imperitiam, & quòd dolo Soſiſtratum eum redarguentem ad necem depopoſcerit, Syracuſani, Agrigentini ſimul, & Tarentini experti, ſpretum militiæ Præfecturâ privarunt, lapidibuſque etiam impetierunt. Cæterùm ipſe eorum impetu eluſo, noctu cæteris ignorantibus, Agrigento ſua claſſe ſolvens Lacedæmona reverſus eſt. Tarentini cognito ejus receſſu Tarentum & ipſi redierunt.

Quos inter pax tãdē firmatur. Poſt hæc inter Agathoclem, & Agrigentinos, Geloos, cæteroſque Siculos ſuadente Amilcare pax his legibus inita eſt: Ut ex Græcis Siciliæ civitatibus Heraclea, Selinis, & Himera Carthaginenſium, ſicut antea, ditionis eſſent; cæteræ verò urbes ex ſeipſis regerentur, dummodo Syracuſanos regiminis cenſores, moderatoreſque haberent. Pace firmata Agathocles audiens a Carthaginenſibus Amilcarem ob fœdus cum eo a ſe initum damnatum, exercitum coegit, pedeſtres

ad

ad decem millia, equeſtres verò ad tria circiter millia, magnam quoque armorum, ac ſagittarum vim comparavit. Interea Soſiſtratus, (10) & cæteri Syracuſanorum exules, qui erant Agrigenti, ob pacem nuper factam, Agrigento Meſſanam, quæ ſola Agathocli adverſabatur, migrant. Quo reſcito, Agathocles Paſiphilum virum militià inſignem cum claſſe inſtructa clam contra Meſſanam mittit. Paſiphilus inexpectatus Meſſanam appellens, urbis agros populatur, ac magnam inde hominum, rerumque prædam abſtulit. Dehinc Meſſanenſes ad fœdus cum Agathocle componendum hortatus, efficit, ut expulſis urbe Syracuſanorum exulibus, pacem cum Agathocle fecerint, eumque magno cum honore in urbem ſuſceperint. Agathocles Meſſanam ingreſſus humaniſſimè primùm cives eſt amplexus, poſtmodum ut eorum exules, qui ſub ejus militia meruerant, in urbem reciperent, hortatus eſt. Deinde Meſſanenſes omnes, & Tauromenitanos, qui Tyrannidi ejus impedimentum allaturi videbantur, interfecit. (11) Sed & plebs quò magis ſibi eum aſtringerent, peregrinos omnes, quos ante civitate donaverant, & ei adverſabantur, eorum urbe expellunt.

Meſſanenſibus Agathocl. cōciliatur.

Interea Carthaginenſes numeroſam claſſem in Siciliam contra Agathoclem mittunt. Cujus fama ubi ad eum pervenit, continuò civitates omnes, quæ Libycis parebant, inopinato bello adortus plures vi, pleraſque in deditionem obtinuit. Inter hæc Dinocrates Syracuſanorum exulum, quorum ingens erat multitudo, Dux, Carthaginenſium adventu, qui jam Agrigentum appulerant, fretus, Nymphodorum cum parte militum contra Centoripinos, qui nuper ad Agathoclem defecerant, emiſit, facilem ejus occupandæ ſpem in civibus libertatis ſtudioſis, a quibus jam fidem acceperat, reponens. Ille itaque Centoripen noctu aggreſſus, omnes in oppugnando oppido vires expendit; cui ad id conjuratorum civium auxilia plurimum animi addiderant. Sed dum ſatis nimis adnititur, ab excubiarum militibus ſimul, & ſociis inter præliandum interficitur. Agathocles his cognitis confeſtim Centoripen properat, ibique authores conſpirationis gladio perimit.

Pœni contra Agathoclem.

Sub hæc Carthaginenſium claſſis Agrigento Syracuſas venit, & portum magnum ingreſſa, a Syracuſanis, qui omni opere muniti erant, bello laceſſita, fœdè inde abire compellitur. In portus egreſſu navem Athenienſium unam capiunt, & nautarum manus in fruſta ſecant. Inde divulſi cum Meſſanam vela tenderent, non longè a Catana plurium navium, ſuborta repente tempeſtate, ſcopulis illiſarum naufragium patiuntur, quæ omnes a militibus Agathoclis capiuntur. Sub id ferè tempus Dinocrates Centoripe fruſtratus cum tribus peditum, & duobus equitum millibus contra Galeriam urbem movit, eamque aliquandiu obſeſſam per deditionem pulſis antè Agathoclis militibus, qui ibi præſidio erant, accepit. Quo audito Agathocles Paſiphilum, & Demophilum cum exercitu quinque millium militum ad eam recipiendam expedivit. Dinocrates, & Philonides extra urbem in aperto campo caſtrametati ſuos in duas acies diviſere. Ubi ab hoſtibus invaſi fortiter ſeſe aliquantiſper, ac ferè equo Marte defenderunt. At tandem Philonide altero exulum duce cæſo, omnes ejus milites fugam arripuerunt. Quo viſo Dinocrates cum & numero, & viribus inferior remanſiſſet, & ipſe fugiens ab inſequentibus hoſtibus magnam ſuorum cædem paſſus eſt. Illi verò fugatis, cæſiſ-

Illorum claſſis naufragiū patitur.

Exules ab Agath. ducibus funduntur.

Agathoclis contra exules victoria

que hoſtibus Galeriam nullo labore recipiunt, atque conjurationis principes trucidant. Poſt hæc Agathocles priori victoria elatus, Carthaginenſes, qui Ecnomum in agro Geloo occupaverant, toto niſu aggreſſus turpiter inde fugavit, atque ita maximâ rerum omnium prædâ onuſtus Syracuſas rediit, ſpoliiſque Deorum templa ornavit.

His rebus geſtis jam Agathocles & militum numero, & authoritate imperioque maximè coaluerat; cujus æmulatione Carthaginenſes validam multarum triremium claſſem rurſus moliuntur, quam ex primoribus urbis ad duo, ex Libycis ad decem millia, ex ſtipendiariis Tyrrhenis ad mille, & Balearibus funditoribus ad totidem inſtruunt, curribus præterea bellicis, ſagittis, telis, pecuniâ ad bellum neceſſariâ, ac commeatu omni ad dimicandum opportuno roborarunt, eique Amilcarem alterum, Hiſconis utpote filium militiâ peritum Ducem præficiunt. Is tanto cum apparatu vix e conſpectu urbis claſſem ſubmoverat, cum repente vis tempeſtatis exorta triremes plures, ac navigia commeatu onerata disjecit; reliquas verò naves ad Siculum littus impulit, quo naufragio plurimis Carthaginenſium & genere, & militiâ claris miſerè obrutis, urbs ipſa rumorem perlatum magno, ac publico luctu, nigriſque ſaccis ſuo more induta excepit.

Rurſus Punica claſſis naufragio afflicta.

Porro Amilcar ſedato mari ad Geloorum littus appulit. Ubi collectos milites, refectoſque in concionem accitos ad prælium cum hoſte totis viribus conferendum hortatus eſt. Agathocles, cognito hoſtium adventu, oppida non pauca Phœnicum præſidio munit. Geloos tamen præcipuè, ad quorum regionem ab Amilcare milites expoſitos audiverat. Deinde claſſem, quam paratam habebat, in magnum Syracuſarum portum deduxit, quò Carthaginenſes perventuros formidabat; ipſe verò cum exercitu terreſtre iter ingreſſus, in agro Geloo caſtrametatus eſt; nam in urbem ſatis per ſe munitam ingredi ſupervacaneum cenſuit. (12) Verùm cum paulò poſt Gelæ incolas ad ſeditionem, deditionemque ſatis propenſos cognoviſſet, cum non contemnenda militum manu urbem ingreſſus quatuor civium millia interfecit, pecuniaſque omnes, aurum, & argentum, quod tota urbe haberi potuit, ſub capitis mulcta ſibi tradi juſſit. Quo facto urbem præſidio firmavit, exercitumque extra mœnia non longè ab hoſtium caſtris eduxit, ibique & ipſe ſtationes fixit.

Agathocl. Gelæ infeſtus.

Carthaginenſes interea Ecnomum non magno ſpatio ab urbe diſtans occupant. (13) Agathocles e regione propugnaculum ſatis naturâ munitum & ipſe habebat Phalarium appellatum. In medio utriuſque propugnaculi fluvius interfluebat, qui exercitibus veluti terminus quidam, ac ſacer limes videbatur; eò magis quòd fama per id tempus incolas per manus ducta tenebat, oraculo olim maximam hominum ſtragem ibi futuram, prædictam. Quod cum nec barbaros, nec Græcos lateret, etſi æquis viribus jam invicem prope exercitus in aſpectu ſe concernerent, a trajectu tamen fluvii ſimul, & prælio diu abſtinuerunt. Tandem cum Libyci milites Agathoclis exercitum incurſionibus provocaſſent, Agathoclem in ſe incitarunt, qui ſuos ad prælium primùm hortatus, atque juxta fluvium paratis inſidiis in hoſtes irruit, ſuperatiſque hoſtibus, maximam prædam curruum bellicorum aſportavit. Jacturæ dolore inflammati Carthaginenſes, Græcos, qui prædam abduxerant, cum magna legionis parte improvidi inſequuntur, fluvioque trajecto, in inſidias incidunt, multiſque amiſ-

Contra Pœnos feliciter pugnat.

amiſſis turpiter in fugam retrovertuntur, quos perſecuti Græci omnes hoſtiliter trucidarunt.

Agathocles hac victoria elatus, ne victoriâ abuti videretur, pugnandi opportunitate haud neglecta, omnem ſimul exercitum contra debilitatos hoſtes movet. Quorum recenti magna cæde patrata, angulum Ecnomi occupat. Barbari re inopinata perculſi cum retrofugere nequirent, in aggredientes & ipſi conglobati, impetu facto, Græcos propellunt, atque Ecnomum jam penè captum recuperant. Ubi conſertis manibus initio belli magnis animis utrinque, multoque ſanguine præliatum eſt. Cæterùm cum Græci ex priori impetu audentiores facti magis magiſque Ecnomo appropinquarent, pedetentimque progrederentur, in propugnaculi partem proreperunt. Amilcar funditores mille eis opponit. Qui lapidum artificioſo projectu tantam Agathoclis militibus cladem, metumque injecere, ut illi Ecnomum deſerere coacti, & inſequente etiam eos cum funditoribus Libyca manu caſtra deſerere, & ingenti recepta ſtrage, Ita ut locus, qui inter utrumque interjacebat propugnaculum, Græcorum cadaveribus repletus eſſet, ad Gelam uſque fluvium, (14) qui mille, & quingentis paſſibus a Phalario propugnaculo diſtabat, fugam capeſſere reliqui compellerentur. Ubi eos priori nihilo mitius oppreſſit malum. Erat namque in canicula æſtas, & meridiei hora, cum fuga, & temporis calore ſiti contracta amentibus ſimiles abjectis armis in amnem Gelam ad bibendum prolapſi, vitalibus aquâ ſalsâ combuſtis, (15) plurimi fœdiſſimo mortis genere occubuerunt. Ita ut jam non utriuſque propugnaculi modò intervallum ex cæde, ſed & tota jam fluvii ripa Græcorum cadaveribus completa cerneretur. Fuit autem cæſorum numerus Carthaginenſium quidem mille, Græcorum verò ad ſeptem millia.

A Pœnis cum ſuis funditur

Cæſorum numerus.

Agathocles accepta miſerabili clade, & afflictis, planèque perditis rebus, militum reliquiis collectis, & incenſo Phalario propugnaculo, in Gelam urbem ſe recepit. Famâ deinde ab eo ſubdolè ſimulatâ, diſperſâque ad hoſtes, relictâ Gelâ, ipſum Syracuſas clam petiiſſe, Libyci equites Gelam venere, ut amicitiæ ſpecie recepti urbem occupare poſſent. Sed dum mœnibus appropinquant, a Geloïs ſagittis impetiti in fœdam verſi ſunt fugam. Amilcar ubi fruſtra ſe circa Gelam moram trahere animadvertit, eà dimiſsâ Siciliæ Civitates circumpetiit, eaſque aſtuta liberalitate, vultu blando, gravitate accommodata, humaniſſimiſque verbis in confœderationem allexit, in quam Camerinæi, Leontini, Catanenſes, Tauromenitæ, Meſſenii, Abacenini, plureſque aliæ urbes, quibus Agathocles erat inviſus, confeſtim venere. Agathocles ubi res ſuas labi conſpicit, relicto in Gela preſidio, providè Syracuſas petiit, ibique muros reficit, ad minorem portum turres maximas ex lapidibus exoticis conſtruit, denique militibus, inſtrumentiſque bellicis, ac re frumentaria totam urbem communit. Quò paulò poſt Amilcar tot civitatum fœdere, & viribus, & animo auctus, duram magni exercitus obſidionem perduxit.

Ad Pœnos Siciliæ urbes deficiunt.

Verùm Agathocles ubi ad continua prælia, longamque obſidionem imparem ſe videt, ingentis alioqui animi, ac fervidi, audaciſque ingenii vir in Africam bellum transferre conſtituit, ut hoſtibus domeſtico bello preſſis, citra conflictum Sicilia eriperetur. Mirum profectò, ſed opportunum facinus, ut quibus in ſolo ſuo viribus erat inferior, eorumque urbi Romani Imperii æmulæ victus bellum inferret.

Ingẽs Agathoclis audacia.

ret. Animos illi faciebant, hinc ſuarum rerum deſperatio, inde Carthaginenſium ignavia, reique militaris imperitia, pacis, & deliciarum amor, Libycorum contra eos odium, & immunita demum Pœnorum oppida. Hujus, ut in eo conſilii ingenioſum commentum, viriliſque audacia, ita non minus admirabile fuit ſilentium. Nam nulli civium, militum, domeſticorum demum nemini, facinus animo deſtinatum credidit, quouſque in Libyam applicuit. Cæterùm antequam Syracuſis diſcederet, cives ſuos omnes ad concionem vocatos obſidionem ad breve tempus fortiter ut ferant, hortatur; tum inveniſſe ſe victoriæ viam profeſſus, tum ſi eorum cùiquam prementis fortunæ conditio diſpliceret, liberè abeundi poteſtatem præconio pollicitus eſt. Sexcenti ſupra mille reperti ſunt, qui urbe relicta ad alia Siciliæ oppida eo permiſſu tranſmigrarunt. Cæteros omnes commeatu, & inſtrumentis ad obſidionem perferendam neceſſariis inſtructos

Antandro fratri Syracuſ. cõmendat.

Antandro germano fratri viro militià præclaro unà cum urbis, & belli (ſe abſente) Præfectura commendavit. Ante diſceſſum quoque pleroſque urbis proceres Carthaginenſium ſtudioſos conjurationis reos & fortunis, & vita ſpoliavit, cæteros verò cives, quibus ſe inviſum eſſe pro comperto habebat, ne urbem ſe abſente prodere auderent, factionis, cognationiſque diviſione facta, alios in urbis tutelàm reliquit, alios ſecum in Libyam convexit, ut ſeditio etiam deſiderata mutuo periculi metu cohiberetur.

Subinde cum ingenti pecuniæ ſumma ad viaticum, tantumque bellum indigeret; pupillorum bona a curatoribus exegit, quæ jurejurando pubertatis tempore omnia reſtituturum ſe promiſerat. A mercatoribus quoque ſub fœnore quantum poterat, auri, argentique corraſit. Templa præterea omnia ſimul, & principes matronas auro armillis, mundoque muliebri exuit, duplum cum victor reverteretur, ſingulis redditurus. Magno igitur talentorum numero ea arte congeſto milites quot potuit, conſcripſit, ut ſervos etiam ad bellum aptos libertate donatos in numerum phalangis retulerit, pedeſtres, equeſtreſque milites, arma, equorum ephippia, ac fręna tantùm, e-

Ipſe in Africã navigat.

quos ex hoſte recepturus, ſecum deferre juſſit. Quibus ritè paratis, ſeptimo ſui Imperii anno Athenis imperante Hieromnemone; Romę verò C. Julio, & Quinto Æmilio Coſſ. Agathocles duobus adultis filiis Archagato, & Heraclide comitibus, ac magna militum manu ſecum aſſumpta, claſſem ſeptuaginta navium, quam in portu habebat, aſcendit, ignaris adhuc omnibus quonam curſu iter intenderet. Quocirca varia inter Syracuſanos militeſque quò veheretur, erat diſceptatio, cùm vulgus in Italiam, plerique ad civitates Siciliæ, quę ad Carthaginenſes defecerant, expugnandas eum proficiſci opinarentur, omnes tamen temerariam ejus vecordiam incuſabant.

Erat eo tempore ad fauces portus magni Carthaginenſium claſſis urbem, & portum obſidens, quæ per aliquot dies Agathoclis egreſſum remorata eſt. Demum cum naves quædam frumento onuſtæ Sy-

E portu ſolvẽs a Punica claſſe inſecutus.

racuſis expectarentur, Carthaginenſes cauti ut eas priuſquam commeatum in urbem deferrent, interciperent, cum tota claſſe contrà ſolverunt. Quibus e portu divulſis, Agathocles concitato curſu liberè egreſſus in Libyam vela dirigit; claſſis Punica jam in conſpectum onerariarum provecta, eas paratis tormentis vexare inſtituerat. At ubi Agathoclis vela Carthaginenſes in alto conſpexere, rati quòd ad ſuppetias onerariis ferendas feſtinaret, illis dimiſſis, retroflexis

ro-

roſtris in Agathoclem vertuntur. Quem cùm ſuo curſu aliò tendere vident, incredibili celeritate veluti fugientem inſequuntur. Interea frumentariæ naves periculo ereptæ Syracuſas ingreſſæ magno omnium plauſu ſunt exceptæ. Hoſtes verò Agathoclem remigio inſecuti jam ad claſſem appropinquaverant, ipſamque probris, & maledictis lacerabant. Sed nox ſuperveniens, & ipſos a graviori incepto, Agathoclemque a captura liberavit. Sub tenebris namque navigans ex hoſtium oculis evaſit. *Nocte a periculo liberatur.*

Sequenti verò die dum rectà in Libyam pergit, Sol eclypſim paſſus adeo cœlum tenebris involvit, ut noctis, & diei nulla prope eſſet diſcretio, quod militum animos vehementer exterruit. Sed Agathocles, ut eos ad ſpem, quàm ad metum redderet procliviores, ſatis arguta interpretatione ad hoſtium excidium (ſicuti antea Timoleon) portentum pertraxit. Cum enim naturalis ſyderum defectus præſentium rerum mutationem portendere conſueverit, Carthaginenſium autem res florerent, ſuæ verò id temporis jacerent, utrarumque viciſſitudinem affore per eclypſim dixit ſignificari. Hac oſtenti expoſitione ſuorum omnium mentibus excitatis, cùm ſex dies leni vento navigaſſent, ſub auroram diei ſeptimi Carthaginenſium claſſis eminus eos inſequens apparuit. Qua Agathocles conſpecta, ad prælium ſe parat. Carthaginenſes itaque in poſtremas Agathoclis naves irruunt. Græci verò contra eos verſi ſagittis ſe defendunt. Barbari deinde culcitris, & tabulis ſuas puppes, quo ſagittis obſiſterent, fulcientes ad arcus, & fundas, in quibus eorum familiare erat ſtudium, contra Græcos confugere. Maximis igitur conatibus, acrique contentione prælium committitur. At Græcorum claſſi, quæ & numero, & viribus ſuperior erat, plurimis Barbarorum cæſis, belli fortuna favit; atque ita hoſtibus retrofugatis, Agathocles feliciter tandem Libyæ littus attigit, locoque Latomia (ubi lapidum erat exciſio) appellato milites expoſuit, ubi & naves in ſeceſſum vallo munitum ſubduxit. *Solis Eclypſis quid denotet, exponit.* *Libyæ littus tenet.*

Ibi tum conſilii ſui detegendi tempus eſſe ratus, ad concilium militibus vocatis, in quo diſcrimine res Syracuſanæ eſſent, in memoriam revocavit. Pro quibus ſervandis unicum fuiſſe remedium, ut in hoſtes foris arma verterent, quæ ab iiſdem ipſis domi infesta patiebantur; ſuas ſolùm Domi vires ipſis ſuffragari, foris verò etiam auxilia hoſtium accedere. Nam Carthaginenſes diuturnitate imperii ſocios etiam ſuos habere æmulos, qui cum externas copias, auxiliaque conſpexerint, confeſtim contra Pœnos ſuas vires cum Græcis conjungent. Africæ præterea oppida nec muris cincta, nec in montibus loci naturà munitis, ſed in planitie ſita facilem victoriam polliceri, cum vel metu excidii contra Carthaginenſes cum Græcis ſocia arma ſument, vel properam deditionem facere compellentur, atque ita fore, ut ipſe jam viribus Pœnis impar, brevi hinc inde ex tota Africa accedentibus confœderatis, ſuperior fiat, præſertim in repentino, inopinatoque, & nunquam tentato bello, ad quod Pœnos concuſſio, & trepidàtio etiam inutiles ſint redditura; tandemque aut omnino ceſſuros victoribus, aut revocato e Sicilia ſuorum exercitu, domi preſſos Syràcuſarum obſidionem relicturos. Quibus multa alia id genus, quæ ad permovendos militum animos imprimis valere ſolent, adjunxit. His dictis accenſis, corroboratiſque ſuorum animis, primùm milites perſpectæ fidei ad ſui corporis cuſtodiam circumpoſuit; mox veſte purpurea indutus, ac Regio diademate redimitus, *Suos ad bellū adhortatur.*

Ce-

Cereri, & Proſerpinæ, quas olim Sicilia tutelares Deas ſibi fecerat; more gentis cum omni exercitu ſacra peregit.

Deinde faces piceas accendi, eaſque ſibi, & ſingulis Navarchis deferri præcepit, atque ad victoriam, & patriæ fœlicem reditum, invocatis Cerere, & Proſerpina ſine longiori deliberatione in ſignifeNaves ſuas incendit omnes. ram triremem, qua ipſe vehebatur, ignem injecit, eamque combuſſit; quo ſuo exemplo ut idem cæteri omnes Navarchi facerent, imperavit, ut ſcirent, nullam in fuga, ſed in ſola victoria ſalutis ſpem conſtitutam. Quo dicto, mox igne injecto triremes omnes ſunt combuſtæ. Atque ita demum curatis corporibus, exercitum in acies divídit, ac contra urbem quamdam, quæ magna civitas appellabatur, opibus, & pecore ditiſſimam, plurimiſque pagis ornatam, inſtar rapidi fluminis irrevocabili impetu fertur. Milites verò urbis opulentiâ conſpectâ, per prædæ cupidinem metu propulſato, ad mœnia properant, urbem acri oppugnatione, ne momento quidem intermiſſa, oppugnant; oppidani initio belli temetſi rudes ad militiam, ut poterant, intus ſe defendebant. At Agathocles machinis admotis acriùs mœnia quatit, & per muri partem, quam disjecerat, militibus immiſſis non ſine magna hoſtium cæde urbem vi capit, quam, ut militibus fortitudinem adderet, diripiendam exercitui conceſſit.

Primâ hac victoriâ Syracuſani animo elati, urbem aliam non longè inde diſtantem petunt, eamque etiam parvo negotio capiunt. Urbes in Africa expugnat & c. Eas urbes, quò terrorem cæteris incuteret, Agathocles demoliri juſſit. Quibus proſtratis, ſub dio cum ſuo exercitu caſtrametatus, ordines vigili cuſtodia tuebatur. Interea Carthaginenſium claſſis ab Agathocle ante ſuperata ad Latomias appulit. Ubi cum fragmenta Syracuſanæ claſſis viderent, rati Græcos perſequentium metu id feciſſe, non mediocriter gaviſi ſunt. Sed cum duas civitates ab eis captas, ac dirutas, & Agathoclem victorem per Libyam, nullo obſiſtente, cum exercitu graſſari e diverſo perſenſere, gaudium cum metu commutarunt. Jamque fama Agathoclis adventus, duarumque urbium exciſarum Carthaginem venit. Qua conſternati Amilcarem in Sicilia cum exercitu cecidiſſe, & Agathoclem, partà ibi victoriâ, victorem Pœni cõſternati de pace cogitant. in Africam trajeciſſe exiſtimarunt. Quocirca Carthaginenſes advocata civium concione, quid facto opus eſſet cum hoſtis non longè a mœnibus abeſſet, urbſque milite ſimul, & bellicis inſtrumentis deſtitueretur, conſilium capiunt. Pleriſque legatos pro pace ad Agathoclem æquis conditionibus ferienda mittendos; aliis nullo pacto ſuccumbendum, ſed in quo ſtatu res eſſent Syracuſanorum, primò perſcrutandum, ac tum demum deliberandum eſſe, viſum eſt.

Dum hoc modo in urbe trepidaretur, nuntius a Duce Carthaginenſis claſsis e Syracuſis miſſus affuit, fœlicem rerum in Sicilia geſtarum progreſſum nunciat, & Agathoclis aſtutiam refert. Quibus cognitis, magna Carthaginenſium in Amilcarem exarſit indignatio, eumque accuſant, quòd hoſtem victum in Libyam cum copiis trajicere permiſerit; mox Hannonem, & Bomilcarem antiquâ militaris peritiæ gloriâ claros, eâ causâ duces colligendo exercitui deligunt, quod cum privato inter ſe odio flagrarent, in prôdenda Agathocli Duces ad bellū deligunt. Carthagine conjurare non poſſent. Hi itaque duces peditum quadraginta millia, equites mille, curruum bellicorum duo millia comparant, cum quibus contra Agathoclem moventes, non longè ab ejus exercitu quendam montis verticem occupant, ibique exercitu in acies diviſo,

Han-

Hannoni cornu dextrum, Bomilcari ſiniſtrum eſt aſſignatum. Cumque caſtrorum locus eſſet anguſtus, currus, & equites ante aciem veluti jamjam pugnaturi poſuerunt.

Agathocles hoſtes ad prælium paratos videns, copias ſuas & ipſe in acies dividit. Dextrum cornu, & peditum duo millia Archagatho dedit; ſiniſtrum Syracuſanis, qui ſupra tria millia erant, ſubinde ſtipendiarios Græcos ad tria millia, Samnites, Tyrrhenos, & Celtas ad tria quoque millia ſuis etiam Ducibus, & Præfectis diſtribuit. Ipſe verò cum mille cataphractis in medio alarum Carthaginenſibus ſe objecit. Sagittarios præterea, & funditores, qui circiter mille erant, in cornua quoque diviſit; tyrones verò, eoſque, qui exercitum ſequebantur, virgis inſtruit, quæ pro armis eminus ab hoſtibus conſpicerentur. Quæ tamen omnia Syracuſanos, conſpecta Carthaginenſium multitudine, quibus ipſi numero ſatis erant impares, a timore prohibere non potuerunt. Ideoque ſuorum nutationi Agathocles ut occurreret, prudens noctuas plures, quæ Græcis pro victoriæ portento, eo quòd Minervæ ſacræ ſunt, præſagioque habentur, clam in ſuum exercitum veluti cœlitus delapſas volantes immiſit. Quarum aſpectu Syracuſani mirum in modum, & gaudio affecti, & abjecto metu animis erecti, tanquam victoriam in manu certam habentes, repente in hoſtes impetum faciunt. *Pugna inter Agathoclé & Paenos.*

Carthaginenſes laceſſiti currus bellicos contra Græcos primùm emittunt. Quibus Agathoclis ſagittarii oppoſiti, ſagittarum continua jaculatione adeo eos impetierunt, ut equites impetum non ferentes ad ſuas acies diffugerint. Quos Syracuſani inſecuti plures currus cepere, in quibus manicarum viginti millia repererunt, quas Barbari pro ligandis Græcis, quos capere ſperabant, paraverant. Hannonem præterea, qui fugatis equitibus, peditum ſubſidia adduxerat, cum magna militum ſuorum parte confodere. Qua fortuna Carthaginenſes viribus, & animo lapſos, Syracuſani e contrario victores majori niſu, viribuſque Barbaros adorti, multis trucidatis cæteros in fugam compulere. Bomilcar Carthaginenſium dux alter cognita Hannonis, & ſuorum clade, tum quòd ad Carthaginis tyrannidem aſpiraret, tum quòd ſimilem calamitatem in ſe, ſulſque cohortibus pertimeſceret, dimicare cum Agathocle amplius noluit, ſed in verticem, ubi antea caſtrametatus fuerat, ſe recepit. Ceciderunt eâ pugnâ Syracuſanorum duo ferè millia, Carthaginenſium verò cum Hannone eorum Duce ad ſex millia, ut Diodorus numerat, licèt tria tantùm millia Trogus tradiderit. *Quâ Græci victores extant.* *Bomilcar patriá prodere tentat.*

Mirum erat, ac penè incredibile, hominem videre paulò ante in patria victum, profligatumque jam cladis acceptæ pœnitus oblitum, paucis cum copiis in ſolo alieno contra ingentem multitudinem, veluti cœleſti numine correptum cæſo Ducum altero cum victoria triumphare. Quod ipſum admirati Carthaginenſes, cladem ſuam in Deorum iram referentes, ad eos placandos ſe convertunt; ſacra omnibus, præſertim verò Herculi, & Saturno (templis frequentatis) ſolito majora parant. Herculi ſiquidem, quem Tyrium eſſe arbitrabantur, quotannis rerum omnium decimam Tyrum uſque mittere conſueverant. Quem tamen morem cùm divitiis pollerent, ſucceſſu temporis in parva quædam munera commutarant. Saturno verò priſco tempore filios pulchriores, fortioreſque ſacrificare ſoliti erant, quibus tamen poſtea Gelonis lege impietatem perhorreſcentis diu abſtinuerunt. *Pœni impiis ſacris Deos placant.*

runt.

runt. Quem morem licèt poſt legislatoris mortem reſumerent, non proprios, ſed exteros pretio emptos, ad id nutritos mactabant.

Carthaginenſes igitur Herculis, & Saturni iram ſpreta veteri religione provocatam, hanc ipſis vindictam attuliſſe, atque expiandam eſſe culpam, ſacri liberalitate rati, Herculi ſimulacra plurima tota aurea ad Tyrum detulerunt; Saturno verò genere, & pulchritudine præcipuos quoſque pueros palàm ei immolarunt. Multi præterea ob privata ſcelera damnati ultro ſe Saturno hoſtias obtulere. Erat Carthagine ejus ſimulacrum æneum manibus extentis, palmiſque apertis firmatum, ac ſub eo vorago ingens ignea, in quam pueri ſacris addicti projecti, flamma ceſſante, in cinerem demum reſolvebantur.

Herculi Tyrium, & Saturnum.

His ſacris ſæviſſimis peractis, Carthaginenſes legatos ad Amilcarem in Siciliam cum combuſtæ Agathoclis claſſis reliquiis miſere, ei, ut pereunti patriæ ſtatim ſuccurrat, imperantes. Amilcar, acceptis imperatis, nil territus, ad fraudem & ipſe primùm ſe convertit. Syracuſas enim legatos cum combuſtæ Agathoclis claſſis veſtigiis miſit; qui ipſum cum ſuo exercitu in Libya periiſſe, ejuſque claſſem conflagraſſe enarrent, oſtenſiſque incendii ſignis, cives ad deditionem hortentur. Civitas ſimulatam Agathoclis cladem certò credens, ob ſuorum occubitus triſtitiâ, trepidationeque repleta eſt. Sed Antander Agathoclis frater, qui urbi præerat, animi fortitudine præcellens, expulſis magno cum dedecore Amilcaris legatis, plebem in fide, atque conſtantia continuit, ea omnia Punicæ fraudis (ſicuti erant) commenta eſſe prædicans. Deinde ne ſeditionis fomites ultrà procederent, conſanguineos, amicoſque Syracuſanorum exulum, qui octo ferme fuerunt millia, urbe expulit.

Amilcar obſeſſos Syracuſ. decipere procurat.

Amilcar, ad quem plerique exulum transfugerant, trepidatione Syracuſanorum per eos cognita, cum omnibus copiis ad urbem appropinquans, primùm eos ad deditionem ſuaſit; cumque cives in partes varias raperentur, pleriſque deditionem faciendam, aliis certæ fidei nuntium auditæ cladis expectandum aſſerentibus, machinis advectis, urbem expugnare ſtatuit. Sed dum hæc in Sicilia geruntur, Agathocles eo rerum ſucceſſu factus alacrior duas triremes cum Hiarcho Præfecto Syracuſas expedivit, qui fortunatiſſimum victoriæ curſum civibus nuntiaret. Hic itaque quinto die e Libya cum militibus coronatis, & pæana canentibus noctu in Syracuſanum portum applicuit. Amilcaris excubiæ, ut triremes inexpectatas vident, in eas protinus irruunt, atque ſimul pugnant.

Agathocl. de victoria nuntiú mittit.

Fama duarum triremium adventus tota urbe ſparſa cives lætos, audentioreſque ad portum evocavit. Syracuſani ubi ſocios cum hoſtibus dimicantes cernunt, ad ſtrenuè pugnandum magnis, editiſque vocibus ſuos hortantur. In ea pugna triremium altera parum abfuit, quin a Carthaginenſibus caperetur. Tandem fortiter triremes reſiſtendo periculo ereptæ ad littus pervenerunt. Amilcar verò veteris aſtutiæ non oblitus, ut omnem propè civitatem in portum ad ſpectandum confluxiſſe vidit, ratus, ut veriſimile erat, aliquam murorum urbis partem a cuſtodibus derelictam eſſe, obſervato proſpectu, electos milites cum ſcalis ad muros deſertos miſit. Qui mœnia, & partem propugnaculi (nemine aut vidente, aut obſiſtente) facilè occuparunt. Sed cùm fortè fortuna eâdem horâ commeatus urbis portitores eò tranſeuntes rem vidiſſent, hoſtem muros aſcendiſſe, ela-

Pœni urbē occupare tentāt.

elatis clamoribus produnt. Syracuſani ad eorum vocem magno ſtatim impetu exciti, pugnâ ad mœnia ſummo animorum vigore conſertâ, hoſtium auxilia prævenientes multos Carthaginenſium interficere, & plerosque etiam e mœnibus telis, & præcipiti impulſu dejecere. Amilcar hoc pacto rejectus, omiſſa potiundæ urbis ſpe, e ſuo exercitu militum quinque millia Carthaginem ſubſidio miſit. *Syracuſani hoſtes e mœnibus dejiciunt.*

Dum hæc apud Syracuſas fœliciter peraguntur, Agathocles non longè a Carthagine plura oppida vi, pleraque ſeſe ultro per odium, quo Carthaginenſes proſequebantur, dedentia accepit. Subinde Tunetum oppidum, quod quindecim paſſuum millia a Carthagine diſtat, cepit. Ubi relicto militum præſidio, ad maritimas civitates deſcendit. Quarum unam, quæ Neapolis appellabatur, magna vi expugnavit. Sed humanitate erga cives maxima uſus, eam illis munitam reddidit. Promontorium quoque Thaphitis, & ejus collem, cui a forma Aſpis nomen eſt, occupavit. Quem, quòd naturâ munitiſſimus eſſet, ad ſuam diutinam habitationem (lib. 17. teſte Strabone) ſibi delegit. Deinde Adrymetum urbem obſedit, ubi dum in ſtationibus ageret, Lilymam Libycorum Regem in fœdus, ac ſocietatem ſecum aſcivit, Carthaginenſes Adrymeti obſidione cognita, cum copiis, & bellicis inſtrumentis Carthagine egreſſi Tunetum pergunt, illudque magnis viribus oppugnant. Quo cognito Agathocles ad Adrymetum parte exercitus relicta, cum reliqua clivum quemdam inter Tunetum, & Adrymetum, unde ab Adrymetinis, & Carthaginenſibus Tunetum oppugnantibus videri facilè poſſet, aſcendit. Ubi per noctem plura lumina, ingenteſque ignes accendit, acſi maximum ſecum ibidem exercitum haberet, quò ſic & Carthaginenſes, & Adrymetinos terreret. Carthaginenſes enim ignibus eminus conſpectis ingenti metu perculſi, dimiſſa Tuneti obſidione, & relictis etiam ibi tormentis bellicis, fœdâ fugâ confeſtim inde diſcedentes, domum ſunt regreſſi. Adrymetini etiam eo commento ludificati eodem die deditionem fecerunt. *Agathocl. Tunetum expugnat, alias occupat urbes.* *Pœnos decipit.*

Adrymeto capto, Agathocles Tapſum aggreſſus, urbem vi cepit. Tapſiorum deinde auxilio plures finitimas urbes adeptus eſt. Hoc rerum ordine ad interiora Libyæ loca, maxima militum manu inſtructus contendit. Interea cùm militum quinque millia, quæ Amilcar titubanti patriæ remiſerat, Carthaginem veniſſent, cognito Agathoclis diſceſſu, Carthaginenſes juſto exercitu coactato, rurſus ad Tunetum obſidendum ſe parant, & receptis antè quibuſdam oppidis, quæ ad hoſtem defecerant, dura obſidione illud premunt. Agathocles de his omnibus per ſuos certior factus, magnis itineribus nec noctem, nec diem quieti dando reverſus, repentinus, ac improviſus ad Tunetum in Carthaginenſes abſque ordine palantes irruit, eorumque duobus fere millibus interfectis, magnam etiam multitudinem cepit. *Tunetū ab obſidione liberat.*

Poſt hæc Lilymam Regem, qui interea fœdus violaverat, magno exercitu adortus ſuperat, ipſumque cum magno Libycorum numero trucidat. Dum hæc in Libya fœlici Marte ab Agathocle geruntur, Amilcar in Sicilia cùm plura Syracuſis finitima recepiſſet oppida, contractis quantum poterat, militum copiis, & Dinocrate conſtituto equitum Præfecto, ad oppugnandam urbem magno ſtudio properabat, oraculi vaticinio, ſive in ſomnis voce audita, ut lib. 1. de Divinatione refert Cicero, fretus, quæ cum poſtridie Syracuſis *Amilcar Syracuſas oppugnat.*

Amilcar Syracuſas invadere conſtituit.

cœnaturum prædixerat. Antander hoſtium adventum prædoctus, ſpeculatoribus fidei teſſera data ſolemni, tria peditum millia, pluresque equitum noctu contra eos clam eduxit. Diviſerat Amilcar in duas exercitum acies, in Barbaros, & Græcos exules. Qui omnes utrumque Ducem, ſed abſque ordine ſequebantur. Cumque nimia feſtinatione per anguſtas vias tumultuarie procederent, & alter alterum præire ſatageret, inſolitum ſtrepitum edebant, quo Syracuſani, qui in Eurycio præſidia tuebantur, exciti in obvios irruunt, eoſque ex eminentiori, latiorique loco quàm faciliimè repellebant, & in locorum anguſtias repreſſos precipites egerant.

Repulſus, ac fugatus capitur.

Carthaginenſes iis periculis irretiti in fugam vertuntur, quæ & ipſa miſeris exitioſa fuit. Nam cùm per tenebras ſe mutuò non agnoſcerent, in hoſtes ſeſe illapſos rati, cædendo anguſtias perrumpere conabantur, ſuiſque ſe ipſos gladiis mutuò perimebant. Amilcar verò conſiliorum inops (ut in arduis ferè fit) a ſuis, dum dimicationi potiùs, quàm fugæ fortiter ſtudet, deſeritur; Cumque undique evadendi facultas ei adimeretur, a Syracuſanis circumſeptus capitur, & arctiſſimè vinctus in urbem ducitur, oraculo, ſive ſomnio a ſe perperam interpretato, fidem daturus. Illuceſcente deinde per plateas ignominiosè tractus ab irruente plebe interficitur, ejuſque abſciſſa cervice, caput per compita viarum primùm omnium ludibrio traducitur, mox in Libyam ad Agathoclem mittitur, veluti fœliciſſimæ, inopinæque victoriæ certum indicium. Carthaginenſes accepta clade, & Duce amiſſo, cum Græcis dimicare amplius non ſunt auſi. Sed ne capite deſtituti facilè diſſiparentur, eos cæſo ſufficiunt, qui ſecundam poſt Amilcarem in exercitu dignitatem habebant. Syracuſanorum verò exules Dinocratem in Præfectura confirmant.

Agrigẽtini Siciliæ principatum affectât.

Interea Agrigentini cognita Carthaginenſium calamitate, & imbecilli Syracuſanorum potentia, quam commeatus inopiâ ſuſtinere ultra vix poterant, principatum in Sicilia ſibi vendicare pergunt. Ad id igitur exercitum ingentem comparant, cui Xenodicum ducem præficiunt, atque ad libertatem omnes Siciliæ urbes edicto publico vindicant; ut beneficio potiùs, quàm vi rerum Sicilienſium ſummam promeruiſſe, non coegiſſe ſibi viderentur. Xenodicus primùm contra Gelam movet, urbem auxilio, atque tractatu quorumdam civium noctu ingreditur; ubi magna pecuniæ vi factus opulentior, civibus libertatem donat, qui eâ gratiâ devincti cum Agrigentinia conſociantur, atque unà cum eis per circumvicinas urbes egreſſi, omnes liberas faciunt.

Siciliæ urbes pro libertate fœdus ineunt.

Sed & cæteræ Siciliæ civitates vulgatâ Agrigentinorum & potentiâ, & officio, ultro eis pro libertate adipiſcenda junguntur. Ennæi deditionem cum feciſſent, liberi quoque ſunt facti. Inde Agrigentini Erbeſſum oppidum, naturâ, & arte munitum magnis viribus aggreſſi, multis Barbarorum cæſis, expugnatum libertati reſtituunt.

Dum hæc Agrigentini tam fœliciſſimo, quàm etiam celerrimo fortunæ curſu gerunt, Agathoclis milites, qui Syracuſis, & in aliis erant oppidis, rerum omnium penuriâ, & annonæ præſertim caritate preſſi, finitimos agros, civitateſque populabantur. Quorum rapinas Leontini, & Camerinæi exoſi, Agrigentinis confœderantur, quibus ſociis Xenodicus inſtructus conſeſtim contra Agathoclis milites, ne pubeſcerent, movet, atque pernicioſam eorum rabiem, latrocinandique licentiam magno exercitu depreſſit. Inde progreſſus Echetlam

urbem

urbem obſedit, quam magna vi expugnatam, conſtitutâ ibi Republicâ, a ſervitute aſſeruit. Jamque Xenodicus pluribus civitatibus a Carthaginenſium, & Syracuſanorum jugo ereptis, hoſtibus tantum incuſſerat metum, ut quocumque pergeret, oppida, & munitiſſimas etiam urbes ſibi ſine ullo ferè negotio ſubigeret. Interea Syracuſani rei frumentariæ preſſurâ coacti, plures onerarias ad urbes in latere meridionali ſitas pro tritico miſerunt. Quibus viginti triremes præſidiarias adjunxere. Quo cognito Carthaginenſes, qui & ipſi aliquot roſtratas habebant, in triremes Syracuſanas exeunt, atque eas uſque ad Junonis templum, quod juxta littus urbis erat, inſecuti, injectis ferreis manicis, decem ex eis capiunt; reliquæ verò militum ſubſidiis, qui ex urbe prodierant, portum incolumes ſubiere.

Xenodicus c. Agrigent. urbes ſibi ſubjicit.

Dum hæc in Sicilia rerum eſſet agitatio, in Libya Agathocles, qui mira belli facinora patraverat, ſubequitans Carthaginenſibus inſultabat, atque ad animi dejectionem contumeliis, ludibriiſque plurimis oſtenſo eis Amilcaris capite, quod ad lanceæ cuſpidem fixum ferebat, provocabat. Qui, viſo Ducis capite, animo concidunt, luctu replent omnia, ac templa, veluti jamjam extremam paſſuri cladem frequentant, & ſacra offerunt. Græci contrà Pæana canebant, ovantiumque more victoriam, quam in manu tenere ſe arbitrabantur, perſonabant. Sed dum ſatis nimis Agathocles ſe effert, fortunæ inconſtantiam, vindictamque eſt expertus. Erat inter exercitus duces Lyciſcus quidam vir animo præſtans, & militiâ ſtrenuus, multiſque victoriis in hoc bello inſignis. Is inter cœnandum vino obrutus (ut ſunt quorumdam ebriorum ingenia ad contumelias, rixaſque proclivia) maledictis, conviciiſque Agathoclem inceſſit. Quem cum ipſe tempori ſe accommodans non modò patienter, ſed & ut per jocum oblocutum tuliſſet, Archagatus ejus filius, ut erat juvenis, ac incontinentioris, ferocioriſque animi, parentis injuriam non ferens Lyciſcum ingenuè increpando, temeritatis accuſando, convitia denique retorquendo acriter repreſſit, ac demum maledictis & ipſum aggreditur. Ille per ebrietatem etiam Archagati verbis factus inſolentior, matris adulterium cum eo commiſſum, paſſimque notum exprobrat. Archagatus improperio in furorem actus, repente in temulentum irruens, actâque per latus lanceâ, eum lethaliter tranſfixit. Necato Lyciſco, exercitus ferme omnis illius ſtudioſiſſimus in arma provolat, atque Archagatum ad meritam mortem depoſcunt. Quem cùm eis Agathocles dare recuſaret, in ſeditionem verſi milites ſtipendia ab eo non ſoluta exigunt. Quibus non receptis, ab eo deſciſcunt, atque extemplo urbem Tunetum invadentes ſibi occupant, tumultuarioque præſidio muniunt.

Lyciſci mors ſeditionis cauſa.

Carthaginenſes ſeditione Græcorum audita, per legatos mox eos ad ſocietatem maxima mercede invitant. Jamque in procinctu erat, ut ad hoſtes tranſmigrarent, cùm Agathocles veritus ne (quod proculdubio futurum erat) milites bello exercitatiſſimi ad hoſtes tranſirent, ſibique ad extremum omni belli mole divulſa, exitum ſtruerent, tum prævidens nihil in conatibus ſubitis convenientius, quàm remedii celeritas, ut truces militum animos leniret, ſeipſum in diſcrimen injecit, ſatius ſibi fore a ſuis, quàm ab hoſte perimi ratus, ſagaci, & callida opitulatione rebus labantibus conſuluit. Projecta namque veſte purpurea, ſordidam indutus in medium militum agmen ſolus erupit. Ubi præ rei novitate ſuſpenſis commilitonum ani-

Pœni ſeditioſos ad ſe pertrahere ſtudent.

Agathocl. ſe-ditioni ſtudet. animis, factâque ei dicendi copiâ, e ſaxeo ſuggeſto fidentior, ut apparebat, ſolito, artificioſa oratione eos mirâ (qua vigebat) facundiâ primùm ad pacationem inducere conatus, omnia ſe ad eorum votum facturum, & non modò Archagato filio, ſed ſibi etiam ipſi diem dicturum pollicitus eſt; mox evaginato enſe ſemet confodere velle ſimulavit. Milites porro hoc horrendo ſpectaculo perculſi, perfidiâ depoſitâ, tum ad Agathoclem a nece præſervandum, clamores etiam dehortantes præmittendo, certatim accurrunt, levitatis ipſum *Ac tandè illà compeſcit.* inſimulant, ac demum Lyciſci mortem Archagato condonant. Regiam ut ipſe veſtem reſumat, ac bellum contra hoſtes lætis animis, ut proſequatur, hortati, humana eſſe hæc omnia, & frequenter in bello accidere edicunt.

Sedata hac arte militum ſeditione, Agathocles dimicandi occaſionem ex eo tumultu oblatam non amiſit. Nam cum ſciret Carthaginenſes ob fœdus initum, Græcorum militum expectatione impro- *Contra Pœnos pugnat.* viſos eſſe, quippe qui hoſtem nullum jam amplius haberent, omnem exercitum contra eos movet. Barbari ſpe decepti, vix armis ſumptis, acies & ipſi dividunt. Quos Agathocles adortus magno facto impetu (plurimis cæſis) fudit, fugavitque. Partâ victoriâ ſeditionis authores, quibus Elinon Dux præerat, veriti ne Agathocles ultimo in eos ſupplicio animadverteret, ad Carthaginenſes transfugerunt. Quo cognito Agathocles, aſſumptis peditum octo, equitum verò viginti millibus, & curribus bellicis tredecim, relicto ad Tunetum Archagato filio, ingenti cum exercitu hoſtium terga ſecutus eſt. Illi verò numero ſuperiores primùm ad Zuphonæ agros caſtrametati ſunt; mox ad propinquum montis verticem, profundis ſpecubus, difficili aſcenſu, & aquarum commoditate probè a natura, munitum, aſcenderunt. Qui cùm Agathoclis exercitum fluvium quemdam trajeciſſe vidiſſent, armati contra eos impetu feruntur, ac ex eis multos perimunt. Sed Agathoclis milites, qui corporis, & animi viribus præſtabant, acerrimè obſiſtentes tandem illos præci- *Eoſque fudit.* piti fuga ad montis propugnaculum convertunt, ſolùm transfugis cum Elinone eorum Duce ſe ſtrenuè defendentibus. Tandem Agathocles pluribus illorum interfectis, reliquos, qui mille ferme erant, quorum plerique Syracuſani erant, vivos cepit. Deinde contra Pœnos, qui ad verticem profugerant, movit. Sed cùm locus ille naturâ inſuperabilis eſſet, parum abfuit, quin ab hoſtibus Agathocles caperetur; fortiter tamen dimicando periculum evaſit.

Erant in utroque exercitu Nomades multi Libyæ populi, qui ex gregibus veluti paſtores vivunt. Hi cùm belli diſcrimina moleſtè ferrent, militiâ relictâ, in inſidiis ad prædam ſe poſuerunt, unde *Nomades præ-dones invadit.* cùm Agathoclem longè eſſe a ſuo exercitu animadvertiſſent, in Græcos egreſſi (pluribus illorum cæſis) ſpolia etiam multa, & ampla tulere. Agathocles hoc cognito, exercitum ſuum reducit, atque multitudine equitatus ſui in hoſtes diſciſſa, prædantium terga invadit, & multa ſpolia recuperat, quæ poſtea inter milites diſtributa ſunt; nocte tamen ſuperveniente Nomadum plures cum cætera præda tutò abierunt. Poſt hæc Græcos mille transfugas, quos vivos eum cepiſſe retulimus, in arce poſuit, ſupplicium de illis ſuo tempore ſumpturus, ſed illi noctu cuſtodibus cæſis, arcem ſibi occupant. Sed Agathocles ad artem converſus, blando ſermone ita eos pellexit, ut *Transfugas perimit.* arcem, ac ſeipſos ſibi juramento dederint, quos tamen poſtmodum violata fide omnes peremit.

Pœnorũ ſocii ad Agath. deficiunt.

Interea cùm res Carthaginenſium domi foriſque in præceps labérentur, non ſolùm tributarii, ſed & Reges etiam eorum ſocii, fœderis jura non fide, ſed rerum ſucceſſu metientes, a Pœnis ad Agathoclem deficiebant. Erat eo tempore inter Libyæ Reges Ophellas Cyrenaicæ regionis Rex, qui antea cum Alexandro magno fœdus inierat, totaque Cyrenaica provincia magnâ potentiâ potiebatur. Eſt etenim Africa tertia pars orbis in quatuordecim regiones hoc ordine ab occaſu diviſa. Nimirum in Mauritaniam Tingitanicam, Mauritaniam Cæſarienſem, Numidiam, Aphricam, Cyrenaicam, Marmaricam, Libyam, Ægyptum inferiorem, Getuliam, Libyam Africæ, Ægyptum Thebaidem, Libyam interiorem, Æthiopiam Ægyptiacam, & Æthiopiam extremam. Agathocles igitur Ophellam Cyrenaicæ regionis Regem per Orthonem Syracuſanum ad belli ſocietatem contra Carthaginenſes invitat, pactus, ut Sicilia ſibi, Africa illi tota victis Carthaginenſibus cedat. Non enim ſpe Africæ poſſidendæ cum tam lato, & immenſo pelago a Sicilia diſſidet, ſe bellum cum Pœnis gerere, ſed invitum, detrectantemque affirmabat, & ut tutò Siciliâ potiri poſſet, & Italia vicinior eſſet, quam facilè, ſi amplіandi Imperii cupidine teneretur, ſubjicere poſſet. Atque his Ophellam, improba imperii Africani aviditate jam multò ante æſtuantem, ad confederationem impulit.

Quos inter Ophellas Rex Cyrenes.

Ophellas iſto quamprimum cum Agathocle fœdere, Athenienſes etiam cauſa Enthidionis uxoris, quam ei Milciades Athenienſis pater deſponderat, cognatos, & jure conjugii affines per legatos pro auxiliis ad expeditionem contra Pœnos ſollicitat. Quæ Athenienſes Libyci regni, quod jure hæreditario ſibi deberi aſſerebant, & prædæ ingentis ex Carthagine aſportandæ ſpe, non recuſarunt. Ophellas itaque contractis peditatus ſupra decem, equitatus viginti, curruum tredecim, aurigarum undeviginti millibus, quos omnes liberi, & uxores ſequebantur, cum ingenti exercitu ad Agathoclem ſe conferebat. Cùmque decem & octo dierum ſpatio trecenta ſeptuaginta fere paſſuum millia confeciſſet, ad Automolas caſtrametatus eſt juxta montem excelſum, & undique præruptum, in cujus vertice vorago eſt immenſa, qua quædam rupes acuta exurgit, ſub cujus radice antrum erat ingens hederâ, & ſimilagine tectum, ubi priſci Lamiam fabulantur fuiſſe. Inde progreſſus duorum menſium itinere demum ad exercitum Græcorum appropinquavit.

Mons, ubi Lamia.

Quod ubi Agathocles cognovit, ſummo cum honore illi occurrit, commeatum, & cætera neceſſaria ſubminiſtrans. Qui viſo tanti exercitus apparatu, rapaci ejus ſibi vendicandi libidine ſtatim rapitur. Itaque ad patrandum facinus blando priùs alloquio Ophellam ſibi conciliavit, deinde ad adoptandum Archagatum filium, eum inducere ſtudet. Poſt hæc dum major Ophellæ exercitus pars in Carthaginenſis agri pro commeatu contrahendo excurſionibus eſſet occupata, incautum improviſumque Ophellam, proditionis inſimulat, atque cum toto ſuo exercitu ex inopinato impetit. Ophellas inſpectato caſu ab amico proditoriè perculſus, animo ob atrocitatem rei, dejicitur, & licèt reſumptis animis parva militum manu, quam ſecum retinuerat, primis inſultibus obſtitiſſet, quia tamen viribus, & militum numero ſatis erat inferior, ſtrenuè pugnans inter dimicandum occiſus eſt. Ophella cæſo, ejus exercitus quàm maximè contra Agathoclem turbatus eſt. Quos ipſe, exaggerata proditione,

Ophellâ Agathocl. dolo interficit.

quam

quàm in ſe Ophellas tentaverat, non multo negotio primùm placatos, mox muneribus, & pollicitationibus ad ſe pertraxit, & cum ſuis copiis junxit.

Interea Bomilcar veteris de Carthagine occupanda cupidinis flammâ accenſus, tempus exequendi facinoris idoneum ratus, veritusſque ne primores urbis, ac milites in ſuam perniciem concitaret, *Bomilcar Patriæ Tyrannidē occupat.* proceres ad compeſcendos Nomadum auſus, qui omnia longè lateque populabantur, milites verò Neapoli urbi, quæ non longè a veteri Carthagine aberat, præſidium miſit. Deinde cum mille ſtipendiariis militibus, in quibus imperii occupandi certam ſibi fidem firmaverat, urbem imparatam, nullamque proditionem metuentem invadit, omneſque cives quotquot per vicos obviam habuit, trucidat. Carthaginenſes fraudis ignari, primò Syracuſanos urbem ingreſſos ſunt arbitrati, ſed cùm dolum deprehenderunt, agminatim ad forum confluxere. Ibi conjunctis viribus Bomilcarem, cæteroſque ſeditioſos adorti, eorum plures occidunt; reliquos verò ad urbis anguſta, munitaque naturâ loca reductos, dura obſidione premunt. *Supplicio afficitur.* Ubi, veniâ promiſsa, factioſos ad deditionem capiunt, Bomilcarem verò verberibus percuſſum ultimo ſupplicio afficiunt, atque ita a motibus ceptis, & tyrannide patriam fortiter liberant.

Dum hæc in urbe geruntur, Agathocles horum ignarus ſpoliis, quæ ceperat, & Cyrenaicis militibus, qui ad bellum minùs apti ſibi videbantur, naves quaſdam inſtructas Syracuſas mittit, quarum quædam, tempeſtate ſuborta, juxta Pythecuſam inſulam, quæ Iſcla eſt hodie, naufragio perierunt; cæteræ Syracuſas applicuerunt; Ipſe verò dum proſpero in Africa ſucceſſu, jam ſatis imperii, opum ſimul, & virium eſſet adeptus, regio Africæ diademate a militibus inſigniri ſe fecit, atque ita Rex Africæ eſt ſalutatus.. *Agathocl. cōtra Uticā movet.* Poſt hæc inter Carthaginem, & Uticam medio fermè tractu ad belli uſum Hippargetem arcem, quam mare alluebat, mœnibus, & portu nobilem conſtruxit; ſubinde contra Itycæos, qui ab eo deſciverant, contendit.

Itycenſes, exercitu in acies diviſo, extra mœnia magno animo illum expectarunt. Sed conſerto bello cùm inferiores eſſent numero, inferiores quoque in pugna fiunt, ſuperatique deditionem, promiſſa urbe faciunt. Verùm qui in urbe remanſerant, deditionem temerè a periclitantibus pactam recuſantes, aſſiduè tormentis bellicis ſe tuebantur; quorum pertinaciæ Agathocles deſpectu, aggere ante mœnia ſtructo, Ityceos quotquot paulò ante ceperat, in objectum urbis poſuit, ratus quòd cives, qui intra mœnia ſe defendebant, ne ſuos interficere cogerentur, a pilarum ejectione abſtinerent, & ad gratiam potiùs, quàm ad vim confugerent. Itycæi e contra, mitiùs paucos e ſuis, quàm totam urbem perimi exiſtimantes, non impigriùs poſtea, quàm antea e mœnibus hoſtem repellebant, ita ut ne ſuis quidem patribus, filiis, & agnatis in lapidum, miſſiliumque *Eāq. expugnat.* jactibus parcerent. Fruſtratus hoc commento Agathocles in extructo propugnaculo plures ex funditoribus, & ſagittariis ſelectos ordinavit, urbemque inde quatere, & cives laceſſere juſſit; Ipſe verò cum toto exercitu mœnibus vicinior factus urbem adoritur, eamque magna vi (disjectis muris) cepit. Urbe potitus, cives omnes quotquot vel in domibus, vel in templis reperit, ſpreta religione interfecit. Munitaque præſidio Ityce, ad Hippocram urbem palude circumſeptam exercitum duxit; eamque e terra, & ſtagno aliquandiu laceſſitam

tan-

tandem expugnavit, ac deinde plures alias fœlici marte urbes tum maritimas, tum mediterraneas cepit. Et cum Libyam eo tempore quatuor diſcretæ nationes incolerent, utpote Phœnices, qui Carthaginem circumhabitant, Libophœnices, qui littora tenent, Libes vetuſtiſſimi, & olim potentiſſimi, ac Nomades, qui Libyæ deſerta incolunt, omnes Agathocles, præter Nomades, ſibi ſubjecit. Hi enim cum proprias urbes non haberent, incoſtanti ſede liberè ſemper paſſim vagabantur.

Libycas ſibi ſubjicit.

Profligatis Carthaginenſium rebus, nihil actum in Africa Agathocles exiſtimans, ſi Syracuſæ ulteriùs obſiderentur, tradito Archagato filio in Libya exercitu, cum claſſe, quam tumultuariò inſtruxerat, Syracuſas navigavit. Cujus adventu cognito, Xenodicus Agrigentinorum Dux decem peditum millibus, & equitibus mille contra eum movit. Erant in Agathoclis exercitu pedites ducenti ſupra octo millia, equites verò mille & ducenti. Non longè igitur ab Agrigento dubio marte aliquandiu pugnatum eſt. Tandem Syracuſani audentiores facti, Xenodicum profligant, atque Agrigentum uſque inſequuntur. Ceciderunt in eo conflictu Xenodichei pedites mille, Syracuſanorum autem nullus. Agathocles victor ex Agrigentinis agris Selinunta movens, Heracleam urbem, quam Xenodichus libertate donaverat, recepit. Subinde ad latus Siciliæ aquilonare progreſſus Imerenſes a Carthaginenſium imperio ſocios ſibi aſcivit; mox Cephaledim oppugnans, amiſſo in oppugnatione Leptine militum duce, (16) vi tandem oppidum cepit.

In Sicil. redit.

Agrigentinos vincit. Cephaled. expugnat.

Tum mediterranea ingreſſus noctu Centoripen venit, quam ſtatim, ſibi a pleriſque ſui ſtudioſis patefactis portis, ingreſſus eſt. Sed qui in duabus arcibus præſidio erant ſelecti milites in urbis captæ auxilium erumpentes, ex omni parte in Agathoclem facto impetu, mille ex ejus militibus cæſis, ipſum fœdè ab urbe fugere coegere. Centoripe fugatus, ab Apolloniatis quibuſdam accitus Apolloniam urbem, quæ non longè aberat, contendit. Sed proditione patefacta, proditores capti morte mulctati ſunt. At Agathocles excandeſcens, urbem obſidione primùm, mox machinis bellicis eam aggreſſus, tandem non paucis ſuorum interemptis, expugnat. Ubi Apolloniates omnes, qui ſibi infenſi fuerant, trucidavit, eorumque opes ærario adſcripſit. Sub hæc Dinocrates Agrigentinos, ac plures alios ad rerum novarum ſtudium ſolicitabat. Quocirca concurrentibus ad eum Agrigentinis, ac compluribus ex aliis urbibus peditum viginti millia, equitum verò mille & ducentos comparat, cum quibus contra Agathoclem in aciem prodit. Verùm Agathocles etſi viribus eſſet inferior, callidè tamen dimicationem pugnando diſſimulavit.

Et Apolloniã.

Dum hæc in Sicilia geruntur, in Africa Archagatus Agathoclis filius exercitum cum Eumacho Duce ad Toccam ampliſſimam ſuperioris Libyæ urbem miſit. Qua ſine ullo fere diſcrimine capta, Nomades etiam finitimos expugnavit. Inde Eumachus movens Phellinem, & Meſchelam maximas civitates, & populos Aſphodelodos, qui eam regionem incolebant, cepit. Acranhippum poſtea urbem, quæ & Acrida dicebatur, aliquandiu ſibi obſiſtentem tandem obtinuit, & in prædam militibus dedit. Meltinem deinde urbem adortus, multis ſuorum trucidatis, a Barbaris fœdè repulſus eſt. Excelſo Cercopythecorum monte deinde emenſo, ad eam regionem venit, ubi tres erant urbes, quæ a Simiis, quas veſano errore ducti incolę

Siculi in Africa urbes ſibi ſubigunt.

pro

pro deabus, velut Ægyptii canes, adorabant, Pythecuſæ nominabantur. Harum unâ ſolùm captâ, populatâque cæteras duas naturâ, & arte ſupra modum munitas expugnare cum nequiſſet, ad littoralem oram deſcendit.

Pœni cōtra Siculos ducunt. Interea Carthaginenſes eum obſidione, & inopia commeatus præmerentur, ut præſenti periculo levarentur, exercitum Duce Hannone in tres partes diviſum ad littoralia, mediterranea, & ad ſuperiora Libyæ loca emittunt. Archagatus his acceptis, exercitum ſuùm in tres & ipſe diſcriminavit acies. Eſcrioneæ enim ducem cum ſelectiſsimis militibus ad Tunetum præſidio reliquit. Partem aliam ad maritima loca educi juſsit. Tertiam ſecum tribus ferme paſsuum millibus ab illis diſtans retinuit. Hanno igitur, paratis priùs inſidiis, Eſcrionem eſt aggreſsus. Cujus peditum quatuor millibus, equitibus verò mille occiſis, victor evaſit. Himilco alter Carthaginenſium Dux, qui urbem tutabatur, Hannonis victoriâ audacior factus, preſtructis inſidiis, cum reliqua copiarum parte extra urbem egreſſus eſt. Quod cum Eumachus, qui cum octo peditum millibus, & equitibus mille pro mœnibus erat, intellexiſſet, ſtatim in eum ſe convertit. Quem Himilco, diſsimulatâ fugâ, uſque ad locum inſidiarum deduxit. Ubi repente per diſsilientes ex inſidiis milites a tergo, ab Himilcone verò retroverſo, a fronte invaſus, circumſeptuſque vix ad collem propinquum aſperrimum, & aquis indigum profugere potuit. *Zoſa. ſuperât.* Ubi dura obſidione a Carthaginenſibus cinctus, tandem toto ſuo exercitu, præter equites quadraginta, & pedites triginta, qui in pugna occubuerant, ab hoſtibus captus eſt. Cujus res geſta ubi Libyam pervaſit, ſociæ Græcorum urbes continuò fœderis oblitæ ad Carthaginenſes cum fortuna defecerunt; Archagatus verò hac clade perculſus Tunetum rediit, & per nuntium quamprimùm Agathocli rerum mutatam viciſsitudinem; & ut ſuppetias ſibi tranſmitteret, ſignificavit. Himilco victoriæ novitate elatus, & Atharbus unus ex Carthaginenſibus Dux cum intellexiſſet Archagatum viribus fractum, ad Tunetum ſalutem ſibi quæſiſſe, collecto confeſtim exercitu contra eum movent, atque non longè a Tuneto eum adoriuntur. *Tunetū obſidēt.* Verùm locorum anguſtia Græcos defendente, barbari, quos expugnare non poterant, obſidione cinxerunt; Quo evenit, ut Græci commeatus penuriam paterentur, Carthaginenſibus littoralia omnia tenentibus.

Interea Agathocles nuntio ab Archagato accepto, cum res ejus quoque in Sicilia in deterius tenderent, Dinocrate exulum Duce omnes civitates ad libertatem provocante, commendato militibus, qui cum Leptine Duce erant, Siculo bello, cum decem & ſeptem triremibus, ac decem & octò auxiliaribus navibus, quas a Tyrrhenis impetraverat, delectaque militum manu in Libyam reverti ſtatuit. *Agathocl. in claſsé Pœnorū debachatur.* Carthaginenſes præcognito Agathoclis reditu, vigintiquinque triremes armis, & militibus probè refertas contra ejus apparatum in Siculum fretum legant. Quibus in alto proſpectis, Agathocles claſſe ſua in duas partes diviſa, contra Carthaginenſium naves procedit, eaſque in medio ponit. Illi viſo velorum numero, ingenti timore percelluntur, fugamque accelerant. Sed ipſe fugientium terga remis aſſecutus quinque ex eis cepit. Carthaginenſis Præfectus, qui in Prætoria erat, veritus ne in Agathoclis manus veniret, ejuſque ſævitiam experiretur, manus in ſemet injiciens, gladio ſe tranſfixit. Prætoria

tia verò ipſa navis cum reliquis celerrimo curſu Carthaginem incolumis rediit.

Partâ bello navali victoriâ, & mari tuto ab hoſtibus reddito, Agathocles magnam frumenti copiam Syracuſas aſportari fecit, Leptinemque miſit, ut ſummis conatibus contra Agrigentum, & cæteras inimicas urbes egreſſus, earum agros hoſtiliter popularetur. Xenodicus Agrigentinorum Dux ob cladem acceptam cum apud ſuos in deſpectu eſſet, clam Leptinem & ipſe ad Agrigenti populationem invitat, cui ad id auxilium ſuum pollicetur. Igitur Leptines Agrigentum petit, omnia vaſtat, Xenodico nullas neque ei, neque ſuis ſuppetias ferente. Verùm cum a ſuis tandemcontumeliis ob id imperetur, ſive furore ſuffuſus, ſive victoriæ cupidine accenſus, incertum, repente contra fidem datam cum ſuis militibus Leptinem adoritur. Cujus conatus Leptines parvo negotio repreſſit, ſuperatumque ad Gelam uſque fugavit. Ita Agathocles terra & mari in Sicilia ſuperatis hoſtibus, in Libyam concepto itinere redire ſtatuit. *Leptines ejus dux in Sicilia hoſtes vexat.*

Sed ante, cum quoſdam Syracuſis ſibi haberet inviſos, veritus ne ſe abſente aliquid proditionis in urbe molirentur, quingentos ex eis occidit, atque ita in Libyam cum magna, quam paraverat, claſſe revertitur. Ubi ſtatim ſeditione militum, quibus ſtipendiorum ſolutio in patris adventum ab Archagato fuerat rejecta, excipitur. Porro milites ipſe ad concionem vocatos blandis verbis permulſit, ſtipendia illis non a ſe efflagitanda, ſed ab hoſte quærenda eſſe; communem victoriam, communem prædam futuram, modò dum belli reliquiæ peraguntur, paululum anniterentur, præſertim cum ſciant captam Carthaginem ſpem omnium expleturam. Hac expectatione ſedato militari tumultu, ex Græcis ſex millia, ex Celtis, Samnitibus, & Tyrrhenis totidem, ex Libycis ad decem millia pedites, equites ſupra mille quingentos coegit; currus verò Libycos ſupra ſex millia inſtruxit. *In Libyā redit.*

Subinde contra Carthaginenſes, qui in locis naturâ munitis, & commeatu refertis caſtrametati erant, exercitum educit. Sed cum ob locorum anguſtiam Agathocles omnino pugnare cogeretur, Barbaros aggreditur, & initio quidem pugnæ ſtrenuè dimicavit; proceſſu verò, cum Carthaginenſes militum numero præſtarent, & ſitu ipſo defenderentur, fortiſſimè reſiſtendo Græcos primùm retro pedem ferre compellunt; mox (quinque Libycorum millibus Agathoclem deſerentibus) tria hoſtium millia cedunt; reliquos verò cum ipſo Agathocle fugant. Ceterùm cum parta victoria captivorum corpora, & quidem ſpecioſiſſima, ſuo more Saturno ſacrificaturi focis ignem ſubjeciſſent, flamma quidem hoſtes primùm abſumpſit; ſed vento deinde elata omnia Carthaginenſium tentoria, & ipſam quoque aram, ac plurimos Barbarorum exuſſit. Ita neſarium, ac ſævum ſacrificium offerentibus extitit ſæviſſimum. Libyci præterea milites, qui fœdus Agathocli violaverant, cum noctu Carthaginem tentarent, a Pœnis pro hoſtibus exiſtimati inimico impetu invaduntur; initâ pugnâ ex ſociis utrinque ad quinque millia ceciderunt. Errore tandem cognito, qui ex Libycis ſuperfuerunt, urbem ſunt ingreſſi. *Contra Pœnos pugnat, & vincitur.* *Ignis Pœnorū caſtra invadit.*

Eadem nocte ignis Agathoclis tabernacula invaſit, omniaque paſſim exuſſit. Carthaginenſes, viſis Græcorum incendiis, fugam capiunt. Sed Agathocles eorum tumultu audito, ratus ſe ab inſequen-

tibus peti, in fugam & ipſe cum ſuis convertitur, ac demum in Libycos milites incidit; ubi tumultuariè pugnâ nocturnâ inceptâ, Græcorum ſupra quatuor millia occubuere, atque ita una, eademque nox utrique exercitui exitium, ac cladem ingentem attulit. Agathocles majore jam exercitus parte amiſſa, nec viribus cum hoſte par, conſilii inops, dum anxiè ſecum ſuas miſeriss pendit, ad tutius conſilium ſe parat. Pugnare ulteriùs periculoſum, Libya verò cedere, & Syracuſas redire fœdiſſimum; tot præterea milites tanti belli ſocios, quos claſſe ſecum vehere non poterat, in manibus hoſtium relinquere, impium ducebat. Tandem neceſſitate viam monſtrante, noctu Heraclidem juniorem filium navem clam aſcendere juſsit. Archagatum verò, tum quòd cum noverca rem habuerat, tum quòd naturâ ad quidvis audendum pronus videbatur, veritus ne Syrscuſis inſidias ſibi moliretur, in Libya relinquere decreverat.

Agath. viribus fractis Libya cedit.

Sed non latuit Archagatum patris animus; nefariumque ratus inter hoſtes deſeri, contra quos tot fœlicia non ſine maximo ſuo periculo prælia iniiſſet, correptis armis & patris, & Ducum, qui ei ad id conſenſerant, ſævitiam ulciſci ſtatuit. Sed priùs exploratores fidiſsimos deligit, per quos quid pater ageret, renuntiari ſibi imperat. Quem ubi jam in portu diſceſsum ſtruere certò per eos cognovit, inſtiuctis militibus, ut ſe ſequantur, hortatus, ad littus progreditur, ubi in Agathoclis Duces ad diſceſſum paratos irruens omnes perimit; mox Agathoclem in carcerem conjicit. Adveſperaſcente cum falſus rumor ſubortus eſſet, conſertiſsimum exercitum Carthaginenſium ad capiendum Agathoclem citato curſu adveniſſe, qui eum in vinculis teriebant, ne in manus hoſtium veniret, liberum dimiſerunt. Qui tanto periculo ereptus, quo ſuæ ſaluti conſuleret, relictis filiis, & exercitu, paucis cum militibus naves, cum quibus e Sicilia advenerat, inſcendens, e Libya raptim, licèt hyems ad occaſum plejadum eſſet, qui quietem potiùs a navigatione ſuadere videretur, ſolvit, & ſecundante vento, paucis diebus Syracuſas delatus eſt. Exemplum flagitii ſanè ſingulariſsimum: Rex exercitus ſui deſertor, pater filiorum proditor. Cujus fugam ut ejus in Libya exercitus cognovit, non ſecus ac ſi ab hoſtibus captus eſſet, animis corruere, querebanturque, quòd ſecundò jam ab Agathocle in mediis hoſtibus relictis nullus ultra locus, ac ne ſepulturæ quidem ſpes ſupereſſet.

Milites ſeſe illi opponunt.

In deſperationem igitur acti Archagatum, & Heraclidem Agathoclis filios capiunt, ac trucidant. Dum Archagatus ab Arceſilao Antipatris amico occidendus teneretur, eum interrogavit: Quid ſuis liberis Agathoclem facturum aibitraretur: reſpondiſſe fertur, ſatis ſe habere, quòd ſuperſtites Agathoclis liberis ſint. Punitâ itaque patris filiorum ſanguine injuria, milites pactione cum Carthaginenſibus facts, & ſe, & oppida a ſe ante capta, receptis prius undeviginti talentis, tradidere. Carthaginenſes verò deinde Præfectos Agathoclis, quos in recuperatis urbibus præſidiarios ceperant, cruci affigunt. Græcos verò, qui eorum fata vaſtaverant, ad ea propriis laboribus reſtituenda condemnant. Ita anno poſt Agathoclis in Libyam acceſſum quartò Carthaginenſes cladibus liberati, omnia infœlici bello amiſſa recuperant. Erant adhuc in Libya milites græci plerique, qui Carthaginenſibus non adhæſerant. Hi clam ſumpto navigio in Siciliam ad profugum Regem pervecti, Soloentum urbem incolendam obtinuere.

Agathoc. filios trucidant.

Pœnis urbes cedunt.

Car-

Carthaginenſes poſt hæc in Libya pulſo foras hoſte, ad perſequendas Siculi belli reliquias duces in Siciliam mittunt. Sed Agathocles non multò poſt pace cum illis æquis conditionibus ſancita, belli difficultates prævenit, ac deinde cum victus inopiâ premeretur, aſſumptis militibus, quos ſuperſtites in Sicilia habebat, Ægeſtam urbem populo frequentem, quæ ſecum fœdere antea juncta convenerat, petiit, quò ingreſſus Ægeſtanos omnes proditionis inſimulat, maximamque pecuniæ ſummam ab eis pendendam coegit, e quibus poſtmodum quotquot ſibi infenſos cognovit, extra civitatem ad Scamandrum fluvium interfici juſſit. Divites, qui pecunias ſolvere recuſabant, ſagittis transfodiebat; Pleroſque divitiarum diſſimulatores aſtragalo, quod torturæ taxillariæ genus eſt, torquebat. Stratum prętereà æneum ad humani corporis menſuram fabricavit, in quo reos membris omnibus impoſitos ſubjecto igne comburebat. Mulierum etiam divitum ad aurum proferendum vel talos clavis ferreis perforabat, vel mammas diſſecabat. Prægnantium capita, ventrem, ac fœtum gravi lapidum pondere premebat; virgines denique, ac pueros in Italiam ductos Brutiis vendidit. Hac igitur ſævitia Agathocles pecuniam ab Ægeſtanis extorquebat. Cujus tyrannide plerique in deſperationem adducti, vel necem ferro ſibi conſciſcebant, vel ultro in ignem ſeſe præcipitabant. *Pax inter Pœnos, & Agathoclem.* *Ægeſtæ direptio, & clades.*

Hac immanitate cum Ægeſtam urbem pœnitus exinaniſſet; priori ejus abolito nomine, Dicæapolim deinceps, hoc eſt juſtam civitatem appellari voluit, & fugitivis advenis eam ad habitandum diviſit. Quibus confectis cum poſtmodum Archagati, & Heraclidis filiorum cædem per famam didiciſſet militibus necis authoribus primùm proſcriptis, eorum conſanguineos, qui Syracuſis erant, Antandro fratri trucidandos commiſit. Qui adeo crudeliter mandato perfunctus eſt; ut non ſolùm parentes, & cæteros omnes idoneæ ætatis, qui aliquo affinitatis gradu eos attingebant, ſed & infantes etiam ipſos innoxios interfecerit. Quorum omnium deinde corpora ad mare in omnium conſpectu projici voluit, cavitque ſub capitis multa, ne quis vel luctu, vel aliquo pietatis officio peremptos proſequeretur. Poſt hæc veritus ne Siculi ad libertatem vindicandam inſurgerent, urbes ſingulas opere, & militibus muniens, cives omnes proſcriptis bonis in pauperiem adegit. Quem ea occaſione cum plerique Syracuſanorum proceres interrogarent, cur adeo inſolenter, & ſublimiter Principatum gereret, cum nec patritius, nec nobilis, nec Princeps, neque principum natalibus eſſet ortus, reſpondiſſe fertur: licèt neque patritius, neque nobilis, neque Princeps fuerim, is tamen ſum, qui volo, poſſum, debeo, & ſcio patritiis, nobilibus, atque principibus imperitare. *Milites filiorũ homicidas punit.* *Agathocl. ſuperbũ reſpõſũ.*

Interea Paſiphilus Dux rumore cladium, quas in Libya Agathocles acceperat, reſumptis contra eum animis, cum Dinocrate ſocietatem iniit. Quo audito, Agathocles ad fraudem ſe convertit. Legatos itaque ad Dinocratem mittit, per quos ſe Tyrannidem depoſiturum, & Syracuſanis libertatem reſtituturum, ac ipſum, & cæteros exules ab exilio revocaturum, Imeramque, & Cephaledim pro habitatione ſe delecturum pollicetur. At Dinocrates monarchiæ ambitione incenſus, cum pedites ſupra viginti millia, equitum verò ad tria millia haberet, & ad facinus patrandum idoneum tempus eſſe judicaret, nec Imeram, & Cephaledim roganti concedere, ne- *Dinocrates exul cõtra Agathoclem.*

que minus pacem cum eo facere voluit. Quocirca Agathocles per legatos primùm cæteris exulibus Dinocratem accuſat; quòd ille impedimentum præſtiterit, quominus ipſi in patriam remitterentur.

Carthaginenſibus quoque per nuntios urbes Phœnicum omnes, quotquot ceperat, reſtituit, qui pro beneficii remuneratione pace cum eo facta, quadringenta auri, & argenti talenta, frumenti verò medimnos centum Agathocli obtulere. Quibus munitior factus, tametſi quinque dumtaxat millia peditum, equites verò tantùm mille haberet, contra Dinocratem, qui tum ingentem habebat exercitum, movet, atque non longè ab hoſtibus ad locum, qui Gorgius eo tempore dicebatur, caſtrametatus eſt. Dato igitur ſigno, pugnam iniit, in cujus initio fortuna verſabilis arridere illi viſa eſt. Duo namque millia ex Dinocratis copiis ad eum transfugerunt. Quo viſo exules, qui cum Dinocrate erant, territi in fugam nullo cogente vertuntur. Quos uſque ad quoddam bivium inſecutus, per nuntios veterem eis amicitiam commemorat, beneficia olim ab eo ipſis præſtita maxima exponit; ac demum reditum ad patriam ſpondet. Ejus verbis exules allecti ad locum, qui Ambicas dicitur, venerunt; ibique pacem cum Agathocle fecerunt. Erant porro numero ſeptem millia, ut Timæus tradit, licèt quatuor tantùm millia alii connumerent. Quos omnes Agathocles ubi illuxit, cum ducibus, tribuniſque ſuis, rupto fœdere, armis ſpoliat, ſagittiſque configit. Genuinum namque ei fuit incerta ſemper fide vivere, & juramenti violatorem eſſe.

Agathocl. adverſus Dinocratem.

Exules ad ſe allicit, quos trucidat.

Poſt hæc cum Dinocrate, & ſociis ejus pacem fecit, quem exercitus ducem Agathocles inſtituit, cui illibatæ amicitiæ jus ſemper ille ſervavit. Dein Dinocrates Gelam petens Paſiphilum, & cæteros confœderatos ſocios, qui ibi erant, prodidit, omnibuſque interfectis, Gelam ipſam, cæteraſque urbes, quæ ſibi parebant, unius anni ſpatio in manus Agathoclis dedit. Quibus receptis, Syracuſis prope inſulam domum inſignem, quam Lectorum ſexaginta cognomento dixerunt, omnia Siciliæ ædificia, ac ſacras quoque ædes amplitudine, ſtructurâ, & eminentiâ ſuperantem (Diodoro in Philippo referente) conſtruxit. Poſt hæc Agathocles partâ prope totâ Siciliâ, quaſi anguſtæ inſulæ terminis clauderetur, in Italos vires ſuas experiri decrevit, Dionyſium imitatus, qui multas Italiæ civitates ſibi ſubegerat. Exercitum itaque in Brutios trajecit; qui principio ejus adventus metu concuſſi, ei ſe ſubjiciunt. Brutiorum ſuſcepto imperio in Hippone eorum urbe, quam Vibonam, & Valentiam poſtea appellaverunt, (Strabone teſte) nobile condidit Emporium. (17)

Domū Go. Lectrá extruit.

Subinde contra Liparenſes navigat. Sed acceptis ab eis auri talentis centum, (18) pacem cum eis quoque fecit. Cæterùm cum ea homini avido ad explendam ſitim non ſufficerent, illique nihil auri aliud ſe habere, niſi quo Æoli, & Vulcani templa ditaverant, reſpondiſſent, ipſe per templa Deorum graſſatus, magna vi quicquid auri ibi reperit, abſtulit. Liparâ deinde cum undecim navibus auro onuſtis diſceſſit. Dum autem in medio curſus eſſet, ſuborta tempeſtate naves omnes, quæ aurum deferebant, cum ipſo auro ſubmerſæ ſunt, Agathocle ſolùm cum una triremi incolume Syracuſas applicante. Ubi ratus ita Vulcani naufragium ſibi obveniſſe, quo eum placaret, ſponte in ignem præcipitatus, vivus (ut Diodorus ſcribit) combuſtus eſt. (19) Trogus diverſum mortis ejus genus recenſet. Refert enim, quòd cum a Brutiis in Siciliam reverſus eſſet, paucis

Liparenſes expilat.

poſt

poſt diebus repente in morbum per omnes nervos, venaſque humore tabido graſſantem; incidерit. Quo ingraveſcente, inter natum minimum, & nepotem Archagato genitum contentione de Regno exorta, cum alter alteri inſidiaretur, occiſo filio, nepos regnum omne ſibi occupavit.

Erat tum Agathocli Theogenia Ægyptia coniux, & parvuli liberi, quos ex illa ſuſceperat, duo. Quos ipſe ubi nullam ſibi vincendi morbi ſpem ſupereſſe, & illis poſt ejus interitum, aut carceres, aut ſervitutem inſtare videret, providus cum omni gaza, omnique apparatu regio, quo nemo ea ætate fuit ſplendidior, navi impoſitos cum ſummo & ſuo, & uxoris, & filiorum luctu in Ægyptum tranſmiſit. (20) Quibus abſentibus ipſe miſer, orbus, deſertus, anxiuſque annos jam quinque & nonaginta ætatis egreſſus; (21) ut Demochares, & Timæus prodiderunt, fato functus eſt, humilior ne vitæ ejus introitus, an exitus fuerit, incertum. (22) *Morbo extreme corripitur.*

1 Diodorus lib. XIX. *Carcinus quum Thermenſem fœminam in matrimonium ductam gravidam feciſſet, crebro in ſomnis perturbatur. Anxius igitur de nova prole Carthaginienſibus Theoris quibuſdam Delphos adituris negotium dedit, ut de fœtu in lucem edendo Deum conſulerent. Quibus diligenter munere ſibi injuncto fungentibus oraculum edit: Natum illum Carthaginienſibus, totique Siciliæ maximarum authorem calamitatum fore.* Delphicus igitur Apollo conſultus a Carcino, non Archageta, ſive Naxius, qui ſub Tauromenio colebatur. Quòd Thermas porro Himerenſes, non Selinuntinas Carcinus incoluiſſet, leviſſimis conjecturis Bonannus lib. 2. affirmat.

2 Idem Diodorus ibidem: *Mater autem filii ſtatuam lapideam in quodam loco poſuerat, ad quam examen apum conſidens, ceram in coxis figere cepit.*

3 Antandri, qui hiſtorias conſcripſit, Agathoclis fratris meminit in hac expeditione Diodorus, ducemque militum eumdem dicit; poſtque Crotonenſe bellum Soſiſtratum patriæ principatum occupaſſe memorat, a quo dejectus ſubinde fuit, abrogatoque principatu, Democratiam Syracuſis fuiſſe inſtitutam, ſive multorum præfecturam, qui ad ſexcentos excrevere, omnes nobilitate præſtantes.

4 Quæ fuerit belli cauſa inter Syracuſanos, & Gelenſes omnino obſcurum. Soſiſtratum fortaſſe illius authorem putaverim, qui ejectus e patria cum ſuis, exul agebat. Verùm Agathocles ex Diodoro cum ſuis neutiquam Syracuſas ingreſſus, ſed Gelam noctu irrupit, cui Soſiſtratus eam urbem contra Syracuſanos tutans occurrit, tercentis ex ejus ſociis interfectis. Fugatus Agathocles, vulneribuſque confectus, ut evaderet, Tubicines ad utramque muri partem bellicum canere juſſit. Hinc *qui ex Gela*, verba Diodori ſunt, *civibus propugnatum venerant, rei veritatem ob noctis tenebras proſpicere non valentes, aliam Syracuſanorum manum ad utramque muri partem irruiſſe opinati, ab inſecutione deſtiterunt; & diviſo bifariam agmine, ad tubarum ſonitum concurſu facto, ſe tutatum ibant. Interea cum ſuis Agathocles ſpatium nactus quàm citiſſimè ad vallum ſe recepit.* Hæc omnino diverſa ab iis, quæ hic Fazellus infarcit.

5 Et in his quoque noſter Author Diodoro adverſatur; habet enim: *Poſt hæc imperatore Syracuſis creato Aceſtoride Corinthio, affectare tyrannidem exiſtimatus Agathocles ob prudentiam, ſalutis periculum ſubterfugit. Nam Aceſtorides metu ſeditionis apertè hominem e medio tollere nolens, illum urbe excedere juſſit, & qui noctu in via ipſum trucidarent, amandavit.*

6 Piſarchus, & Decleus malè conjuratorum præfecti dicuntur. En Diodori verba: *Ubi parata erant omnia, ut prima luce ad Timoleontium ſibi adeſſent*

eſſent militibus Agathocles edixit. Ipſe interim Piſarchum, & Decleu; qui collegio ſexcentorum praeſſe videbantur, quaſi de publico cum ipſis commodo ſermonem habiturus, acceꝛſit. Hi quum aſſumptis amicorum XL. veniſſent, inſidiis ſe circumveniri ſimulans, omnes comprehendit, & ad milites criminatus prætendit, ob benevolentiam erga populum a ſexcentis rapi ſe ad ſupplicium. His accenſa plebs pœnas injuriæ authoribus inferendas exclamat.

7 Cæſorum numerum millia quatuor vix exceſſiſſe laudatus Diodorus ſcribit; multitudo autem e patria ejectorum ſupra ſex millia fuit.

8 Caſtellum quoddam ad Meſſanenſes ſpectans Agathocles ex Diodoro occupavit; ſubinde urbem ipſam invadere conſtituit.

9 Acrotatus hic dicebatur ex Diodoro, qui inſidiis a ſuis petitus, rerum peregrinarum percupidus erat. Solvit autem citra Ephorum ſententiam, quorum decreta Spartani religioſè verebantur. In Adriam autem tempeſtate vexatus veniens, Apolloniatarum territorio appulit. Quod igitur de Adria urbe Fazellus ſcribit, minimè procedit. Adriæ quippe nomine Adriaticum ſinum intelligit Diodorus.

10 Soſiſtratus dolo e medio ſublatus ab Acrotato Lacedæmone dicitur apud Diodorum. *Tandem Soſiſtratum inter exules clariſſimum, qui ſæpe ductor copiarum fuerat, ad cœnam invitatum dolo interimit.* Quo pacto igitur hùc illum Fazellus inducit?

11 Mactatos ex Meſſanenſibus, & Tauromenitanis, qui ſibi fuerant adverſati, ſexcentos, laudatus Diodorus recenſet. Subdit inde: *Meſſenios ergo, quòd hoſpites ſibi benevolentiſſimos, & quibus ad ulciſtendum Tyrannum uſi fuerant, urbe pepuliſſent, civeſque Principi maximè infeſtos viderent ſublatos, pœnitendo factorum inceſſit, eminentiâ tamen victoris exterriti tolerare cogebantur. Cæterùm Agathocles contra Agrigentum inde movit, ut hanc quoque urbem prædam ſibi faceret; ſed quia Carthaginienſes LX. navium claſſe appulerant, a propoſito deſtitit.*

12 Stratagemmate uſus Agathocles milites ſuos Gelam induxit; paucos enim paulatim, quaſi res alias curantes intromiſit, donec numero longè oppidanos ſuperarent; tum illuc profectus proditionis Geloos poſtulat, & defectionis.

13 Vide quæ de hac Agathoclis caſtrametatione diximus decad. primæ lib. 4. cap. 3. ubi de Gelæ urbis vero ſitu.

14 *Ad Himeram uſque fluvium* Diodorus habet. Gelam idcirco Fazellus hic memorat, quod utrumque amnem confundit, uti loco jam laudato adnotavimus.

15 Salſas meridionalis Himera aquas habet, non Gela; ſed enim uterque idem & unus eſt fluvius Fazello.

16 Leptinem amiſiſſe in hac Cephaledis expugnatione Agathoclem falsò Fazellus tradit, quin ex Diodoro Leptines, Cephaledio expugnato, eidem urbi a Tyranno præfectus dicitur. Idem Fazellus paulò infra Leptinis meminit, relictumque ab Agathocle ad Siculum bellum conficiendum dicit.

17 Poſt initam cum Dinocrate ſocietatem Agathoclem Liparam inſulam expilaſſe Diodorus enarrat lib. xx. Triennio verò circiter elapſo, utì idem in Eclogis lib. 21. teſtatur, Corcyram navalibus, & pedeſtribus copiis a Caſſandro Macedonum Rege circumſeſſam, jamque expugnandam Agathocles Rex Siciliæ liberavit, univerſis Macedonum navigiis incenſis.

Subinde ad relictum exercitum poſt reditum e Corcyra profectus, quum audiviſſet Ligures, & Tyrrhenos, quos olim mercenarios in Africam conduxerat, occurriſſe, memor ex illis eſſe, qui filium ejus Archagatum interemerant, eos ad unum trucidavit duobus millibus haud pauciores; ob quę quum alienati eſſent ab eo Brutii, oppidum illorum Ethas nomine obſidere in-

inſtituit, At verò Barbari magnis coactis vleibus noctu ex improviſo illum adociuntuc; hinc qnatuoc millibus ex ſuis amiſſis, Sycacuſas rediit. Nec diu poſt coactia curſus navalibus copiis, iu Italiam teansfretavit, advecſus Cotrooem ducece in animo habens; ut ſuum veeò conſilium hoſtes latecet, nuotium ad Meoudemum, qui amicus illi ecat, miſit, ne tucbaretur, filiamque Lanaſſam in Epicum ad nuptias mittere cegia ocnatam claſſe ſimulavit. Ceotooiates hinc impacatos offendeos, urbem obſidet, atque a maci ad mare mœnia ciccumdat. Quumque machioarum, & foſſæ adjumento domum maximam dieuiſſet, Ceotoniatæ id coolpicati, apertis peæ metu portis, Agathoclem, exercitumque recepecuot. Qui icfuptione in oppidum facta, ædes dicipuerunt, vicoſqne trucidarunt. Rex verò cum Barbaris Lapycibus, & Peucetiis ſocietatem aemorum iolit, naveſque peædatocias ſubminiſtrans, partes de prædis accepit. Taodem peæſidio ad Cotconem celicto, Syeacuſas cenavigavit.

Sequenti anno vi militum coacta io Italiam trajecit, peditum millia xxx. equitum millia duo ſub ſignis habens; navalibuſqoe copiis Stilponi traditis, Brutiorum ageum peædis ageodis infeſtum habuit. Stilpo dum claſſe mare infeſtum reddit, in tempeſtatem incidens complures oaves amittit. Agathocles autem Hipponiatacum uebe ciccumſeſſa, petraciis machinis adjutus urbem cepit, & io poteſtatem cedegit; quo perculſi infortunio Beutii de pace legatos mittont. Sexcentis igituc obſidibus acceptis, præſidioque inibi relicto, Syeacuſas redit. At Brutii juramento minimè ſeevato, omni civitatis roboce milites oppugnant, ipſuſque concidunt, & recuperatis obſidibus, ab imperio Agathoclis ſeſe vindicant. An contra Brutlos fœdiſeagos ſubinde bellum geſſerit Tyeannns incertum, deſunt enim in Diodoci libeo xxi. complora, nec niſi illius Excerpta habemus, quæ Fazellus noo vidit. In iis ſubditur: *Agatbocles filium Agathoclem miſit ad Regem Demetrium, ut ſociale armorum fædus cum illo faceret. Rex juvenem lubens ſuſcepit, regiâque amictum ſtolâ douis cumulavit magnificis, cumque eo unum ex amicis Oxythemim dimiſit, opinione quidem confirmandæ per acceptam fidem ſocietatis, at re ipſa ut ſpeculator foret Siciliæ* .... Reliqua in eiſdem Eclogis de Agathocle habes ſequentibus numeeis

18 Quinquaginta ab Liparenſibus exegiſſe acgeotea talenta Diodorus teſtatuc; en illius veeba: *In Sicilia Agathocles Liparæos pace fruentes ex improviſo adortus quinquaginta argenti talenta, ne minimâ quidem laceſſitus injuriâ, exegit.... Orabant tunc Liparenſes, ut ad ſolutionem pecuniæ, quæ ſummæ deerat, tempus ſibi concederetur, negantes ſe unquam hactenus ſacris donariis abuſos. At Agathocles pecuniam in Prytanæo repoſitam, cujus pars Æoli, pars Vulcani inſcriptum babebat, illos dare coegit.*

19 De mocte Agathoclis hæc idem habet Diodoros in Eclogis lib. xxi. *Rex Agathocles, ubi longam pacem cum Carthaginienſibus coluiſſet, magnos tandem copiarum navalium apparatus faciebat. Iterum namque caſtra in Libyam transportare, navibuſque frumenti ex Sardinia, & Sicilia exportationem Pœnis intercludere animo ſuo propoſuerat. Superiori enim per Africam bello maris imperium adepti Carthaginienſes patriam e periculis in tutum collocarant. Etſi autem naves habebat Agathocles omni inſtructas copia biſcentum quadriremes, & hexeres, ad finem tamen, quod moliebatur, non perduxit, bis de cauſis. Ægeſtanus quidam genere, Manon apud illum erat, qui excidio Patriæ captus, in ſervitium Regis ob formæ elegantiam adſcitus erat. Et ad tempus quidem perplacere ſibi conditionem ſimulabat, adeout unus ex armatis, & amicis Regis numeraretur; ſed quia ob patriæ calamitatem, ſuique propudioſam dehoneſtationem clam Principi infenſus erat, ultionis de illo ſumendæ tempus arripuit. Rex enim jam ſenio affectus; ſubſidiares copias Archagato commiſerat. Is Archagati in Libya ma-*

ctati

gati filius erat; atque ita Regis Agathoclis nepos, virili ſtrenuitate, atque generoſi animi audaciâ longe cæteros ex delectu ſupergrediens; qui quum circa Ætnam caſtra haberet, Rex ad ſucceſſionem regni filium Agathoclem provehere cupiens, primùm Syracuſanis adoleſcentem commendat, & hunc imperii ſucceſſorem relicturum ſe denunciat. Poſtea in caſtra illum mittit, ſcriptiſque ad Archagatum literis terreſtres, & nauticas copias ei tradere jubet. Quare in alium devolvi regnum videns Archagatus, utrique inſidias tendit. Ad Mænonem enim Ægeſtanum miſſo nuntio, ut veneno Regem tollat, perſuadet; ipſeque ſacris in inſula quadam celebratis, quum Agathoclem navigio illuc delatum epulo excepiſſet, nocte inebriatum jugulat. Cumque ejus cadaver in mare dejectum ad terram fluctus expuiſſet, agnitum id incolæ Syracuſas retulerunt.

Quum autem Rex in more haberet, ut ſemper a cœna dentes repurgaſſet, compotatione tum deſurgens, ſcalptrum expetebat. Tum Mæno putrefaciente veneno illitum hoc ei tradebat; qui copioſius per errorem illo utens, carnem dentibus circum undique contingebat. Unde primò continuæ ægritudines exortæ, & cruciatus in dies vehementiores, deinde immedicabilis putredo undique dentes complexa. Morti ergo proximus populo in concionem advocato, impietatem Archagati accuſare, & multitudinem ad vindictam de illo ſumendam incitare, Democratiam populo ſe jam reſtituturum confirmans. Poſt hæc extremè jam afflictum in rogo depoſuit Oxythemis a Rege Demetrio pridem miſſus, & ſpirantem adhuc cremavit, quum propter mali ex putrefactione inſolentiam vocem emittere non valeret. Ita Agathocles quum plurimas, diverſiſſimaſque cædes imperii ſui tempore edidiſſet, & crudelitati in ſuæ gentis homines, impietatem in Deos accumulaſſet, dignum ſceleribus exitum vitæ exhibuit, poſtquam duodetriginta annos in principatu, ſeptuagintaduos in vita exegerat, uti Timæus ſcribit, Callias viginti duorum librorum author; Antander præterea Agathoclis frater, qui etiam hiſtorias ſcripſit. Hactenus Diodorus lib. 20.

20 Libet hic ex Trogo ejuſque epithomatore Juſtino de hoc uxoris, & filiorum Agathoclis diſceſſu nonnulla ſubdere: *Uxor diu ne ab ægro divelleretur deprecata eſt, ne diſceſſus ſuus adjungi nepotis parricidio poſſet. Diſcedentes parvuli flebili ululatu ampiexi patrem tenebant; ex altera parte uxor maritum non amplius viſura oſculis fatigabat. Nec minus ſenis lacrymæ miſerabiles erant .... Tandem lacrymis finem neceſſitas profectionis impoſuit, & mors Regis proficiſcentes filios ſecuta eſt.*

21 Tyranni ætatem clariſſimè indicavit jam ſupra Diodorus; duos nempe & ſeptuaginta annos in vita illum exegiſſe commemorans ex Timæo, Callia, & Antandro.

22 Tyranno decedente, Syracuſani popularem ſtatum adepti illius bona publicarunt, imagineſque illi poſitas convulſerunt; Mænon interim, qui Regi inſidias ſtruxerat, in caſtris Archagati fugâ Syracuſis elapſus verſabatur, criſtaſque ob hoc erigens, quòd regnum abrogaſſe videretur, Archagatum dolo interfecit, exercituque potitus, quum milites verborum humanitate ſibi conciliaſſet, bellum Syracuſis facere conſtituit, & principatum ſibi vendicare. Syracuſani Hicetam Prætorem, ut adverſus Mænonem duceret dimiſerunt; Is ad tempus bellum gerebat, detrectantibus pugnam, nec ullo modo in aciem deſcendentibus contrariis. Cumque Mænonis ſe partibus Carthaginienſes adjungerent, copiiſque multum prævalerent, coacti ſunt Syracuſii, datis quadringentis obſidibus, bellum cum Pœnis diſſolvere, exuleſque reducere. Mercenarii dehinc in electione magiſtratuum ſeſe fraudatos videntes, ſeditione urbem repleverunt; dumque correptis armis ita diſſident Syracuſani, & conductitii milites, tandem ſeniores vix multis apud utroſque precibus miſſa legatione obtinuerunt, ut a tumultu deſiſterent; hac equidem conditione, ut mercenarii ſtato tempore diſtractis facultatibus, Siciliâ excederent. His ita verificatis Peregrini ex compacto Syracuſis emigrarunt, & ad fretum progreſſi ſunt.

Digitized by Google

DE MAMERTINIS MESSANAM OCCUPANTIBUS, ET PYRRHO SICILIÆ REGE.

CAPUT SECUNDUM.

DEfunčto Agathocle, Mamertini Barbarum genus hominum (1) a Marte, ſive a Mamertio oppido ita nuncupati, qui diu ſub Agathocle militaverant, cum a militia, armorumque exercitio vacui, ſtipendia nulla mererent, per univerſam inſulam otioſi, paſſimque omnia deprædantes vagabantur. Meſſanam autem cum veniſſent, demortui Agathoclis amicitiâ intrà mœnia recepti ſunt. Verùm cum urbis ſplendorem, ac opulentiam mirarentur, cupidine ejus potiundæ capti, conſilium per conjurationem occupandi in ea incolatus perpetui clam ineunt; nec quicquam eorum animis (præter temporis opportunitatem) deerat. Ubi verò patrandi ſceleris occaſio ſeſe obtulit, urbem amicam, & fidei eorum creditam, nihilque tale promeritam, violato fœdere ex compoſito ſtrictis enſibus, ſublatiſque in cœlum clamoribus, invadunt. Meſſanenſes quid eis acciderit, ignari, alii aliud opinati, inermes proſiliunt, in quos fœdifragi hoſpites irruentes ſubita cæde trucidant; uxores, liberos, fortunas, agroſque eorum, prout cuique medio conflictu ſors obtulit, inter ſeſe partiuntur. Cives alii re comperta deſertis penatibus, & liberis quà evadere poterant, urbe transfugiunt, tutius rati in belli repentino tumultu ſecedere. Prædones itaque hi pulcherrimæ, opulentiſſimæque urbis compotes facti, nec virginibus, nec matronis abſtinuere, ſed promiſcuas quaſvis in libidinem ſuam, & necem pertrahentes multò immitiùs, inhoneſtiùſque ſe habebant, quàm ſi e media barbarie advenæ hoſtes in eas, ac jure, & meritò captam urbem, ſævirent. Quo facto non Meſſanenſes, ſed Mamertini nuncupari cœperunt, urbemque non ſolùm fortiter tutabantur, ſed & eò audaciæ proceſſerant, ut in pleraſque Græcorum civitates infeſtis incurſionibus vexarent.

Mamertini unde dicti.

Meſſanam invadunt, & ſibi occupant.

Interea Rhegini ob Pyrrhi Epirotarum Regis in Italiam contra Romanos adventum terrore perculſi, auxilium a Romanis poſtularunt, quibus Romani unam Romanorum (ſi Polybio) vel Campanorum (ſi Livio credimus) Legionem in præſidium miſere, qua tuta diu civitas manſit. Sed cum diuturnior aliquantò ibi mora traheretur, Romani milites turpe Mamertinorum exemplum imitati, violato fœdere, ex præſidiariis hoſtes devenere; urbemque repente invadentes, incolas partim cædunt, quoſdam pellunt, eorumque inter ſe fortunas dividunt; & denique cum Mamertinis & freto, & ſcelere juncti, fœdus etiam copularunt. Cum Romam hæc celeri nuntio delata ſunt, licèt Rheginorum ærumnoſam conditionem populus Romanus graviter ferret, ultionem tamen uſque ad finem belli, quod cum Pyrrho gerebat, prudenter diſſimulavit. Quo poſtmodum confecto, partâque contra Pyrrhum victoriâ, Romani militum ſuorum facinus punire meminerunt. Inſtructum igitur exercitum contra Rhegium mittunt, urbem obſident, ac expugnant, cæſiſque facinoroſis auxiliaribus, urbem Rheginis reſtituunt. (2)

Rhegiū quoq: Căpani prodũt.

Pœni bellũ in Siciliagerunt.

Eodem ferme tempore Carthaginenſes cognita Agathoclis morte, & nonnullis aliis Siciliæ motibus, occaſionem totius inſulæ occupandæ ſibi præſtitam exiſtimantes, magnis copiis in Siciliam trajiciunt, ibique plures urbes, quas Agathocle regnante amiſerant, magna vi vel ſubigunt, vel ad deditionem compellunt. Siculi itaque Pœnorun viribus circumventi ad Pyrrhum, qui Agathoclis eorum Regis gener erat, ex cujus filia Helenum, & Alexandrum filios ſuſceperat, quique tum in Italiam a Tarentinis iterata legatione revocatus contra Romanos redierat, legatos mittunt, eumque ad pellendum e Sicilia Carthaginenſes, liberandamque a Tyrannis inſulam ſolicitant. Aliis Agrigentum, multis Syracuſas, pleriſque Leontinum ei offerentibus. (3)

Pyrrhus a Siculis evocatur.

Sub idem tempus ad eumdem ex Græcia legati venere, qui nuntiata Ptolemæi Cerauni a Galatis cum exercitu peremptione, pro Macedonibus auxilia ab eo magnis precibus implorabant. Quem duabus iis legationibus auditis conſtitiſſe, atque de fortuna conqueſtum fuiſſe Plutarchus refert, quòd plurimarum rerum gerendarum occaſiones in unum idemque tempus ſibi congeſſiſſet. Tandem cum duobus ſimul officiis integrè ſungi nequiret, conſultò ad Siciliam petendam veluti inſtrumentum belli in Libyam transferendi animum adjecit, Præmiſit autem eò paulò antequam perveniret, Cyneam Theſſalum, qui civitatum ſtudia ſibi conciliaret. Erat namque is magni ingenii vir, & qui Demoſthene diu audito, ad imitationem ejus maximam vim dicendi aſſecutus fuerat. Qui dum Pyrrhi convictu frueretur, ſæpe ab eo ad urbium conciones, legationeſque miſſus, utilem ei ſæpe antè operam præſtiterat, pluresque civitates Pyrrho facundiâ, quàm ipſe ſibi bello acquiſiverat. Cyneas itaque in Siciliam appulſus more ſuo præfatus, civitates ad fidem Pyrrho præſtandam induxit, quem ſubinde Pyrrhus (præſidio apud Tarentum relicto) eodem ſecutus eſt. Cujus in Siciliam adventu non parùm Carthaginenſium audacia compreſſa eſt; quippe quoniam conjunctis ejus cum Siculorum copiis, magno animo obviam hoſtibus itum eſt. Major civitatum pars recuperata, excurſiones prohibitæ, eorum, qui cum Pœnis conflictabantur, ſpes aucta; illis, qui exterriti erant, metus fugatus.

Cyneã legatũ præmittit.

In inſulã trajicit.

Siciliæ Rex ſalutatur.

Ubi verò Pyrrhus Syracuſas totius tunc Inſulæ caput, ingreſſus eſt, Theone, & Soſtrati Syracuſanorum Principum ſuffragiis Rex Siciliæ, ſicut Epiri appellatus eſt. Civitates, quæ fidem præſtiterant, illi ſe ſtatim dedunt. Cæteræ vel vi, vel ultro in deditionem quoque ſunt receptæ. Deinde cum peditum triginta millibus, equitibus verò quingentis ſupra duo millia, & viginti navibus, Carthaginenſes, qui Siciliam ante incurſionibus perterruerant, adortus, eorum potentiam, ac opes brevi totâ inſula afflixit. Erycem poſtea & naturâ, & magnis Pœnorum præſidiis firmatam urbem cum ingenti exercitu ſubita oppugnatione aggreſſus, ludos Herculi, ſi ea potiretur, vovit. Inde ſcalis ad mœnia admotis, omnium primus muros conſcendit. Plures ex reſiſtentibus in præceps dejecit, pleroſque gladio transfixit, ipſe illæſus terribili, ac truci aſpectu hoſtem præ formidine ab armis ceſſare cogens, urbem expugnat. Quam adeptus Herculi votum, ſpectaculumque omnis generis ludicris inſigne celebravit.

Erycem expugnat.

Eryce debellata, Mamertinis, qui totam inſulam infeſtando, nonnullas jam paſſim civitates ſibi tributarias fecerant, bellum intulit. (4)

Qui-

Quibus ſtrenuè ſuperatis, multaque clade affectis, eorum præſidia multis in locis contregit. Hieroni, qui poſt eum Syracuſanorum Rex fuit, multa ob ingentia ejus in his bellis geſta facinora præmia contulit. Carthaginenſibus deinde ab eo pacem petentibus hac ſola conditione pacem ſe cum eis facturum, ſi totâ Siciliâ cederent, atque ultra Libycum pelagus fines Imperii ſui terminarent, reſpondit. Rerum ſucceſſu ſimul, & Imperii magnitudine elatus Heleno filio, Agathoclis nepoti Siciliæ veluti avito, Alexandro verò Italiæ Regno deſtinato, ad id, cujus impulſu præcipuè in Siciliam ab initio venerat, ſe convertit. Claſſem igitur ingentem contra Libyam inſtruit, mox non ut ab initio comis, mitis, ac benignus, ſed mutatis moribus ſuperbè, ac tyrannicè Siciliæ imperio uti cœpit. Quinimo & Theonem virum Principem, per quem non modo Syracuſarum urbem, ſed & plures etiam alias civitates adeptus fuerat, interfici juſſit. Idem de Soſtrato proculdubio facturus, niſi fugâ ſalutem ſibi ille redemiſſet.

Moribus mutatis Siculos a ſe alienat.

Porro hac novitate repente ab eo alienatis animis Siculorum odia exarſerunt, ac plures urbes Carthaginenſibus, permultæ Mamertinis ſe junxerunt. Ipſe verò iis ſeditionibus perculſus cum Siciliam, veluti navem vi ventorum agitatam tenere nequiret, & non ſine ignominia eam relinquere cogeretur, peropportunè ad dedecus ejus celandum a Tarentinis, & Samnitibus literas accepit, quibus ſe illi cum Romanorum viribus reſiſtere amplius non poſſent, deditionem facturos ſignificabant, ni citò periclitantibus ipſe ſuccurreret. Occaſionem igitur hinc Siciliæ deſerendæ accipiens, ſubſidii ſociis ſuis ferendi prætextu, inſulâ protinus abſceſſit. Trogus verò etſi in cauſa digreſſus cum aliis ſentiat, non tamen in ſeditione Siculorum cum aliis convenit. Sed jam conſerto cum Carthaginenſibus prælio, ipſum ſuperiorem factum, quia tamen feſtinus diſceſſit, pro victo fugere viſum eſſe ſcribit. Solvens autem Siciliâ Pyrrhus cum claſſe, quam contra Libyam paraverat, converſus ad amicos: Cujuſmodi (inquit) Palæſtram Carthaginenſibus, & Romanis relinquimus. Quod ut conjectavit, ita & evenit, ut in contextu commemorabimus.

In Italiâ vocatus Siciliâ abſcedit.

Vulgato ejus diſceſſu, Carthaginenſes eductâ claſſe, impetuque facto, aliquot ejus naves ceperunt. Mamertini etiam e veſtigio terreſtri itinere, per Calabriam eum inſecuti, extremum ejus agmen in locorum anguſtias conjecerunt, atque a tergo & a lateribus adorti, duobus ejus elephantis proſtratis, plures circum eos milites occiderunt. Quo viſo Pyrrhus a prima acie in prælium maximo impetu ruens, a Mamertinis vulnus grave accepit. Quo compulſus paululum ex acie, dum plaga obligaretur, exceſſit, quo facto, ab hoſtibus pro cæſo habitus eſt. Erat tunc fortè ex Mamertinis vir quidam magnâ corporis ſtaturâ, qui palam Pyrrhum in ſingulare certamen provocavit. Pyrrhus, ut cruore conſperſus erat, dolore ſimul, & ira percitus, truci & terribili aſpectu in aciem rediit, gigantemque repente adortus, adeo vehementi ictu ejus caput percuſſit, ut uſque ad intimas partes ferro redacto, fruſta ſiſſi corporis hinc inde ad terram defluxerint. Mamertini & Pyrrhi robur admirati, & fœda proceri viri nece perculſi, ab ulteriùs eum inſectando deſtiterunt. Proinde Pyrrhus Tarentum veniens, tertiò Tarentinis in agris adverſus Curium, & Fabritium Ro. Coſſ. certamen arripuit. In quo victus, atque fugatus, cum audiſſet ob ſuam profectionem fugæ ſimilem

Mamertini Pyrrhum inſequuntur.

Quos ille viribus a ſe repellit.

milem, ad Carthaginenſes omnem ferè Siciliam defeciſſe; ſpe omni eam recipiendi ſibi ſublata, ac animo prorſus fractus in Epirum ſe recepit. Et ita non ſolùm Italiam, ſed Siciliæ quoque Imperium tam citò amiſit, quàm facilè quæſierat.

In Epirũ regreditur.

1 MAmertinos rectè Polybius, & Strabo Campanos vocant. Samnites fuiſſe Diodorus indicat, ſed e Samnio Campani ortum ſanè habuiſſe dicuntur. Unde autem illis nomen fuerit, veteres omnes apertiſſimè tradunt, a Marte nempe, qui & Mamercus linguâ eorum appellatur. Videſis Cluverium Sicil. Antiq. lib. 1. cap. 6. ubi fusè de illis agit. Idque ſcitu advertit, Meſſanam urbem ſuum retinuiſſe vocabulum, & Mamertinam nunquam fuiſſe dictam; licèt ejuſdem ager Mamertinus, incolæque Mamertini paſſim inveniantur nuncupati. Mamertinum porro Stephano urbs Italiæ.

2 De hac Rhegii invaſione a Campanis etiam Romanorum ſtipendiariis facta hæc Diodorus habet: *Derius Romanorum militum Tribunus Rhegio præſidiis cuſtodiendo præfectus ob Pyrrhum Regem, cives mactat, & facultates fœminaſque ſibi mancipat. Campani hi erant .... Poſtea quòd iniquè Rheginorum peculium diviſiſſet, Rhegio extidit a Campanis ſuis in exilium actus. Adjuverant illos etiam Mamertini, qui Ducem ſibi hunc creaverunt. Porro quum ocularis eum morbus corriperet, accitus ab eo medicus probatiſſimus, ut patriæ injuriam ulcum iret, Cantharidibus Decium inunxit, viſuque orbavit; ſibi autem fugam ex Meſſana conſuluit.*

Motus ſubinde per Sieiliam enatos deſcribens ait: *In Sicilia interim Tyranni erant Hicetas Syracuſis, Phintias Agrigenti, & Tyndarion Tauromenii, urbiumque minorum alii. Phintias autem, & Hicetas conflato inter ſe bello, ad Hyblam acie inſtructa concurrerunt, victoriamque retulit Hicetas. Tum excurſionibus ultro citroque factis, opes diripiebant, & incultam hoc pacto regionem faciebant. Hicetas autem victoriâ elatus Carthaginienſibus aciem oppoſuit, victuſque magnam ſuorum militum jacturam fecit ad Terias fluvium. Tum Phintias urbem condit Phintiada nominatam, Geloosque e patria ſubmotos in ea collocavit. Sita autem hæc eſt ad mare. Muris enim, domibuſque Gelæ deſtructis, populum in Phintiadem tranſtulit, poſtquam mœnia, forumque memoratu dignum, & templa Deorum condiderat.* Subditur in eiſdem Eclogis, *quòd rerum cædis peractus, urbium cunctarum illi ſubditarum odiis flagravit, quæ & præſidia expulerunt; inter quos primi Agyrinæi.* Sed hæc an de Phintia ſint intelligenda, an de Hiceta incertum. Phintiæ enim imperium ad Agyrim uſque protenſum minimè credendum; hinc de Hiceta, Syracuſarum, aut de Tyndarione Tauromenii Tyranno id ſcriptum licet conjectare. Phintias porro ſomnium vidit exitum illi vitæ repræſentans: Dum aprum venatur, ſus in eum ruere, latuſque ejus ferire dentibus, & inflicto vulnere ipſum perimere viſus. Huic alludere videntur ejuſdem Phintiæ numiſmata, ubi Aper effictus.

Hicetas, ubi annis novem Syracuſarum principatum tenuiſſet, a Thynione Mammei filio e tyrannide exigitur. Thynioni Soſtratus opponitur, qui & Syracuſas occupat. Dum ergo Thynio inſulam in poteſtate habet, Soſtratuſque Syracuſis dominatur, decies mille armatis inſtructi inter ſe belligerantur. Sed bello feſſi, ambo legatos ad Pyrrhum mittunt, eumque in Siciliam contra Pœnos accerſunt. Verùm Mamertini Pœnis fœderati decreto publico Pyrrhum a tranſitu in Siciliam prohibere ſtatuunt. Tyndarion autem Tauromenii Tyrannus ad illum inclinabat, paratuſque erat in ſuam urbem recipere, copiaſque ſuas illi adjungere. Sed & Carthaginienſes Romanis in ſocietatem pellectis, quingentos milites in naves receperunt ſuas, &

ad

ad Rhegium tranſgreſſi, urbem quidem oppugnare cœperunt, ſed ab obſidione tandem deſiſtentes, materiâ, quam ad compingendas naves ibi paratam invenerunt, incensâ; ad fretum præſidiis cuſtodiendum, tranſitumque Pyrrhi obſervandum permanſere.

3 Pyrrhum a Siculis evocatum, ejuſque per inſulam geſta enarrat idem Diodorus lib. XXII. Pyrrhus Epiri Rex annos duos & menſes quatuor in Italia contra Romanos bellum geſſerat pro Tarentinis, dumque ad diſceſſum ſe pararet, Carthaginienſes dura obſidione Syracuſas premunt, terrâque, ac mari claſſe centum navium in portu magno ſtationem habentes, & terreſtri exercitu quinquaginta millium prope muros caſtrametati, Syracuſios intra mœnia continent, agrumque incurſionibus populantes, deſertum, vaſtatumque reddunt. Hinc bello laceſſiti Syracuſani in Pyrrho ſpem habebant propter Lanaſſam uxorem, Agathoclis filiam, ex qua Alexandrum ſuſceperat, vel, ut alii, & Trogus tradunt, Heleanm. Ideo legatos unum poſt alium quotidie mittebant. Ille igitur collocatis in naves militibus atque Elephantis, cæteroque apparatu, Tarento ſolvit, decimoque die ad Locros appulit. Inde fretum ingreſſus, quum in Siciliam trajeciſſet, ad Tauromenium defertur, adjunctoque in ſocietatem Tyndarione ejuſdem urbis principe, militibuſque ab eo acceptis Catanam devehitur, & ab incolis magnificè ſuſceptus, aureiſque coronis redimitus terreſtres copias exponit; quibus Syracuſas progredientibus, claſſis ad pugnam adornata oras interim legit. Ut Syracuſas proximarunt, Pœni quoad uſus neceſſarios jam ante naves triginta dimiſerant, cum reliquis belli aleam tentare non audebant. Pyrrhus idcirco citra diſcrimen Syracuſas perveniens a Thinione inſulam, reliquamque urbem a Syracuſanis, & Soſtrato accepit. Hic enim Agrigentum, aliaſque tenebat urbes in armis ſupra milites mille habens.

Thynionem porro, & Soſtratum Syracuſioſque primùm reconciliavit, magnumque ab hac pace favorem eſt conſecutus, mox tela, machinaſque, & apparatum urbis naveſque biſcentum circiter accepit. Eò dum applicatur, legatos ex Leontinis ab Heraclide Dynaſta miſſos, qui urbem Regi offerunt, unà cum præſidiis, & peditibus quatuor mille, equitibuſque quincentis audit. Complures etiam alii tunc aderant Pyrrho, & urbium deditionem & auxilia pollicitantes; quibus humaniter acceptis, ac in patriam remiſſis, in ſpem Africæ etiam conquirendæ erigitur. Ubi autem apud Syracuſas, & Leontinos res conſtituiſſet, cum copiis Agrigentum versùs progreditur. Dumque adhuc in via eſt, in navibus occurrere qui nunciant, ſe impoſitum a Pœnis præſidium fugaſſe, ne Phintias ipſis dominetur, urbemque ſe fidei illius permiſſuros, bellique ſocios fore ſpondent; Aſſumptis igitur copiis, quum Agrigentum veniſſet, urbem a Soſtrato accepit, ac milites pedites millia octo, equites verò octingentos delectos omnes. In fidem etiam urbes triginta accepit, quibus Soſtratus imperaverat.

Poſt hæc Syracuſas miſit, qui inſtrumenta expugnandis urbibus adveherent, & telorum multitudinem, quibus in Pœnorum ditionem duxit, habens in peditatu millia viginti, equites mille quincentos, ac elephantes aliquot, primoque impetu Heracleam illorum præſidio firmatam ſubegit, ſubinde *Mazarum* occupat. (legitur in Excerptis *Azenas*, vitiatum ſanè vocabulum, quod in *Mazarum* ſcitè vertit Cluverius) Hinc Selinuntini Regi ſeſe adjungunt, itemque Halicyæi, & Ægeſtani, aliæque civitates complures. Sed Erycina tunc non contendendum habebat præſidium, naturâ alioqui firma, & expugnatu difficilis. Hanc vi capere Pyrrhus ſtatuerat, idcirco machinas mœnibus admovet; quumque ingens ad longum tempus, ac valida fieret oppugnatio, Rex gloriam ſibi comparare volens, ad Herculis ſe modum conformans, princeps in mœnia irruit, pugnamque heroicam ciens, Pœnos

ipſum

ipſum invadentes cædit, & ſuppetias tandem ferentibus amicis cæteris, ſumma vi urbem capit. Conſtituto autem ibi præſidio, ad Ietinam urbem contendit firmitate inſignem, & pulchro ad Panormum ſitu; Quumque Ietini ſe ultro accommodarent, ſtatim Panormum ipſam aggreditur, quæ pulcherrimum inter Siciliæ urbes portum habet, ex quo etiam & nomen ſortita eſt. Hanc itaque etiam vi ſubegit, & munitione Erctarum occupata, totam Carthaginienſium ditionem ſuam fecit, præter Lilybæum, quæ ab illis poſt Motyæ oppugnationem a Dionyſio factam condita fuerat. In hujus obſidione quum eſſet Pyrrhus, ex Africa ingentes copiæ transfretarunt; & quia penes Carthaginienſes maris erat imperium, magnam annonæ vim, machinamenta, & tela incredibili numero eò advexerunt. Urbs porro magna ſui parte mare proſpectabat; acceſſum hinc a continente Pœni præmunierunt crebris turribus excitatis, eductâque ingente foſsâ.

Inter hæc legatos ad Regem de tranſactione, & pacto Carthaginienſes miſerant, parati pecunias etiam dare, quam Rex quum non admitteret, Lilybæum tamen illis concedere perſuaſum habebat. At neceſſarii, qui tunc concilio intererant, urbiumque legati illum avocantes contenderunt, ne ullo modo Barbaris permitteret, ut acceſſum in Siciliam haberent, imperiumque Pelago definiret. Continuò igitur juxta mœnia caſtrametatus Rex crebris murum incurſationibus impetit; Pœni verò illum repellunt multitudine propugnatorum, & machinarum apparatu adjuti. Tanta enim catapultarum tum acutè ferientium, tum ſaxa ejaculantium vis coacta illis erat, ut copiam earum murus non caperet; Ideo quum omnis generis tela in oppugnantes intorquerentur, multique oppeterent, nec pauci vulnerarentur, inferior abibat Pyrrhus. Machinas tamen fabricari etiam ipſe aggreſſus eſt, præter adductas ipſi a Syracuſis, & ſuffoſſione muros labefactare conatur; ſed quum ſtrenuè pugnando hoſtes reſiſterent, locuſque petricoſus eſſet, ſecundo ab obſidione menſe, ſpe per vim capiendæ urbis deſiſtens ſolvit, magnamque claſſem adornare, qua imperium maris ſibi poſſet vindicare, & in Africam exercitum ducere, ubi decreverat, aliò impetum ſuum convertit. Hæc Diodorus, quæ in Plutarcho magna ex parte deſiderantur.

4 Exprobrans Romanis Hiero, quòd Mamertinis auxiliatum veniſſent, inter alia, hos Camerinam, Gelamque excidiſſe oppoſuit. At enimvero Gelam jampridem Phintias Agrigentinus Tyrannus ſolo æquaverat, uti vidimus; niſi fortè in Gelæ excidio ſocios illos ſibi Phintias adſciverit, quibus idcirco non immeritò id facinus etiam Hiero adſcribit.

DE

DE HIERONE JUNIORI, ET BELLO INTER ROMANOS, ET CARTHAGINENSES. *IN SICILIA, ET PROPTER SICILIAM GESTO.* QUOD PRIMUM BELLUM PUNICUM *APPELLANT.*

CAPUT TERTIUM.

PYrro Siciliâ diſcedente, magnæ in civitatibus ſeditiones ſunt ſubortæ, magnaque ob inſulæ Imperium inter Carthaginenſes, & Syracuſanos ſucceſſerunt prælia. Quamobrem neceſſitate urgente Hiero a Syracuſanis urbis Præfectus creatur. Cujus tanta fuit prudentia ſimul, & authoritas, ut non diu poſt civitatum omnium conſenſu adverſus Carthaginenſes Dux primùm, ac mox totius Siciliæ Rex ſalutaretur. Hujus futuram majeſtatem plura ſignificaverunt præſagia. Fuit is patre Hieroclito, qui illuſtrem generis ſeriem a Gelone antiquo Siciliç Tyranno traxerat, matre verò ancilla natus. Qui jamjam editus, ne genus ſervile dehoneſtamentum nobilis proſapiæ foret, priſcorum more in ſylvis a patre expoſitus eſt; ubi (mirum viſu) infantem ipſum apes congeſto in ejus os melle, aliquandiu ſolicitè aluerunt. Aruſpices, qui id genus eventus ex profeſſo interpretabantur, regnum infanti eo caſu portendi vaticinati, Hieroclitum admonuerunt, ut filium recollectum, educatumque omni ſtudio ad ſpem majeſtatis futuræ inſtituerer. Adoleſcenti quoque prima vice dimicanti aquila in clipeo, noctua in haſta conſedit. Quæ omnia, & manu promptum, & conſilio providum, & Regnum illi polliceri, vates præcinerunt. *Hiero Syracuſis Præfectus.* *Ejuſdem parentes.*

Erat Hiero pulchritudine inſignis, quæ cum ætate etiam ſuccreſceret, a pueritia admirabilis, in alloquio blandus, in conſuetudine juſtus, in militia ſtrenuus, ac tantis ſimul naturæ dotibus ornatus, ut nihil regium in eo deeſſet, præter regnum. Quibus moribus a Pyrrho Rege dum Siciliâ potiretur, plurimùm dilectus multis militaribus præmiis donatus fuit. Tantum denique & induſtriâ, & virtute valuit, ut ob multa, ac præclara rei militaris facinora, per gradus ad regnum evectus ſit. Primùm namque cum poſt Pyrrhi diſceſſum milites gregarii, & conductitii Rempublicam Syracuſanam frequenter ſeditionibus vexarent, ſolus Hiero ob rei bellicæ præſtantiam in ipſo adhuc adoleſcentiæ curſu, anno ſuæ ætatis vigeſimo, a Syracuſanis ad tantarum factionum rumores ſedandos in Ducem deligi meruit. Qui, magiſtratu ſuſcepto, diverſas militum ſeditiones extinxit. Victor, adeo clementer, moderatèque ſe geſſit, ut uno omnium, & conſentienti animo iterum Dux crearetur. Tum verò cum videret cives quotieſcumque copias, duceſque extra urbem mitterent, ad res novas inter ſe domi moliendas procliviores eſſe, Leptinis in populo nobilitatis, & opum nomine facilè principis filiam uxorem duxit, ut haberet, quem pro ſe urbi tutorem relinqueret, cum ad res pro Republica gerendas ipſum abeſſe oporteret. *Forma, ac mores egregii.* *Uxorem ducit nobiliſſimam.*

Deinde cum animadverteret veteranas Syracuſanorum copias,

quæ

quæ ex gregario, & ſtipendiario milite conſtabant, inſtabiles, factionumque ut plurimùm avidas eſſe, delere illas conſtituit. Igitur deditâ operâ, ac callido conſilio, contra Mamertinos, qui ultra Catanam excurrerant, exercitum movet, caſtriſque juxta Centoripen urbem poſitis, ac ſtrictis circa Cyamoſſorum fluvium veteranorum cohortibus, & in fronte locatis, ut primo hoſtium impetu oppreſſi facilè diſſiparentur, ipſe cum Syracuſanis ſignis, quaſi aliâ viâ hoſtes aggreſſurus, aliquantulum demoratus eſt. Miſſibilibus primùm res geſta eſt; mox prælio excandeſcente, ad gladios ventum. Mamertini in primam aciem prout primo ardore offerebatur, irruunt, veteranos circumdant, crebriſque ictibus, ac vulneribus cruentatos profligant, cæduntque. Hiero, ut ex ſententia cuncta ſucceſſiſſe vidit, confeſtim cum ſuis ipſe militibus intactis Syracuſas ſecedit, ac ſubinde novis copiis, magiſque fido milite exercitum inſtaurans, contra Mamertinos hac victoria elatos regreditur.

Stipendiarios milites perdit.

Ad Nyleum igitur agrum cum perveniſſet, non ſimulata expeditione, ut antea, ſed juxta Longanis fluvii ripas ſeriò inſultu movens, cum eis conſeruit. Et cum aliquandiu ancipiti marte pugnatum eſſet, ingenti tandem conflictu Mamertini fugantur, bellique eorum Duces, ac optimates præter paucos, qui vivi in poteſtatem Hieronis devenerunt, occubuere. (1) Parta hac victoria, cum triumpho Syracuſas reverſus Hiero, Rex ab omnibus acclamatur, & coronâ Regiâ redimitur. Qui tametſi titulum haberet regiæ in Sicilia dignitatis, ut & alii ante ipſum plerique, non omnes tamen civitates ſuo parentes Imperio habebat. Plurimæ quippe cum eſſent liberæ, ſuis vivebant legibus, & annuis conſtitutis magiſtratibus, a populo regebantur; plures quoque Carthaginenſium erant ditionis. Reliquæ verò, quæ Syracuſanorum imperia ſubibant, ſimul cum urbe Regia a Rege moderabantur. Hiero itaque & regio diademate, & proximâ victoriâ nonnihil animo erectior factus, copioſiorem exercitum contra hoſtes coegit.

Mamertinos fundit, & Rex conclamatur.

At Mamertini prælio fracti, Hieroni ſolis ſuis ſe viribus poſſe reſiſtere diffiſi, a Carthaginenſibus, qui per id tempus plura Siciliæ oppida tenebant, auxilium petunt. Carthaginenſes oblata nova Siciliæ potiundæ occaſione, & quam ſimilem nunquam antea habuerant, ſuppetias mittunt, ſtatimque a Mamertinis urbis Meſſanæ arcem accipiunt. Mamertini verò paulò poſt vel quia non ſatis Pœnorum viribus ob infirmitatem fidebant, vel quia inter ſe diviſi erant, miſſis legatis a Romanis etiam præſidia exquirunt, urbemque eis offerunt. Clarum jam per ea tempora populi Romani erat nomen. Quippe quincenteſimo fere conditæ urbis anno totam ad Rhegium uſque perdomuerant Italiam. Romani cum opulentiſſimam ſibi proximam prædam offerri conſpicerent, Italiæ limites egrediendi, & Siciliæ potiundæ deſiderio incenſi, quam captâ Meſſanâ facilè ſuo Imperio ſubjicere ſperabant, huic rei animum intendunt. Res itaque hæc maturo, & prudenti conſilio in Senatu agitata eſt. At primùm, ſi Mamertinis violati fœderis authoribus opitularentur, infamiæ labem ob injuſtitiam incurrere verebantur, cum de ſuis ipſi militibus pari culpa in oppido Rhegio laborantibus ſupplicium paulò ante ſumpſiſſent. Econtra verò Carthaginenſium vicinitatem magnopere formidandam eſſe cognoſcebant. Qui cum non modò Africam, ſed & pleraque Hiſpaniæ loca, inſulas præterea Sardoi, atque Tyrrheni maris poſſiderent,

Mamert. a Pœnis, & Romanis auxilia petunt.

derent, captâ Meſſanâ non multo negotio & Syracuſas, & reliquum Siciliæ adipiſci, & ſubinde Italiam, ac urbem ipſam Romam aggredi quàm facillimè potuiſſent.

Romani auxilia Mamertinis decernunt.

Hinc ad ſuppetias Mamertinis ferendas inclinare viſa eſt ſententia. Quæ cum adhuc anceps in Senatu protraheretur, ibi quidem diu hæſit, & pene relicta pependit. Populi tandem multitudo amplificandi imperii cupidine utile honeſto præferens, Mamertinis auxilia ferre decrevit. Igitur ex communi decreto Appio Claudio cognomento Caudici ex Conſulibus alteri, Mamertini ſubſidii provincia committitur. Mamertini de Conſulis adventu certiores facti Carthaginenſium Præfectum, cui arcem ante dediderant, ſimul & præſidium a Meſſana propellunt. Carthaginenſes gravi nuntio accepto, primùm exactum Præfectum, cujus ignaviâ circumſeptam Meſſanæ arcem amiſerant, cruci affigunt; mox contractis copiis terreſtri circa urbem, quà meridiem ſpectat, ad Pelorum verò navali exercitu diſpoſito, Meſſanam obſident. Hieron ut accenſos in Mamertinorum exitium Carthaginenſes conſpexit, tempus ad eoſdem delendos accommodatum eſſe ratus, percuſſo cum Carthaginenſibus fœdere, copioſo cum exercitu & ipſe Syracuſis movens, Meſſanam profectus eſt. Ubi ad aliam urbis partem prope montem Chalcidicum, quem Sanctum Ritium hodie appellant, duobus paſſuum millibus ab urbe caſtrametatus, obſeſſis Mamertinis egreſſum ab urbe interdicit.

Pœni, & Syracuſani Meſſanâ obſident.

Romanus Conſul in Sicil. trajicit.

Interea Appius Claudius Romanus Conſul ex omnibus Neapolitanæ oræ maritimis oppidis militibus exquiſitis claſſem inſtruit. Qua parata, freto monſtris fabuloſis infame, æſtuque violento, nullo pacto exterritus, ſed ipſam illam ruentis æſtus violentiam veluti pro munere amplexus, trajecit, claſque Carthaginenſium triremes prætervectus, Meſſanam applicat, quem Mamertini non ſine publico gaudio in urbem excipiunt, illique protinus civitatem tradunt. Conſul cum terrâ, marique urbem acriter obſeſſam commeatus inopia laborare, hoſteſque Mamertinis copiis ſuperiores offendiſſet, periculoſiſſimum bello dimicare cenſens, legatis ad hoſtes pro pace miſſis, Meſſanam, ſi æquæ conditiones reciperentur, periculo liberare tentat. Cæterùm cum Hieron, & Carthaginenſes legationem aſpernarentur, Conſul periculum ſubire cogitur. (3) Inſtructos itaque milites luculenta oratione ad bellum, victoriamque primùm hortatus, cum Hierone bello dimicare ſtatuit, parumque moratus, copias adverſus Syracuſanos educit, acies ſtruit, & in hoſtes irruit. Cui cum Hieron ſtatim obviam ſeſe offerret, prælio commiſſo, diu ancipiti marte pugnatum eſt. Tandem Romani victores Hieronem in fugam vertunt, atque uſque in caſtra ſecuti, magnam Syracuſanorum cædem edidere. Hieron ut ſuos fuſos vidit, metuens ne Syracuſæ urbs audita hac ſtrage in ſeditionem abiret, relictis caſtris noctu Syracuſas conceſſit. Ita Conſul Romanus adeo exiguo negotio, tantaque celeritate Hieronem Syracuſarum Regem vicit, ut ipſe ille ſe priùs victum, quàm hoſtem vidiſſe fateretur.

Hieronē in fugā vertit.

Carthaginenſes, ut victoriam penes Romanos manſiſſe acceperunt, metu perculſi, extemplo obſidione ſoluta, in Siciliæ urbes ſibi ſubjectas ſeſe recipiunt. Conſul auditâ & Hieronis fugâ, & Carthaginenſium receſſu, cum circa urbem pacata eſſent omnia, auctus animis perſequi Syracuſanorum exercitum decrevit. Poſtridie igitur ſub auroram hoſtes aſſecutus, prælio cum eis inito, plures eorum cædit, re-

Per inſulā victor excurrit.

Syracuſas obſidet. reliquos in proxima fugat oppida. Inde elatior factus, per Syracuſanorum, ſociorumque agros, nemine impediente, incurſiones intrepidas facit, omnia populatur, tandemque Syracuſas delatus, ipſum Siciliæ caput obſidet, fœlicemque victoriam per nuntios Romam renuntiat. Qua cognita, majori niſu incepto bello incumbendum eſſe Senatus, Populuſque Romanus conſtituit. Igitur L. Manium Valerium, & C. Octacilium Coſſ. conduplicato cum exercitu in Siciliam mittunt. Eorum adventu pleræque civitates, quæ Carthaginenſibus vel ſubjectæ, vel fœderatæ erant, ad Romanos ultro defecerunt. Hieron cum hinc Romanos numero, & viribus ſuperiores, inde verò Siculos animis lapſos cerneret, jamque de ſeipſo ſolicitus eſſe inciperet, tutius ſibi futurum cum Romanis, quàm cum Carthaginenſibus pacem habere, Legatos ad Conſules pro conditionibus mittit. Illi commodiſſimam bello gerendo Hieronis amicitiam arbitrati, pacem cum eo his legibus firmant, ut ipſe captivos Romanos reſtituat. Argenti talenta centum, licèt ducenta plerique ſcribant, pendat, atque ita deinceps Syracuſani ſocietatem fidam populo Romano jurent. (4) Quæ omnia Hieron ut accepit, per quinquaginta annos certa, inviolataque fide ad mortem uſque ſervavit.

Pacē cum Hierone firmat.

Carthaginenſes Hieronis confœderatione deſtituti, ad Agrigentum eorum caput, & Arcem ſe conferunt, urbem omnibus copiis, ac vi frumenti muniunt. L. Valerius, & C. Octacilius fœdere cum Hierone percuſſo, Romam revertuntur, ſuffectique ſunt poſt eos Coſſ. L. Poſthumius, & Q. Mamilius, & in Siciliam miſſi. Hinc primum bellum Punicum oritur. De quo inter Græcos Polybius, & Philinus, inter latinos verò T. Livius latè ſcripſerunt. Conſules igitur quamprimùm Siciliam tenuere, ſuſcepto a præceſſoribus exercitu de bello gerendo conſilium contulerunt, in quo de Agrigento invadendo inter eos convenit, ut ſi hoſtis pugnam recuſaret, intra mœnia concluſus obſideretur. Quocirca ingenti cum exercitu in expeditionem profecti, caſtra non longè ab Agrigento niſi paſſibus mille metantur. (5) Carthaginenſes ſupra quinquaginta hominum millia ſub Annibale duce, intra mœnia habebant. (6)

Primū bellū Punicum.

Romani Agrigētum obſident. Cæterùm quia longam fore obſidionem Romani arbitrabantur, atque jam meſſis tempus, & maturæ in agris ſegetes erant, milites relictis caſtris, ad frumenti rapinam ſine ordine, ſine Duce paſſim audaciùs, quàm aut tempus, aut militiæ ratio poſtulabat, evagari cœperunt. Annibal rei benè gerendæ occaſionem nactus, repente urbe egreſſus, in Romanorum ſtationes inſtructam aciem defert, partem verò militum in vagos Romanos emittit. Clamore ſublato, foſſas implere, vallumque reſcindere jubet. Romani ſubito caſu perculſi, quoniam ſub mulcta caſtra, ſigna, præſidiaque deſerere eis cautum erat, loco immobiles adeo ſtrenuè obſtiterunt, ut quanquam Carthaginenſes numero longè ſuperiores proruerent, ipſi in caſtra non modò tutati, ſed & hoſtes multa cum cæde in urbem præcipites rejecerunt. Verùm tanta ſtrages ea die utrinque confecta eſt, ut uterque & victus, & victor videretur, tantuſque utrumque exercitum metus ex hujus diei periculo invaſit, ut neque Pœni auſi ſint amplius caſtra Romanorum invadere, neque Romani latius evagari. Porro æquato utrinque metu, aliquandiu quieverunt.

Pœni cōtra obſidentes.

Interea Carthaginenſes etſi in Romanos erumpere pertimeſcerent, ſagittis tamen eminus eos impetere non ceſſabant. Conſules verò ubi

Pœni ſeſe ſtrenuè defendũt.

ubi milites a repentino incurſu aliquantiſper refectos videre, exercitum in duas partes diviſerunt, alteram ad Æſculapii templum, alteram diverſa regione urbis ex ea parte, quæ Heracleam ſpectat, poſuere, atque ita duplici vallo, & foſſa urbem cingunt, unà ad hoſtium eruptionem interiùs inhibendam, alterâ ne exteriùs obſeſſis auxilia ferrentur, præſidiiſque, ac crebris caſtellis ſuorum intervalla munierunt. Non procul a Romanis caſtris Erbeſſum oppidum erat, quod Gruttæ oppidulum, nominis etymologia fuiſſe conjicio, in id ſocii omnes commeatum, cæteraque exercitui neceſſaria ſummo ſtudio congerebant; unde cum res exigeret, a Romanis commodiſſimè in caſtra tranſportari poſſent.

Fames obſeſſos vexat.

Dum quinque ferme in hunc modum menſes ancipiti eventu utriuſque gentis res perſtitiſſent, fames ob ingentem multitudinem, quæ in urbe obſidebatur, Carthaginenſes premere cœpit. Quo Annibal ob ſuorum pericula, rebus jam pene diffidens, crebros nuntios Carthaginem miſit, qui in quo ſtatu res Punicæ in Sicilia eſſent, Senatui nuntiarent. Quibus Carthaginenſes commoti, novum in Siciliam exercitum cum magno elephantornm numerò, naveſque plurimas ad bellum inſtructas cum Hannone altero Duce tranſmittunt. (7) Is cum omni bellico apparatu Heracleam profectus, Erbeſſum oppidum Romanorum horreum proditione occupat. Quo recepto continuò in Romanis caſtris rei frumentariæ inopia ſucceſſit; eoque factum eſt, ut Romani non minùs obſiderentur, quàm obſiderent. Jamque eò annonæ caritate devenerant, ut obſidione ſoluta, inde abituri eſſent, niſi Hieron repente neceſſitati eorum, evecto ut ſummo ſtudio, ita non magno cum diſcrimine ex Syracuſis commeatu, rebuſque aliis ad exercitum ſublevandum idoneis, ſuccurriſſet.

Nova Pœnorũ copię in Sicilia.

Poſt hæc Hanno cum ſuos, qui intra mœnia erant, paratos ad bellum per certum nuntium intellexiſſet, coactis quinquaginta elephantis, paratiſque omnibus copiis, exercitum omnem ex Heraclea, Erbeſſoque educit. Sed antequam in conſpectum hoſtium veniſſet, Numidas equites ad eos laceſſendos, irritandoſque præmiſit. Ipſe verò cum elephantis, ac reliquo comitatu ſequebatur. Illi ad Romanorum caſtra venientes, cum hoſtium equitatum in ſe concitaſſent, ſimulatâ fugâ, ut præceptum fuerat, terga vertunt. Quos dum Romani audaciùs inſequerentur, in ſubſequentem Hannonem præcipites, ac pertumultuariè incidunt, trahunturque. Tum repente veluti ex inſidiis proſilientia Pœnorum agmina in Romanos equites circumfunduntur, atque ex illis multos interficiunt, reliquos uſque ad caſtra fœdè fugant. His geſtis Hanno in collem, cui a Tauro nomen erat, exercitum revocat, atque ibi non longiùs, quàm mille, & ducentis paſſibus a caſtris Romanorum caſtra locat. Verùm cum per loca paluſtria, quibus Romani ſigna fixerant, ex diuturniori excubatione exorta ſæva eos peſtilentia invaſiſſet, in dieſque magis invaleſceret, Conſules obſidionem ſolvere meditabantur. Sed cum non minor annonæ preſſura obſeſſos Carthaginenſes premeret, Annibal multis noctu e ſpecula erectis ignibus, crebriſque etiam nuntiis Hannoni rerum anguſtias, multitudiniſque in urbe intolerabilem famem, cum jam plures impatientia ad hoſtes transfugerent, ſignificavit.

Cõtra Romanos ducunt, & vincunt.

Hanno his cognitis ratus Romanos morbo preſſos quàm facillimè poſſe vinci, in aciem ad pugnandum copias educit. Conſules nihilo pigriores & ipſi ad prælium, parte copiarum ad reprimen-

Prœliũ inter utroſq. committunt.

Tractâ inter utroſque commiſſum.

dum obſeſſos, ne perrumperent, relicta, reliquum exercitus adverſus Hannonem emittunt. Signo dato prælium incipit, cruentumque aliquandiu ex utraque acie certamen fuit. Demum Romani majori conatu adnixi primam Carthaginenſium aciem in fugam compellunt. Ubi qui fugerant, in elephantos præcipitati, pecudes conteritas in ſuos excitant. Quæ ruentes in agmina, ordines non mediocriter, bellique eventum turbarunt. Romani Centuriones per eorum ſtragem perruentes, ſigna acriùs inferunt, ad extremum Pœnos omnes terga vertere cogunt, profligatos inſequuntur, ac magnam eorum partem trucidant. Hanno cum reliquis celeri fuga ad Heracleam ſe recipit.

In quo Romani victores Pœnos fundunt.

Romani elephantis fere omnibus, qui prælio interfuerunt, captis, caſtriſque hoſtium expugnatis, commeatu præterea, & belli impedimentis direptis, plenaque victoria potiti in caſtra copias reduxerunt. (8)

Subſecuta nocte cum ob victoriæ lætitiam ſimul, & prælii laborem ſegniùs a Romanis vigiliæ haberentur, Annibal, qui in urbe & hoſtibus, & fame obſidebatur, poſt perceptam Hannonis cladem, deſperatis rebus, tempus ad ſuam, ſuorumque ſalutem maximè idoneum nactus, per tenebras cum omnibus copiis, quas Agrigenti habebat,

Pœni ex urbe evadunt; urbs diripitur.

urbe egreſſus utramque, quam Romani fecerant, foſſam palearum manipulis coæquat, atque inde per medias hoſtium ſtationes, Romanorum nemine ſentiente, incolumis evaſit. Illuceſcente Romani, deprehensâ Carthaginenſium fugà, illorum veſtigia inſequuntur, ac plurimos poſtremi agminis tardiùs procedentes cædunt. Mox reverſi, ad urbem capiendam ſe dirigunt. Ubi in portas civitatis impetu facto, exercitum omnem intra mœnia, nullo jam repugnante, inducunt, urbem locupletem, & omni præda refertam diripiunt. Septimo itaque menſe poſtquam Agrigentum obſideri cœptum eſt, in poteſtatem populi Romani pervenit, tanto ſudore militum, ac Ducum tolerantia, ut ea obſidio inter raras, quæ unquam fuerint, laborioſiſſima a ſcriptoribus referatur. Capto Agrigento, pleraque Siciliæ mediterranea oppida ſponte Romano Imperio ſe ſubjecere. (9)

Cum Romæ Agrigenti expugnatio nuntiatur, Senatus, populuſque erectis animis, Carthaginenſium potentiam e Sicilia omnino

Romani e Sicilia Pœnos pellere decernūt.

exterminare, ſolique inſula potiri tota mente decernunt. Quocirca L. Valerium, & T. Octacilium ſequentis hujus belli anni Conſules novo, majorique militum delectu habito, in Siciliam legant. Carthaginenſes cognita Romanorum mente, non amplius terreſtri, ſed navali bello, quo plurimùm pollebant, deinceps congredi deliberant. Proinde ingentem claſſem inſtruunt, eamque re bellica, ac magno militum numero refertam in Siciliam mittunt. Cujus adventu plures maritimæ urbes metu adductæ ad eos tranſierunt. Quibus mari prædominantibus, terrà verò Romanis, quaſi æquatum erat bellum. Porro Romani cum cognoſcerent, non aliter finem habiturum bellum, niſi mari quoque ſe hoſtibus opponerent, neceſſitate adducti potiùs, quàm libidine, parandam ſibi claſſem ſtatuere. Itaque centum & viginti, ſive ſexaginta, ut plerique ſcribunt, naves intra

Claſſem adornāt cōtra hoſtes.

ſexageſimum diem, quàm cæſa fuerat ſylva, perficiunt. Quarum centum quinqueremes fuerunt, reliquæ triremes. In hoc navali apparatu quinqueremium ædificatio perdifficilis fuit; quippe quòd illarum tunc temporis nullus adhuc in Italia eſſet uſus. Cæterùm una ſemilacera Carthaginenſium quinqueremis, quæ dudum apud Meſ-

ſanam

ſanam dum longiùs a claſſe vagaretur, a Claudiò Coſ. capta fuerat, exemplar ejus generis faciendi præbuit.

Interea verò rudis multitudo ingens ad remigium exercebatur, ſubſelliis in arena diſpoſitis, Ducis ſybilo brachia ad remos reducere, ac remos per arenam movere docebantur. Jamque confectis navibus, C. Cornelius, & C. Duellius Conſulatum inierunt. Claſſi Cornelius, terreſtribus copiis Duellius præficitur. Duellius in Siciliam profectus, exercitu a ſuperioribus Imperatoribus accepto, quæ ad bellum pertinebant, miniſtrabat. Cornelius claſſe ad fretum deducta, cum nautas aliquandiu in aqua exercuiſſet, ipſe cum ſexdecim navibus Meſſanam contendit; reliquam verò claſſem juxta Italiæ oram ſubſequi juſſit.

Pars claſſis Romanæ Meſſanā venit.

Meſſanam cum venit, quæcumque ad claſſis uſum judicabat neceſſaria, coemit, & ſubinde cum eiſdem ſexdecim navibus, quando id res poſcebat, Liparam trajecit. Per id tempus Annibal Carthaginenſium Dux Panormi cum claſſe erat. Is cognito Conſulis ad Liparam appulſu, Boodem Carthaginenſem nobilitate, & militia præſtantem virum viginti cum navibus ad eum oppetiendum exire jubet. Intempeſta nocte Boodes Liparam delatus, naves Romanas ſua cum claſſe in portu deprehenſas incluſit. Cornelius ſubito malo perculſus, inops conſilii, nec quò ſe verteret ſatis certus, ad colloquium a Boode vocatus, fraude Punica interceptus, Catenis ſubitò oppreſſus, pro captivo habitus eſt. Ita ſexdecim Romanorum naves unà cum Conſule, Boodes victoriâ fraudulentâ inſolens, ad Annibalem Panormum reduxit.

Ad Liparā Inſulā intercipitur.

Arriſiſſe hoc belli initio fortuna Carthaginenſibus videbatur, ſed paucis poſt diebus quaſi in alterutros ludens, non diſſimili clade miſeros afflixit. Annibal enim captivitate Conſulis elatior, ſed non cautior factus, cum audiſſet Romanam claſſem ſecus Italiæ littus pervagantem, & non procul a Sicilia abeſſe, ejus ſtructuram, multitudinemque exploraturus, quinquaginta cum navibus ex ſua claſſe delectis Italiam petiit. Ibi cum contrario, quàm Romana claſſis, curſu ferretur, in eam ex improviſo incidit, quem Romani mox adorti, ſubita vi navibus ferme omnibus ſpoliarunt. Ipſe verò interceptus planè, ac jam pro captivo quaſi habitus, præter ſpem inter hoſtium manus dilapſus, cum ſuorum paucis evaſit. Romani per captivos, quos hoc bello ceperant, cognito Cornelii Coſ. adverſo caſu, eum continuò redemerunt, compenſataque utrique clade, mœroie lætitiam permiſcentes, citato curſu in Siciliam properant, ne fortè deſperatione ductæ civitates ad Carthaginenſes deficerent.

Pars Punicæ claſſis in Roman. prædā.

Agebat tum fortè Duellius Conſulum alter circa littus copias; hic de Cornelii collegæ caſu, & hoſtium claſſem non longè abeſſe certior factus, relicto Tribunis exercitu, ſtatim ad mare, quò Romana claſſis appulerat, deſcendit, omneſque ad prælium parari jubet. Verùm cum Romanorum naves tardiores eſſent, ne Punicorum agilitate medio certamine eluderentur, lignea inſtrumenta, quæ corvos poſtea nautæ vocaverunt, ad hoſtium naves innectendas ſingulis quinqueremibus imponit, atque ita ipſe exploratorum indicio edoctus, Carthaginenſium claſſem ad Mylas conſiſtere, eò ad pugnandum properat. Carthaginenſes viſa Romanorum claſſe, cum ad prædam potiùs, quàm ad pugnam proficiſci ſe putarent, centum triginta inſtructi navibus, magnâ etiam lætitiâ in altum hoſtibus ſe offerunt. Sed ut e mutuo claſſium conſpectu corvos apud Romanos

Corvi in Romana claſſ.

Ca-

Carthaginenſes vident, rei novitate primùm quidem percelluntur; mox tamen quicquid id foret ſpernentes, prælium ineunt, contrariiſque proris magno impetu in claſſem Romanam feruntur. Romani, ut fuerant inſtructi, injectis manibus ferreis, aliiſque machinis in Carthaginenſium naves, eas tenaciter innexas feriò invadunt, cominuſque gladiis rem gerunt. Quo bello Carthaginenſium naves, quę primæ in Romanos irruerant, brevi in poteſtatem hoſtium venere; & in his Prætoria ſeptiremis, quæ Pyrrhi Epirotatum Regis fuerat. In ea cum eſſet Annibal, ubi victoriam penes Romanos eſſe, ſuamque rem perditam vidit, in ſcapham deſiliens ad ſuos evaſit.

Punicę naves a Roman. captæ.

Reliquæ Carthaginenſium triremes, quæ nonnullo intervallo ſequebantur, ut primas ſuorum naves ab hoſtibus captas conſpexerunt, ad ludificandos eos converſæ non a fronte, ſed ex latere in Romanos feruntur. Eo etenim modo corvorum artem declinare poſſe cenſebant. Verùm cum inſtrumenta hæc ita eſſent inſtituta, ut ex omni parte hoſtes alligarent, ſexaginta aliæ Carthaginenſium naves eodem nexu deceptæ ſunt captæ, cæteræ in fugam verſæ, præter quatuordecim, quas ipſum mare abſorpſit. Capta ſunt eo prælio a Romanis Carthaginenſium ſeptem millia, & tria millia cæſa. Annibal verò cum paucis velis, quæ bello ſuperfuerant, Carthaginem rediit. Qui cum a Senatu in Sardiniam cum claſſe miſſus iterum infœliciter rem geſſiſſet, Carthaginem reverſus cruci affixus eſt.

Aliæ in fugā verſa.

Poſt hæc cum Segeſta urbs vel ob id, quòd in amicitiam populi Romani nuper veniſſet, a Pœnis obſideretur; Romani, qui prę̨ter ſpem mari imperare, & ſuperiores eſſe cœpere, victoriæ curſum ſecuti e Mylis in Segeſtanam oram navigant. Quò delati Carthaginenſibus fugatis, obſidione urbem ſociam liberant. Mox progreſſi Macellam urbem, quæ parvo inde ſpatio in eadem Aquilonari plaga Carthaginenſibus parebat, expugnant. His rebus fœliciter geſtis, Duellius Romam reverſus, primus omnium navalem triumphum egit. Poſt Duellium C. Sulpitius, & A. Rutilius Coſ. (teſte Polybio, quem ſequimur) creantur. Qui in Siciliam profecti, Panormum, ubi Carthaginenſes tum ſuas copias habebant, confeſtim contendunt, fixaque ante urbem acie, ad prælium hoſtes irritabant. Sed cum illi pugnam detrectarent, Panormo relicta, ad Hippanam oppidum, quod Pœnis ſuberat, ſe referunt; quam & brevi capiunt. Myſiſtratum deinde, Ameſtratum a Cicerone, & cæteris appellatum, ſitu loci munitiſſimum oppidum milite cingunt. Quod cum loci opportunitate diutiùs obſidionem toleraſſet, non niſi magnâ moleſtiâ, & interjecto tempore expugnari potuit. (10) Poſt hæc Camerinam petunt, quæ paulò ante a Romanis deſciverat. Ea quoque ducto exercitu, machiniſque adhibitis a Conſulibus recepta eſt. Capta eſt etiam ab eiſdem Enna, ac alia pleraque Carthaginenſium oppida, & Lipara obſeſſa.

Urbes Siculæ ab Romanis ſubactæ.

Subactis tot hoſtium oppidis, Rutilius Conſulum alter, qui claſſi præerat, apud Tyndarium urbem ſtationem habebat. Is Carthaginenſium claſſem non procul a littore conſpicatus, ſuos, ut ſe quàm celerrimè ſequerentur, eſt hortatus. Ipſe decem cum navibus temere in altum evehitur. Carthaginenſes ubi eas tam parvo numero longè a cætera claſſe abeſſe vident, rati ſerò eis auxilium a reliquis affuturum, in eas incredibili celeritate irruunt, circumſiſtunt, pleraſque demergunt, parumque abfuit, quin Prætoria caperetur. Quod re-

Aliud navale bellū ad Tyndaridem.

reliqua Romanorum claſſis eminus videns hoſtium naves adoritur, quarum decem onuſtas capit, octo mari ſubmergit, reliquas Liparam fugat. Hac pugna uterque hoſtis victoriam ſibi adſcripſit.

Romani iis accenſi ſtudiis, omnem belli molem in Africam transferre eo animo decernunt, ut Pœni Siciliâ deinceps prorſus abſtinerent. Eoque conſilio claſſem quinqueremium trecentarum & triginta parant; quarum ſingulis trecentos remiges, & legionarios milites centum viginti imponunt. Naves quoque, quibus equi trajicerentur, & duas ſexremes, quibus M. Attilius Regulus, & L. Manlius Conſules creati, veherentur, ædificant. Paratis igitur omnibus ad profectionem neceſſariis, in Meſſanæ portu, ubi tota claſſis convenerat, naves conſcendunt; atque inde ſolventes, ſuperato Pachyno promontorio, Ecnomum venerunt, ubi pedeſtres copiæ claſſem præſtolabantur, eoque loco totam claſſem, quæ hominum millia ſupra quadraginta continebat, quadripartito Conſules dividunt. Carthaginenſes de ſuo periculo anxii trecentarum & quadraginta navium & ipſi claſſem inſtruunt, in qua ex ſelectis tantummodo ad navale prælium militibus ſupra centum hominum millia imponunt. Quorum imperio Hannonem & Amilcarem præficiunt. *Romani in Africam trajicere ſtatuunt.*

Hi cum ſcirent quàm periculoſum eis eſſet bellum in Africam transferri, totis viribus Romanorum eò trajectum impedire conabantur. Itaque ut adventum Romanorum prævenirent, Carthagine ſolventes, Lilybœum navigant. Ubi cum univerſa claſſe primùm conſederunt; poſtea Heracleam petunt; unde conſpicati Romanam claſſem, in quatuor acies & ipſi copias diviſere. Cumque jam in propinquo eſſent, magno, ac terribili clamore ſublato Romanos invadunt. Reclamatur à Romanis altiſſimè, nec minùs infeſtè illis occurritur. Conſules medium primæ aciei Pœnorum agmen magno impetu perrumpunt. Carthaginenſes ab Amilcare edocti, ut Romanam disjungerent claſſem, ex compoſito cedunt. Quo facto, prima, & ſecunda Romanorum acies avidiùs inſecutæ, longè à reliquis ſeparantur, reliquis duabus ſegniùs à tergo ſequentibus. Amilcar ubi Romanorum claſſes disjunctas videt, ſignum e navi ſuis dat, quo exciti Carthaginenſes repente totis viribus in Romanos verſi, primam, & ſecundam claſſem, in quibus Coſſ. erant, circumſiſtunt. Cum quibus atrociſſimo prælio dubiè aliquandiu pugnatum eſt. *Pœni illis ſeſe opponunt.* *Claſſis Romana dividitur.*

Hanno, qui dextrum Carthaginenſium cornu ducebat, ubi implicitam pugnam videt, a pelago cum ſuis navibus triarios, qui extremum Romanorum claudebant agmen, invaſit. Ubi novo ruſum certamine atrox pugna ſucceſſit; atque ibi dum triarii cum Hannone conſeruntur, tertium Romanorum agmen, cui rates equitum tributæ erant, aliquantò proceſſerat, quod quarta Carthaginenſium acies a littore ſtatim adorta eſt; ita ut tres navales pugnæ uno tempore diverſis locis commiſſæ ſint. Et quoniam numerus navium in ſingulis conflictibus erat penè par, certamen quoque non diſpar fuit. Utrinque fortiſſimè, & quàm ſimillima ſtrenuitate dimicabatur. Porro Coſſ. qui initio ægrè obſtiterant, poſtmodum animis erecti Carthaginenſium naves invadunt, quarum quaſdam capiunt, plures ſubmergunt, reliquas fugant. M. Attilius Regulus ubi prima claſſe profligatos hoſtes, fugatoſque conſpexit, L. Manlio ad eorum reliquias perſequendas relicto, ipſe triariis, qui ab Hannone circumſepti ſummo in diſcrimine verſabantur, cum integris ſecundæ aciei na- *Atrox pugna inter utraſq. claſſes.*

navibus ſuccurrit. Triarii ubi ſuppetias ſibi adeſſe conſpiciunt, audentiores facti majorem in modum reſiſtunt. Attilius interea in claſſem Hannonis irruens incredibili animo, & corporis robore naves multas expugnat, nonnullas fractas, armamentiſque nudatas ſubmergit. Ubi Hanno præſenti malo undique circumventus fugam arripuit, ac celeritate navis fretus, in altum evolat.

Romani victores Punicos fugant.

Supererat interea tertia Romanorum acies, quæ circa Heracleæ littus a Carthaginenſibus adeo laceſſebatur, ut vix ulla amplius ſalutis ſpes relicta videretur, cum uno in tempore M. Attilius Regulus a triariis, & Manlius a primo congreſſu victores, diverſo itinere labanti ſuccurrunt; Carthaginenſes in medio poſitos aggrediuntur, atque eorum naves quatuor & ſexaginta capiunt, cæteras fugant. Triplici itaque navali prælio uno fere temporis momento Romani a Pœnis inſignem victoriam conſequuntur, quibus in ea pugna naves quatuor & viginti, Carthaginenſibus verò ſupra triginta fractæ periere. Tanta verò hominum millia occubuere, ut paſſim cadaveribus cava littora complerentur, dumoſique Heracleæ ſcopuli colluctantibus fluctibus occiſorum ſanguine, diffutiſque naufragorum artubus redundarent.

In Libyā tradūt. Urbesq. capiunt.

Amilcar, conclamatis rebus, cum paucis militum, claſſiſque reliquiis, Heracleam ſe recepit. Conſules verò, reparato exercitu, ſuiſque ſimul, & Punicis, quas in pugna ceperant, navibus ad tempus inſtructis, priorique numero adjectis, in Libyam pergunt, atque ad Mercurii promontorium primò appelluntur. Inde Clypeam inſignem tunc civitatem, quæ prima a Punico littore quaſi arx, & ſpecula prominebat, aggreſſi, eamque non multò poſt adepti, Carthaginem propeiant; agros ejus populantur, ſuburbana ædificia incendunt, captivorum ſupra triginta millia ad naves cogunt. Subinde ad Adim urbem cum Carthaginenſibus conſerto prælio, duodeviginti eorum millia trucidant, quinque millia hominum ſimul, & elephantos decem & octo capiunt. Acceptæ in fidem ſeptuaginta quatuor civitates. Serpentem tum ibi ad Bragadam flumen centum viginti pedum longitudinis baliſlis, & catapultis expugnant. Tunetum oppidum vi capiunt.

A Pœnis vincuntur.

Pace deinde apud Romanos fruſtra tentata, Carthaginenſes ad Lacedæmonios confugiunt, Xantippoque Duce auxilia impetrant; cum quo conſerto prælio, Romanus exercitus Attilio duce ultima pernicie vincitur, cum duo tantùm ex ipſis perfugerint, quingenti cum Regulo capti, triginta millia cæſa. Nec multò poſt cum recenti trecentarum navium claſſe M. Æmilium, & M. Servium Fulvium Coſſ. in Africam Senatus, Populuſque Romanus miſit; cui prædæ, victoriæque ſtudio Carthaginenſes obvii facti, commiſsâ pugna, centum & quatuor naves ab Æmilio Conſule demerſas, triginta cum pugnatoribus captas, quindecim hominum millia cæſa perdidere. Romani verò famis neceſsitate inde diſcedere compulſi, latus Siciliæ meridionale circa Camerinam tenuerunt. Ubi adverſa maris tempeſtate ſubitò coorta, ex quatuor & ſexaginta ſupra quadringentas navibus, trecentas octuaginta quatuor naufragio amiſerunt. Incidit ea clades in decimum annum primi belli Punici, qui quingenteſimus fuit ab Urbe condita. (11)

Claſſis Romana naufragio perit.

Carthaginenſes cognita Romanorum calamitate, Aſdrubalem cum omni veterano exercitu, novoque inſuper delectu habito, &

cen-

centum quadraginta elephantis in Siciliam miſerunt, ac ex veteribus, noviſque roſtratis ducentarum navium claſſem inſtruxere. Aſdrubal, emenſo pelago, copiiſque omnibus, & elephantis ad Lilybœum expoſitis, Romanorum ſocias urbes infeſtabat. Romani ne concedere hoſtibus viderentur, infra nonageſimum diem poſt cæſam in ſylvis materiam, claſſem centum & viginti navium in mare deducunt. Cum qua A. Attilium, & C. Cornelium Coſſ. creatos Meſſanam mittunt. Ibi cum eis, & iis quæ incolumes ex naufragio ſuperfuerunt, & refectæ ex illiſione ſcopulorum fuerunt, navibus, trecentarum quinqueremium tota claſſis fuit.

Nova claſſis Meſſanam appellit.

Hinc Panormum profecti, quæ præcipua tunc Pœnorum civitas, omniſque eorum belli præſidium erat, magna vi urbem aggediuntur, duobuſque e lateribus caſtrametati, machinis, ac tormentis adhibitis fortiter oppugnando, paucis diebus arcem demoliuntur; per quam milites ingreſſi eam urbis regionem, quæ Neapolis dicebatur, quæque meridiem reſpicit, capiunt. (12) Quo facto reliqua pars, quam latini urbem veterem, Palæopolim Græci, Alcaſſarum poſtmodum Saraceni cognominarunt, metu exanimatis civibus deditionem fecit. Capta Panormo, firmatoque Romanorum præſidio, Conſules, qui nihil fere aliud eo geſſerant anno, e Sicilia diſceſſerunt. Proximus dehinc annus Coſſ. habuit C. Servilium, & C. Sempronium. Hi, ſuſcepta claſſe primùm in Siciliam, poſtea in Africam trajiciunt; ubi ad Lotophagorum inſulam, Gerborum hodie nominatam perveniſſent, magnam jacturam ex inopinato acceperunt. Nam cum inſcitiâ locorum in aridas, & arctas quaſdam terræ Laminas indidiſſent, nonniſi jactu rerum evadere potuerunt. Inde in Siciliam relati, nonnihil Panormi conſtiterunt. Unde diſcedentes cum Italiam, Romamque repeterent, ſubita, & atroci maris, ventorumque tempeſtate ſuborta, ſupra centum & quadraginta naves amiſerunt. Hac clade populus Romanus affectus a mari abſtinendum, & ſeptuaginta ſolùm navibus ad onera devehenda deinceps uti decrevit. (13)

Panormū Romani obſident, & capiunt.

Eorum claſſis naufragio perit.

Anno proximo Coſſ. creati ſunt L. Cecilius Metellus, & C. Furius, quibus a Senatu terrâ tantùm bellum gerere injunctum eſt. Quo contigit, Carthaginenſes iterum fieri ſuperiores, cum & mari ingentem haberent claſſem, & terreſtribus quoque copiis non minus, quàm Romani pollerent. Elephantorum etiam numerum non ſpernendum poſſidebant; quorum metu Romani cum Pœnis biennio æquo marte in Sicilia congredi non ſunt auſi. Quocirca tandem neceſſitate ad parandam rurſus claſſem coacti ſunt. Interea C. Furio Conſulum altero cum exercitus parte Romam revocato, L. Cecilio Metello Collegæ, qui cum copiarum dimidio Panormi relictus erat, præter omnium ſpem fortuna, rerumque gerendarum ſucceſſus arriſit.

Aſdrubal enim Pœnorum Dux cognito ex profugis Conſulis, & exercitus diſceſſu, ſolumque Metellum cum exigua militum manu Panormi quietem agere, e Lilybœo profectus, confertiſſimum ſelectiſſimæ juventutis agmen cum centum & quadraginta elephantis in Panormitanum agrum induxit. Metellus de Carthaginenſium adventu, copiiſque ſigillatim per amicos præmonitus, tum Aſdrubalem ſumma pugnandi cupiditate flagrare cognoſcens, ſimulato metu intra mœnia exercitum continebat, & foſſam interea ingentis ma-

Pœni Romanos ad bellū provocant.

magnitudinis ante urbem circumquaque molitus eſt. Quo majori fiducia Aſdrubal confirmatus, devaſtato undique, atque incenſo circum agro, exercitum tandem ad urbem admovit. Continuit ſe intra mœnia Metellus, quouſque Aſdrubal cum exercitu Orethum fluvium, qui urbem ad meridiem præterlabitur, trajecit; tum velociſſimos, ac maximè expeditos milites exire, atque hoſtes laceſſere jubet, aliosque etiam leves, & ſtrenuos milites ante muros ſupra vallum, ubi ingentem telorum vim collocaverat, conſtituit, qui contra elephantos telis hac arte pugnarent, ut ſi iratæ belluæ contra ipſos cum impetu ferrentur, in foſſas, earum iram declinantes, ſe dimitterent, unde rurſum eoſdem ex occulto ictibus peterent. Ipſe verò ſignis militaribus ſtipatus, ex adverſa urbis parte, quæ levum hoſtium cornu ſpectabat, in omnem eventum intendens conſtitit.

Pugna pro mœnibus Panormi.

His itaque paratis, ut pugnari cœptum eſt, elephantorum duces gloriæ cupidi, & qui victoriam ſibi attribui deſiderabant, non expectato Aſdrubalis imperio, elephantos in Romanos pedites concitant. Illi, ut à Metello edocti fuerant, ſtatim fugam capeſſunt, inſeſtiùſque inſequentibus belluis, in foſſas ſe præcipites dimittunt. Elephanti cum primùm ad extremum foſſarum tumulum pervenerunt, uno tempore & a militibus ex foſſis, verubus, teliſque, & ab urbana multitudine ex mœnibus ſagittis multifariam feriuntur. Quocirca ex vulneribus & irâ, & ſævitiâ efferi, cum ultra aggerem progredi non poſſent, neceſſariò terga vertunt, atque in ſuos furibundo impetu perciti agmina perturbant, magnamque ſuorum ſtragem edunt. Metellus ut primùm ſibi conſilium ex ſententia ſucceſſiſſe videt, ne oblatam occaſionem contemneret, ex ea urbis parte, unde paratus eventum expectaverat, eductis repente copiis, in hoſtes ferarum indomito diſcurſu perculſos irruit. Illi jam pridem ab elephantis diſsipati, accedente inopinata Metelli invaſione, facilè profligantur, cum pars eorum cæditur, multi capti, plures circa fluvium periere, multi fugâ ſibi ſalutem quærunt. (14) Fuit cæſorum, captivorumque numerus viginti millia. Aſdrubal cum parva exercitus parte ad Lilybœum fugiens, evaſit. Qui abſens ob hanc in Sicilia malè rem geſtam a Pœnis capite damnatur. Elephanti omnes vivi in poteſtatem Metelli, ſed decem cum ſuis magiſtris Indis, cæteri, ſeſſoribus excuſsis, circa fluvium capti, pervenerunt.

Elephanti primi turbàtur.

Pœni ingenti ſtrage fúdûtur.

Recens hæc victoria Romanorum animos adeo erexit, ut contra Carthaginenſes in Sicilia bellum nulla clade, nulliſque expenſis deferendum deinceps adducerentur. Metellus Romam regreſſus de Pœnis triumphum cum elephantis præeuntibus egit. Erat tum hujus belli annus decimus quartus, & ab Urbe condita quingenteſimus & quartus. Poſt hanc victoriam C. Attilius, & L. Manlius novi Conſules in Siciliam majori cum conatu, mari quidem ducentarum roſtratarum navium claſſe, terrâ verò exercitu victore convenerunt. Qui ſtatim hoſtes ob recentem hanc cladem attritos in Lilybœum compulerunt, quam duplici obſidione circumdedere, atque curribus, omnique bellico opere proinde ad id comportato oppugnarunt. Erant Lilybœi ad decem propugnatorum millia præter urbanam multitudinem, quorum Himilco dux erat, homo impiger, & militari arte inſignis. Qui cum Siciliæ civitates omnes, præter Lilybœum, Drepanum, Erycem, & alia admodum exigua, quæ Pœnorum adhuc ditionem, imperiumque agnoſcebant, Romanis parere videret, totis ani-

Romani terrâ, & mari contra Carthaginenſes.

Lilybæû obſident.

animis, viribuſque eam Carthaginenſibus urbem tuebatur, veritus ne eâ amiſsâ, bellum in Africam iterum a Romanis transferretur. *Lilybæû obſident.*

Conſules igitur ſedulo omnia pro victoria agunt, binis caſtris utrinque urbem cingunt; foſſam, & aggerem, & crebra caſtella in medio caſtrorum excitant, machinas ſtruunt, ſtagna, per quæ ingreſſus eſt ad portum, ſtationibus comprehendunt, & ne quis ingredi, egredive poſſit, curioſiſſimè obſervant; machinis deinde, & arietibus longo labore mœnibus ipſis admotis, ſex turres ab ea ipſa parte, quæ mare contuetur, evertunt. (15) Quaſſata murorum parte, terribilis erat obſidio, & intra urbem ſumma trepidatio excitata, quam exanimatis metu urbana multitudine, & conductis militibus, ſolus unus Himilco magnitudine animi, & conſilio ſuſtinebat. Nam quacumque parte hoſtes muros disjiciebant, alia ipſe intra urbem mœnia, munimentaque ſufficiebat. Sicubi illi cuniculos faciebant, aliis ipſe factis obviam ibat. Eruptionibus etiam crebris tam interdiu, quàm noctu Romanas ſtationes turbabat, machinas incendebat, opera demoliebatur, longumque ita obſidentium laborem fruſtrabatur. *Pœni fortiter obſiſtunt.*

Interea Galli quidam conductitii Carthaginenſium milites, qui ordinem in præſidio tenebant, prodere Romanis urbem ſtatuunt. Qui per tenebras muris dilapſi, in caſtra Romanorum transfugere, ibique cum Conſulibus compoſuere. Erat in Carthaginenſium præſidio Alexon Achæus genere, veteranus miles probatæ fidei, qui ſuperioribus temporibus Syracuſanis urbem tenentibus, Agrigentum a proditione liberaverat. Is cum ea, quæ de proditione tractabantur, a commilitonibus fortè didiciſſet, ſtatim Himilconi rem omnem aperit. Ille per Alexonem, & Annibalem internuntios, Gallorum transfugas precibus, & præmiis uſque adeo convertit, ut adventantibus mox a Romanorum caſtris ad conſtitutum facinus conjurationis principibus, non modò ad patrandam proditionem, ut ſimul conjuraverant, non conſenſerint, verùm etiam telis, ac lapidibus proditores inſectati procul inde fugaverint. At quanquam ita ex manifeſto periculo Lilybœum ſervatum videretur, obſidio tamen dura in dies magis, ac magis obſeſſos conterebat. *Urbis proditores detecti.*

Inter hæc Carthaginenſes de ſuo diſcrimine ſoliciti, Regulum, quem captivum habebant, fide ab eo accepta, ut Carthaginem rediret, Romam mittunt, ut cum Senatu vel de pace, vel de captivis ſaltem commutandis ageret. Ille ubi Romam venit, Senatui perſuaſit, ut neque ad fœdus, neque ad commutationem ullam conſentirent. Illud, quia brevi futurum eſſet, ut inviti Carthaginenſes tot cladibus fracti jugum acciperent, hoc, quoniam ipſum jam ſenem, ac pene decrepitum, & ob id bellis gerendis ineptum, cum Carthaginenſibus captivis commutari, qui viri erant fortes, ac ſtrenui, & rei militaris ſcientiſſimi, Reipublicæ perniciosum foret, Regulus poſtquam patriæ benè conſuluit, utroque infecto negotio, Carthaginem (ut pollicitus fuerat) rediit. Quo cognito, Pœni variis tormentis ipſum, & ob id, & ad animos ſuorum prodendos, vexatum crucis ſupplicio tandem adegerunt. *Regulus Romam pro pace miſſus.* *Regreſſus, in cruce actus eſt.*

Poſt hæc Carthaginenſes quo Lilybitanæ obſidioni ſuccurrerent, ex Africa Annibalem Amilcaris filium incredibili audacia adoleſcentem cum quadraginta navibus, & decem millibus peditum Lilybœum mittunt. Is Carthagine ſolvens, ad Eguſam inſulam, quæ

Digitized by Google

Favognana eſt hodie, primùm delatus, inde ſecundante vento; ne Romanis quidem, qui ab utraque parte fauces portus obſidebant, objicere ſe auſis, magno ſuorum clamore, & alacritate Lilybœjum portum eſt ingreſſus. His copiis Himilco fretus, fiduciâque rerum erectus, repente ultra viginti millia armatorum ex urbe educit, quibus Conſules numero ſuperiores, qui eò intentiori ſolicitudine caſtra communierant, fortiter ſe oppoſuere. Hinc certamen multis ſimul locis conſeritur. Pœni machinas hoſtium incendere; Romani eos propellere ſatagebant; Illi magno impetu non ſolùm armis, ſed etiam facibus Romanos loco pellere adnitebantur; iſti pertinaciſſimè contra omnes conatus perſtabant, cunctaque igne, ferro, & cæde miſcebant. Porro prior Himilco, poſt varias ex omni parte ſtrages, cum nihil proficeret, receptui cecinit. Annibal, ut a pugna ceſſatum eſt, cum ſuis navibus noctu Lilybœo ſolvens, Drepanum ad Adherbalem navigavit. Quo diſcedente, arctior obſidio urbem a Romanis ſubſecuta eſt.

Nova ſubſidia Pœni recipiût.

Tenebat interea Carthaginenſium Senatum maxima rerum Lilybitarum cognoſcendarum cupido, quam cum nulla præſenti via explere poſſent, vir quidam, cui nomen Annibal Rhodius genere, ſed animo præſtantior, deducta inſigni celeritate in mari triremi, periculum ſubiit; ſolvenſque Carthagine Eguſam inſulam primo vento applicat. Nactus poſtridie multò proſperiorem auram, tanta velocitate Lilybœum proficiſcitur, ut ſpectante Romana claſſe, quæ fauces portus obſervabat, nec impedire tranſitum auſa, portum ingreſſus per otium etiam in quo ſtatu ſuorum res ibi eſſent, ſpeculatus ſit. Conſules tantam viri audaciam admirati, decem triremes ex tota claſſe delectas in ipſis portus faucibus, quæ redeuntem interciperent, ex induſtria collocant; ſed & naves cæteræ, quæ ibi excubabant, ad utramque proximæ paludis partem extenſis remis reditum Rhodiæ triremis præſtolabantur. At ille captatâ receſſus horâ, non noctu, neque clam, ſed pleno die, & palam, apertoque itinere per medias Romanorum triremes navigans, incredibili velocitate elapſus eſt. Nec evaſiſſe contentus, ubi paululum hoſtes præteriit, converſâ prorâ ignaviam eis objiciebat ſimul, & ad pugnam ſingulos provocabat. Nec Romanæ triremes ob miram hujus pernicitatem contra exire ſunt auſæ. Ille igitur quaſi de hoſtibus triumphans, Carthaginem reverſus, cuncta, ut oculis viderat, Senatui retulit.

Rhodiæ navis inſigne facinus.

Inter hoſticas rates tranſit, & regreditur.

Ejus exemplo cæteri poſtea idem facere non ſunt veriti. Quo eveniebat, ut nihil eorum, quæ Lilybœi agebantur, Pœnos lateret. Ea ludificatio ad ingenium etiam Romanos provocavit, compulitque militari opere portus ingreſſum obſtruere; eoque onerarias aliquot naves ſabulo onuſtas maris fundo gravi pondere ſuperjecto depreſſere. Quæ omnia cum ſæpe tentata, hinc ipſa vadi altitudo abſorbendo, hinc undarum fluxus, ac refluxus diffundendo illuſiſſet, tandem ex una faucium parte agger conſtitit, in quo Romani excubantes paulò poſt quadriremem Carthaginenſium nihilò ſegniorem priori, quæ magno impetu ex Eguſa proruperat, interceperunt. Qua ſubinde uſi adventum Rhodiæ obſervabant. Illa intempeſta (uti ſolebat) nocte adveniens, & innata ſagacitate prætervecta, portum ingreſſa eſt. Quam cum poſtea redeuntem e veſtigio quadriremis capta ſecuta eſſet, Rhodius deſperatâ fugâ ab ingenio ad prælium venire compellitur. Sed cum Romani numero, & virtute præſtantiores eſſent, parvo negotio cum ſua navi in manus hoſtium devenit.

Romani portũ obſtruere tentant.

Duabus his triremibus freti ex eo tempore Romani, & portus aditum Carthaginenſibus pœnitùs prohibuerunt, & undique Pœnis præſidii ſpem ademerunt. Sed ex inſperato illis patrandæ rei occaſio ſucceſſit. Nam cum vehementior ventus, & veluti procella repente orta, bellica Romanorum opera vehementiſſimè concutere cœpiſſet, Pœni conſilium Græci cujuſdam militis ex his, quæ intus erant, ſecuti extra urbem tribus in locis ignem ex adverſo injiciunt. Flamma aridæ materiæ vi ventorum impulſa, Romanorum machinas diu jam ad Solem uſtas facillimè abſumebat. Tantaque fuit ignis vis, ut dominante Borea, nulla humana arte extingui potuerit, & baſes, quibus ſtabilitæ turres erant, cremarentur, & arietum capita liqueſcerent, & machinæ ferme omnes conſumerentur. Quo caſu Romani deſperata operum bellicorum refectione, obſidione tantùm Carthaginenſes premere, nec priùs inde diſcedere decreverunt, quàm urbe potirentur. *Pœni Romana opera incēdūt.*

Hæc cum Romæ nuntiata eſſent, Senatus decem millia hominum in ſupplementum eorum, qui in Ipſa obſidione interierant, miſit. Hi Meſſanam primò advecti, pedeſtri deinde itinere in caſtra ad Lilybæum venerunt. Interea prioribus Conſulibus Romam reverſis P. Appius Claudius Pulcher Conſulatum inierat, & jam apud Lilybæum obſidioni, belliquè ſummæ præerat. Is ad recentem militum adventum conſilia inſtituens, ex veteribus, noviſque copiis invictiſſimos quoſque viros delegit, quibus naves ſuas complevit. Cum his deinde Drepanum per noctem, nihil ſentientibus hoſtibus, navigat, ex improviſo Adherbalem aggreſſurus. Illuceſcente cum Romanam claſſem jam in limine, Drepani exitio inſtare Adherbal conſpexiſſet, ètſi primùm inopinato hoſtium acceſſu commoveretur, conſeſtim tamen ad ſe reverſus, fortunam prælii omnino tentare, ac nihil non pro ſalute experiri ſtatuit. Itaque protinus remiges ad littus cogit, mercenarios ære convocat, eoſque pro temporis anguſtia ad præſentes miſerias propulſandas hortatur, naveſque conſcendere, atque eò proras dirigere jubet, quo ducem tendere vidiſſent. *Novæ copiæ a Roman. miſſæ.* *Claſſis Romana Drepani.*

Tum primus portu ipſe egreditur, & in Romanos, qui diverſa portus regione appropinquabant, curſum deflectit, atque in altum progreſſus, pelago ſe firmat. Conſul hoſtes ad prælium paratos conſpicatus, naves ſuas referre gradum juſſit; ibique ſtructis, paratiſque omnibus, ut in propinquo fuere claſſes, ſignis utrinque ſublatis, pugna committitur, atque diu acriter certatur. Producta verò diutiùs conflictatione, Carthaginenſes & agilitate navium, & nautarum peritiâ, tum eo maximè, quòd Romani arctum littus, ipſi verò pelagus tenebant, quo longè latèque diſcurrere poterant, ſuperiores erant. Denique cum rem ſuam Conſul in deterius labi videret, navibus aliquot in littore confractis, nonnullis etiam ſubmerſis, deſperatâ ad extremum victoriâ, omnium primus fugam arripuit. (16) Quem triginta naves, quæ ei proximæ erant, ſunt ſecutæ, reliquæ omnes tres & nonaginta cum copiis omnibus in hoſtium manus captæ pervenere. Adherbal ingenti hac victoria potitus, maximum, ut par erat, nomen eſt adeptus. *Navalis pugna Romanis contraria.*

Hæc ubi Romæ renuntiata ſunt, Claudio revocato, atque a Senatu injuriis affecto, Conſulatuque abdicato, confeſtim reparata claſſe, noviſque coactis copiis, L. Junium Conſulem in Siciliam mittunt. Is cum ſeptuaginta roſtratis navibus Meſſanam venit, qui ſtatim to- *Novus in Sicilia Conſul.*

Nova Romanorū claſſis in Sicilia.

totâ Siciliâ contractis ad ſe cæteris Romanis triremibus, centum viginti roſtratarum claſſem effecit, præter octuaginta onerarias, quas Quæſtori ad commeatum in caſtra ſerendum dedit. Interea Adherbal gloriæ ambitione, & novitate victoriæ ductus, primùm captivos Romanorum, & naves prælio acceptas Carthaginem miſit. Subinde Carthalonem Carthaginenſem virum impigrum, & militiâ ſtrenuum cum triginta navibus ex Drepano ad omnia circum Siciliæ littora perluſtranda cum poteſtate mittit, ut quaſcumque Romanorum naves offendat, capiat, atque incendat.

Punica claſſis cum Romana congreditur.

Carthalo nihilo gloriæ minus cupidus, quàm Dux, noctu ex improviſo in claſſem Romanorum, quæ ad Lilybœum ſtabat, incidit, ac in eam impetum facit, cui ſtatim ab his, qui circa claſſem excubabant, occurritur. Rumore exciti qui ſuperioribus erant caſtris, citiſſimè concurrunt, atque ita certamen ingens circa naves conflatum eſt. Inter hæc Himilco ex clamore hoſtium, novoque ſtrepitu cum ſuos adeſſe cognoviſſet, impigrè urbe egreſſus, caſtra Romana invadit. Ita ab urbe ſimul, & portu atrox prælium excitatur, tumultuque, & trepidatione omnia per tenebras complentur. Ea dimicatio, bellandique ardor a tertia ferme vigilia ad auroram uſque proceſſit. Sub lucem verò Carthalo ſuos ab incepto revocat, paucis captis Romanorum navibus, quas primo impetu expugnaverat, atque ita Lilybœo profectus Heracleam petiit, ut commeatus, qui ex ea parte in caſtra Romanorum comportabantur, vel interciperet, vel impediret.

Pœnì verſus contrà Romanas naves.

Huic iter agenti ſpeculatoriæ ejus naves ingentem Romanarum navium numerum adventare nuntiant. Ille fiduciâ rei nuper geſtæ nihil cunctatus, contra eas pergit. (17) Romanus Quæſtor, qui cum illis navibus venerat, poſtquam hoſtium claſſem adeſſe & ipſe ſub idem fere tempus audiviſſet, quia longè imparem ſe hoſti cenſebat, in proximum littus naves ſubduxit. Erant in iis locis receſſus quidam, atque anfractus, rupeſque deſuper imminentes, e quibus Romani ſagittis, ac fundarum jactu Punicorum naves arcebant. Carthalo cum propter naturam loci fruſtra adniteretur, paucis hoſtium navibus, quas primo impetu oppreſſerat, ſecum abductis, ad proximum fluminis oſtium conſedit, & ne qua hoſtes evaderent, obſervabat. Inter hæc Conſul peractis omnibus iis, quorum gratiâ Meſſanæ remanſerat, cum reliqua claſſe ſuperato Pachyno, Lilybœum ignarus cladis, quæ ſuis acciderat, contendit.

Romani ad littus naves ſubducunt.

Carthalo Conſulis adventu per ſpeculatorias percepto, ſtatim adverſus eum properat, ſtatuens procul a cæteris Romanorum navibus illum adoriri. At Conſul cum eminus adventum hoſtis, conſiliumque prævidiſſet, & multitudine, & audacia hominis ſupra centum roſtratas naves ſecum habentis perterritus, nec pugnare, nec retrofugere ob hoſtium vicinitatem auſus eſt. Quocirca ad loca difficilia, ac periculoſa converſus, in proximo littore ſtationem fecit. (18) Id conſpicatus hoſtis, difficultatem locorum exhorrens, ab inſtituto Romanorum inſultu deſtitit, ſed medium quemdam inter utramque Romanorum claſſem ſinum nactus, conſedit; ratus, eo modo nec Prætori, nec Conſuli aliquò abeundi facultatem fore. Cumque in hac obſervatione per aliquot dies utrinque ſtetiſſent, ingens procella inſurgere cœpit, quam Carthaginenſes nautæ regionis, & æquoris gnari prævidentes, Carthaloni ſuaſerunt, ut ſuperato quàm primùm

mùm Pachyno naufragium evitaret. Quibus ille obſecutus, cum ſuis omnibus fœdæ tempeſtatis periculum evaſit.

At Romanorum claſſis vi fluctuum inundantium in locis importuoſis agitata, ita ad extremum ſalo ſuccubuit, ut ſcopulis illiſa, fractaque, nihil ex tot navibus, quod deinceps eis utile eſſe poſſet, ſibi reliqui ſervaverit. Per hunc modum Romani onerarias naves ad octuaginta, roſtratas verò ad centum viginti uno ſimul tempore amiſerunt. His maritimis cladibus aliis ſuper alias acceptis, fractus populus Romanus, mari iterum prorſus exceſſit, in terra dumtaxat ſpem retinens; Contra verò Carthaginenſes & mari dominabantur, & in terra quoque non ſine ſpe erant. Nec tamen tot clades Romanos inducere potuerunt, ut obſidione Lilybœi abſtinerent. Quare & quotquot erant neceſſaria ſuppeditabant, & in obſidione perſeverabant. Conſul poſt amiſſam apud Heracleam tanto naufragio claſſem, terreſtri itinere in caſtra ad Lilybœum, curæ, & ſolicitudinis plenus pervenit, qui jam vitam etiam ſibi acerbam putabat, dum occaſione alicujus rei benè gerendæ acceptam ex mari ignominiam aboleret. *Ingens tempeſtas Romanas perdit claſſes.*

Nec ita multi dies interceſſerunt, quibus ille Erycem per proditionem occupavit. Ubi & Erycinæ Veneris templo, & oppido potitus, uno præſidio in vertice, altero ad radicem montis, qua aditus a Drepano eſt, collocato, cuſtodire utrumque locum properat. Carthaginenſes amiſſo Eryce, Amilcarem cognomento Barcham Annibalis, qui poſtmodum ſexdecim annis in Italia cum Romanis bellum geſſit, patrem, ingentis ſpiritus, & ſingulari rei militaris ſcientia virum cum nova claſſe, novoque delectu in Siciliam expediunt. Is claſſe in Italiam delatus maritimam oram populatus eſt. Erat tum primi hujus belli Punici annus decimus octavus. Ex Italia Amilcar vaſtatis Locrorum, & Brutiorum agris, Siciliam petens cum omni claſſe, in Panormitanum agrum deſcendit, locumque ibi nactus bello gerendo aptiſſimum, in eo conſedit. Nam altè mari ſupereminet, & naturâ munitus eſt, & ad tenendum exercitum tutiſſimus, portumque habet navium plurimarum capaciſſimum. Eſt is locus (ni fallor) Mons, quem hodie Peregrinum vocant, mille fere paſſibus a Panormo diſtans. *Romani Erycé potiuntur.* *Pœni novis copiis, & navibus in Siciliâ.*

Ibi Amilcar caſtris poſitis, mediis ſeſe in dies hoſtibus objiciens, laceſſere eos nunquam deſiſtebat. Unde & mari ſæpe in maritimam Italiæ oram excurrens, omnia uſque ad Cumas populabatur. Poſtea pedeſtri itinere ducto exercitu, caſtra ante Panormum non longiùs a Romanis copiis, quàm octingentis paſſibus diſpoſuit. Ibique ter circiter annos commoratus, multa, & præclara facinora geſſit. (19) Ad extremum urbem Erycem per proditionem recepit; quo facto utrumque Romanorum præſidium, inter quæ media ſtabat ipſa civitas, duriſſimè a Carthaginenſibus opprimebatur; qui intra urbem erant, inter Drepanum, & Erycem arctiſſimè claudebantur. Sed non minus Carthaginenſes ipſi in Erycina urbe a duobus hoſtium præſidiis, altero ſupra ad verticem, altero infra ad radices montis obſidebantur. Ita invicem & obſeſſi, & obſidentes ſumma animorum obſtinatione perdurabant, nec aut virtute, aut militia alter alteri cedere quicquam videbatur. Cum itaque hoc pacto fortitudinis contentione in longum bellum protraheretur, nec interim Amilcar frequentibus per mare excurſionibus Italiam infeſtare *Erycé proditione recipiût.*

ceſſaret; Romani, qui jam annos fere quinque mari abſtinuerant; ſimul Amilcaris injurias ulciſci, & bellum ad finem perducere cupientes, iterum ad navalem fortunam redeundum eſſe judicarunt. *Romani nová instruūt claſsé.* Idcirco ducentarum quinqueremium inſtar ejus Rhodiæ, quam circa Lilybœum ceperant, claſſem paraverunt, cui C. Luctatium Conſulem præfecerunt. Is ſub initium veris cum omni expeditione improviſus in Siciliam delatus, primo acceſſu Drepanitarum portum, & alios circa Lilybœum circumjectos ſinus occupat. Deinde Drepanum adhibitis machinis, aliiſque bellicis operibus adoritur, & quoniam non procul claſſis Carthaginenſium inde aberat, non ſegniter, ſed aſſiduè oppugnationem perſequebatur.

Pœni audito novæ claſſis adventu, ſtatim & ipſi ſumma ope triremes comparant, ac frumento, aliiſque neceſſariis inſtruunt, ne quid iis, qui apud Erycem obſidebantur, deeſſet, Præfectumque claſſi Hannonem conſtituunt. Conſul, Carthaginenſis claſſis factus certior, ad Eguſam inſulam præliandi conſilio venit. *Cum Punicis certare ſtatuunt.* Hanno Carthagine ſolvens, ubi triduum apud Hieroneſum inſulam, Sacram Ptolemæo, ſed Maretimum hodie dictam, conſediſſet, flante vehementi aura, inde ad caſtra Amilcaris naves exoneraturus, ac commeatum expoſiturus properabat. Illuceſcente itaque, cum primùm Pœnorum vela apparuere, quamvis procelloſum, & adverſum eſſet mare, Conſul congredi cum Hannone ſolo conſultius fore ſtatuit, quàm ſedato mari cum eo ſimul, & expedita claſſe, ac optimis militibus, & Amilcare, cujus eo tempore audacia nihil erat antiquius, in certamen deſcendere.

Hanno ubi interclusum per Romanas quinqueremes curſum ſibi videt, ad certamen inſtructas jam naves dirigit, atque ibi utrinque confligitur. Romani primo ſtatim congreſſu, quòd celeres, ac bello exercitas naves, copiaſque haberent, Pœnos, quibus onuſtæ, & ineptæ ad bellum puppes, tum remiges rudes, & militum turba collectitia, & inexercita erant, fortiter, & facilè ſuperarunt. *Quā facilè ſuperant.* Naves eorum quinquaginta vel fractæ, vel ſubmerſæ, ſeptuaginta captæ, reliquæ ad Hieroneſum inſulam, unde ſolverant, ſe ex fuga receperunt, ex militibus eorum vivis, præter eos, qui inter præliandum perierant, ſupra hominum decem millia captivitatem ſubiere. Ex Romanis duodecim naves in pugna ſunt depreſſæ. (20) Conſul adeptà victorià, cum claſſe Lilybœum reverſus, prædam, & captivos inter ſuos dividit.

Porro Carthaginenſes nova, & inuſitata clade conſternati ſimul, & attriti, cum ulteriùs belli èxpenſas ſufferre nequirent, de pace agere cœperunt, atque ita Amilcari tractandæ pacis negotium commiſſum eſt. Is animadvertens optimi Ducis officium eſſe non modò vincendi, ſed & cedendi tempora perſpicere, legatos ad Conſulem pro fœdere miſit. *De pace cōponenda agitur.* Conſul difficultatum conſcius, quæ ex belli diuturnitate urbem Romam premebant, pacem ultro oblatam non eſt aſpernatus. Igitur iis conditionibus, ſi populo Romano viſum fuerit, pacem componunt. Ut totà Sicilià Carrthaginenſes prorſus excedant; Ne poſthac Hieroni Syracuſanorum Regi, aut ejus ſociis bellum inferant; Captivos omnes ſine pretio dimittant; Transfugas reddant. Talenta argenti Euboica duo millia & ducenta annos viginti Romanis pendant. His pacis conditionibus populus Romanus per decem legatos, quos in Siciliam, cum authoritate ad id miſit, hæc addidit:

Ut

Ut omnibus etiam inſulis, quæ inter Siciliam, & Italiam interjacent, Pœni abſtinerent, tempuſque pendendi argenti, mille talentis additis coarctarunt. Amilcar acceptis legibus impetrata pace, ab Eryce copias eduxit, ac pedeſtri itinere Lilybœum contendit. Subinde Eryce, & Lilybœo, ac omni Sicilia Romano Conſuli relicta, cum omni exercitu in Africam reverſus eſt. In hunc modum primo bello Punico a Romanis in Sicilia, & propter Siciliam cœpto, quarto & vigeſimo anno finis eſt impoſitus, cœpitque deinceps omnis Sicilia Romano parere imperio; utpote Meſſana, Tauromenium, Catana, Agrigentum, Lilybœum, Drepanum, Eryx, Segeſta, Panormus, & plura alia oppida, præter Syracuſas urbem, ejuſdemque ditionis nonnullas civitates, quæ Hieronem adhuc Regem agnoſcebant, cui fœdus cum Romanis ſemel ictum, utrinque cultum ſemper, inviolatumque ſtetit. (21)

Pœni relictâ Siciliâ cedūt.

Factâ igitur Siciliâ omnium primâ Romanorum provinciâ, Senatus Æmilium Prætorem in ea conſtituit, atque per Prætores deinde per multa tempora gubernata eſt. Cæterum etſi Carthaginenſes deſperatarum rerum tempore compulſi graves pacis conditiones accepiſſent, pudult tamen poſtea nobilem populum tributa ſolvere, quæ jubere ipſe conſueverat; præcluſum præterea mare, cujus Imperium tot annos antea tenuerat; ereptamque ſibi Siciliam, atque Sardiniam æquo ſatis animo ferre non potuit. Hinc bellum alterum poſt viginti quatuor annorum quietem exortum eſt, minus quidem ſpatio, (non enim amplius quàm duodeviginti annos habuit) ſed adeo cladium atrocitate terribilius, ut ſi quis conferat utriuſque populi damna, ſimilior victo victor extiterit.

Sicilia prima Romanæ Reip. Provincia.

Fuerat apud Carthaginenſes puer Annibal, qui novem natus annos Amilcari patri ad aras juraverat ſe, quum primùm poſſet, dum ætas ferret, Populo Romano crudeliſſimum hoſtem fore, contraque eum atrociſſimis bellis ſæviturum. Is cum primum ad ætatis annum vigeſimum pervenit, videreturque ea eſſe indole, eàque animi conſtantiâ, ut adimplere jusjurandum, ad quod pater eum adegerat, & poſſet, & vellet, Dux belli cum imperio a Senatu Carthaginenſi decernitur. Annibal igitur eo conſilio, tum Senatus precibus, tum patris pietate ſeipſo validior, primùm in Hiſpaniam trajecit, ſive, ut quidam ſcribunt, in Hiſpania jam erat, quam antea totam pene ſubegerat. Ad hujus Ducis ſimul, & Italiæ divitis invadendæ famam tum qui ſub Amilcare ejus patre meruerant, tum alii ex diverſarum gentium hominibus pene innumeri ad ejus caſtra convênere. Sed delectis ex tot millibus illis dumtaxat, qui ad rem gerendam idonei ſunt viſi, coegit tandem exercitum virorum ad centum quinquaginta millia. Tum deinde violandæ pacis, bellique inchoandi cauſam meditatus, Saguntum antiquam Hiſpaniæ urbem, & opulentam, quæ populi Romani ſocia erat, delere ante omnia viſum eſt. Itaque ab ejus obſidione, atque oppugnatione cœptum eſt; quam cùm jam novem menſibus durè obſediſſet, Saguntini feſſi obfamem extremam in rabiem verſi, immanem in medio foro excitant rogum, quo omnes cum fortunis conglobati & ſe, & ſuos deſuper præcipites cum omnibus opibus, machinis, ferro, & igne conſumunt.

Annibal Romanis bellum indicere proponit.

Saguntū Pop. Rom. ſociā expugnat.

Romæ ut Sagunti excidium nunciatum eſt, primùm per legatos apud Carthaginenſes de iis injuriis Romani queruntur. Cumque nec ſarcire damna, nec tributa ſolvere deinceps vellent, bellum eis in-

In Italiam deſcendit. indicunt. Annibal interea, ſuperatis Pyrenæis montibus, laborioſa per alpes profectione in Italiam deſcendit, & ad Ticinum amnem Romanos equeſtri prælio fudit; rurſuſque eoſdem ad Trebiam flumen vicit. Interea circa Siciliam, inſulaſque finitimas viginti quinqueremes cum mille armatis ad populandam oram Italiæ, & Æolias inſulas, ac fretum Siculum a Carthaginenſibus ſunt miſſæ. Hiero cum id temporis fortè Meſſanæ ageret, Sempronium Romanum Coſ. operiens, cum eminus claſſem conſpexiſſet, contra e Meſſanenſi portu duodecim naves emiſit. Quæ, nullo repugnante, tres naves Pœnis ablatas Meſſanam deduxerunt. Ex captivis quoque cognitum eſt, eoſdem quinque & triginta quinqueremes ad veteres ſocios Lilybæi occupandi gratià ſolicitandos in Siciliam miſiſſe, quas ventorum vi ad Æguſam inſulam dejectas cenſebant. *Pœni circa Siciliæ oram.*

Hæc Hiero Rex ſicut Meſſanæ audierat, Æmilio Prætori perſcripſit, ut Lilybæum firmo muniret præſidio, omniaque bello neceſſaria pararet, claſſem Punicam propediem affuturam. Prætor ſtatim per omnem Siciliæ oram in ſpeculis vigiles ſolertiſsimos collocat, & ante omnia Lilybæum ad apparatum belli munit. Edixit præterea, ut ſocii claſsis, quæ decem dierum commeatui ſufficerent, cocta cibaria ad naves deferrent, & ut qui in ſpeculis erant, vigilantes excubias facerent. Interea Carthaginenſes ex induſtria curſum remorabantur, ut ante lucem Lilybæum invaderent. Cæterùm quia luna pernox erat, & ſublatis armamentis veniebant, præſenſi ſunt, ac tum e ſpeculis confeſtim ſigno dato, Lilybæi ad arma conclamatum eſt, atque in naves concurſum. Pars militum in muris, portarumque ſtationibus, pars verò in navibus erant. Pœni autem ut urbem nonniſi bellum expectare vident, uſque ad lucem portu abſtinuerunt, dum armamenta, & claſſem ad pugnam aptaſſent. Ubi illuxit, in altum evecti ſunt, & ut pugnæ ſpatium eſſet, & navibus Romanis exitum a portu liberum darent. Romani & memoria rerum circa ea loca feliciter geſtarum, & militum multitudine, ac viribus freti, prælium non modò non detrectaverunt, ſed foras evecti cominus etiam conſerere manus decreverunt. Carthaginenſes contra etſi ſociis navalibus claſſem ſatis Inſtructam haberent, quia tamen militibus carebant, eludere, atque arte, non vi, rem gerere, naviumque potiùs, quàm virorum, aut armorum certamen inire cupiebant. Quod ubi Romani adverterunt, mora omni relicta, eludentes, re ipſa eluſere. Nam multitudine militum navibus impoſita, certamen navale ineunt, quo adeo ſtrenuè pugnarunt, ut ſeptem Pœnorum navibus captis, cæteras in fugam coegerint, Ex quibus mille & ſeptingenti intercepti ſunt milites, & nautæ, & in his tres Carthaginenſium viri proceres. Claſſis verò Romana incolumis, una tantùm navi perforata, quæ & ipſa cum reliquis in portum rediit. *Lilybæi fruſtra aguntur.* *Illorū claſſem Romani fudūt.*

Sempronius Conſul a Senatu miſſus Meſſanam (hac victoria ibi nondum cognita) venit, quem magnificè vittata in navi Hiero Rex factus obviam ſuſcepit. Subinde inſulæ ſtatum, & Carthaginenſium vires illi expoſuit, pollicituſque eſt quo animo prioribus bellis populum Romanum juvenis adjuviſſet, eo ſenem adjuturum, frumenta, veſtimentaque ſe exercitui Conſulis, ſociiſque navalibus gratis præbiturum, & denique Lilybæi periculum ei narravit. Conſul ſuper his nihil cunctatus unà cum Hierone, regiaque claſſe Lilybæum proficiſcuntur, ibique cognità victorià, Prætore pro concione laudato; *Hiero Romanis ſuppetias præbet.*

fuſas,

ſuſas, ac captas hoſtium naves receperunt. Deinde Sempronius relicto Hierone, regiaque claſſe, ac decreto ad maritimam Siciliæ oram tutandam Prætore, Melitam inſulam, quæ a Carthaginenſibus tenebatur, contendit. Advenienti Amilcar Giſconis filius præſidii Præfectus cum duobus circiter millibus militum oppidum cum inſula tradit. Inde poſt paucos dies Lilybæum rediit, ibique captivos præter eos, qui nobilitate erant inſignes, ſub corona vendidit. *Romani Melitam ſibi vindicant.*

Paucis poſt diebus cum Hiero Rex C. Flaminii, exercituſque ejus apud Traſimenum Lacum non longè a Peruſio per inſidias ab Annibale acceptam cladem cognoviſſet, adeo affectus eſt, ut legatos cum omni apparatu regio, navibuſque, quibus trecenta millia modiorum tritici, & ducenta hordei impoſuerat, Romam miſerit, quibus & victoriam auream trecentarum viginti librarum dono, ac pro ſui erga Senatum, populumque Romanum animi teſtimonio dandam commiſit. (22) Illi in Senatum introducti, & luctum, fidemque Hieronis, & munera, animumque, ut antea ſemper, ita etiam in omni fortuna paratiſſimum publicè expoſuerunt, benignèque auditi, reſponſum acceperunt: Eorum bonum, egregiumque ſocium Hieronem eſſe, fidemque ejus collaudatam, & munera, & victoriam, omenque accipere, ſedemque ei in templo Jovis ad capitolium ſibi dare, ac illic eam dicare conſtituunt, ut perpetuæ, ac ſtabilis victoriæ, & propitiæ fortunæ populo Romano deinceps ſit præſagium. *Hiero donaria Romā mittit.*

Deinde poſt cladem, quam Romani apud Cannas ignobilem Apuliæ vicum, ſed qui ob geſtæ ibi rei magnitudinem emerſit, ab Annibale acceperunt, non ſolùm multæ civitates Italiæ, quæ Romanis ſemper antea paruerant, ſe Annibali dediderunt; ſed in Siciliam quoque eadem inclinatio animorum pervenit. Gelo namque Hieronis filius contempta patris ſenectute, ad Carthaginenſes pene defecerat, & jam res novas in Sicilia moturus videbatur; cum medio armorum ejus apparatu peropportuna ejus mors, relicto Hieronymo filio, conſilium hominis interrupit. Sunt qui ſcribant, patris conſilio eum ſublatum, ne populo Romano aliquando hoſtis fieret; veriſſimus namque amator rerum Romanarum Hiero, & in fœderis religione tenaciſſimus erat, qui Octacilio Proprætori præſidium, quod Romanus populus ei ob inopiam mittere nequiverat, ſolus in tanta undique rerum egeſtate velut unicum refugium lubens præſtitit, atque ad ſolvenda ſtipendia, quantum argenti uſus poſtulabat, & ſex menſium frumentum elargitus eſt. *Gelo Hieronis filius moritur.*

Verùm non longo poſt tempore pecunia omnis, quæ ad bellum Macedonicum decreta, ac Appio Claudio in Siciliam miſſa erat; Hieroni a populo Romano fideliter eſt reddita. Hiero Syracuſis plures publicas ædes condidit tum ſacras, tum prophanas. Nam (Diodoro teſte) non procul a foro, Olympium excitavit, & juxta theatrum ſacram ædem, quæ in longum ſtadii ſpatio extendebatur, lata, atque edita pro longitudinis ratione, & palatium ingens ad iſthmum Inſulæ ſuper ruinis arcis Dionyſii edidit, quo poſtea (Cicerone authore) Romani Prætores uti ſolebant. Uxorem habuit continentiſſimam, quam cum objurgaret, quòd cum ſibi os feteret, ipſa nunquam eum admonuiſſet: Exiſtimabam (inquit) omnes ita olere. Ex ea Gelonem filium, qui poſtea ei præmortuus eſt, & Heracliam, ac Demaratam filias ſuſcepit. Ex Nerei verò nuru gente regia exorta, Hieronymum nepotem, & Harmoniam neptem Gelonis filios habuit. *Publicæ ædes ab Hierone excitatæ.* *Hieronis uxor, & proles.*

Poſt hæc Hiero in morbum lethalem incidit; cumque liberis careret, liberas voluit Syracuſas relinquere, ne ſub Hieronymi nepotis quindecim vix annos nati immaturo Imperio regnum Syracuſanum bonis ab eo artibus partum, ac ſtabilitum labefactaretur. A qua ſententia filiabus eum ſumma ope revocantibus aſſenſit. Hieronymum igitur ex filio nepotem quindecim ei adhibitis tutoribus ſucceſſorem in Regno, & hæredem inſtituit, admonuitque eum, ac tutores, ut fœdus cum populo Romano quinquaginta annos ab eo cultum, & ipſi illæſum ſervarent. Atque ita teſtatus, morbo invaleſcente annum agens nonageſimum, ſi Livio, ſive nonageſimum ſecundum, ſi Demetrio Calliſtiano (Luciano referente) credimus, ſeptuaginta cum regnaſſet annos, diem obiit. Syracuſani veluti patre amiſſo, in orbata civitate regium funus magis amore civium, quàm ſuorum curâ celebrarunt.

Ejus mors, ætas, & Imperium.

1 Belli hujus inter Mamertinos, Hieronemque meminit Diodorus lib. XXII. uti ex ejuſdem Eclogis patet, ubi hæc adnotantur: *Quum Mamertini, qui Meſſanam incolebant, creviſſent, caſtella ſanè multa præſidiis munierunt. Ipſi autem cum agmine, quod expeditum eſſe juſſerant, celerrimè opitulatum Meſſanæ venerunt. Hiero hinc ex hoſtico digreſſus, Mylis vi expugnatis,* MD. *milites in poteſtatem redegit; & confeſtim aliis quoque locis ſubactis, Ameſelum verſus contendit, quod inter Centuripinos, & Agyræos jacet. Id licèt firmum eſſet, multumque haberet militum, expugnavit tamen, diruitque, & præſidiarios criminibus abſolutos in ordines ſuos adſcivit. Poſt Hiero validum habens exercitum in Mamertinos expeditionem fecit, Aleſamque deditione ſibi adjungit, & ab Abacæninis, & Tyndaritanis propensè acceptus, his etiam civitatibus potitur, Mamertinoſque in anguſtum cogit locum. A pelago enim Siculo propinquam Meſſanæ urbem Tauromenium habebat, & ab Etruſco mari oppidum Tyndaritarum. In Meſſanam etiam irruptione facta, ad Lætanum amnem conſedit peditum habens decem millia, equites mille quincentos. Objecerunt autem illi copias ſuas Mamertini peditum octo millia, equites mille quinquaginta, quibus Cios præerat. Hic convocatis Aruſpicibus ad Sacrificium de pugna ſciſcitabatur, qui reſponderunt per exta, Deos ſignificare, illum in hoſtium caſtris pernoctaturum. Is ergo lætabatur, ut qui Regis caſtris potiturus eſſet, & continuò diſtributis in ordinem copiis, amnem tranſire conatur. Hiero autem ducentos exules Meſſenios in commilitio habens fortitudine, ſtrenuiſque factis præcellentes, quibus alios quadrincentos ex delectu adjunxit, vicinum collem, qui Thorax dicitur, eos circumire juſſit, ita ut hoſtibus a tergo incumberent; ipſe autem diſpoſito in ordinem exercitu a fronte occurrit. Equeſtri igitur prælio ſimul ac terreſtri commiſſo, ubi Rex tumulum quemdam circa fluvium occuparat, & loci opportunitate prævalebat, certamen in æquilibrio ad tempus erat; ſed qui ad collem tranſierant ex inopinato Mamertinos adorti, quòd recentes eſſent, pugna defeſſos haud difficulter interimebant; tandem undique circumventi fugam arripuere. Syracuſani autem totis inſtantes viribus omnes conciderunt. Imperator autem ſtrenuè dimicans, quum multis affectus vulneribus animo deficeret, vivus in hoſtis manus venit, ſpiranſque adhuc in caſtra Regis defertur, curæque medicorum traditur, noctem illic juxta oraculum exacturus. Dumque Rex reſtitui jam in ſanitatem magni æſtimat, interea quidam veniunt equos e pugna adducentes; Ibi Cios agnito filii ſui equo, juvenem e medio ſublatum conjectabat; majorem ergo in modum conturbatus ligaturas vulnerum dirupit, ut morte ſua interitus filii honoraretur. Mamertini autem accepto nuncio, quòd cum Prætore ſuo Cio reliqui etiam milites cuncti interiiſſent, Regi ſupplicum ritu occurrere decernunt.* Contigit porro, uti idem hiſtoricus ſubdit, quòd Annibal Pœnorum Dux in

in Lipara inſula ſtationem haberet, qui repentina Mamertinorum clade audita Regem convenit, verbotenus ut ei gratularetur, ſed revera ut arte punica illum circumveniret. Rex autem Pœno fidem habens quievit, Annibal Meſſanam digreſſus quum ad deditionem cives paratos offendiſſet, diverſum perſuaſit, ſibique illos adſtringens, ſuorum militum ſuppetias in urbem introduxit; hinc Mamertini animo elati Regem recipere abnuerunt, qui hac deluſus arte deſpecta obſidione Syracuſas ſe recepit.

2 Obſidionis hujus meminit hoc pacto Diodorus, nonnullis priùs Pœnorum actibus recitatis lib. 23. Ecloga 2. *Hanao Annibalis filius, ut in Siciliam venit, contractis ad Lilybæum copiis uſque ad Selinuntem proceſſit, terreſtremque exercitum, prope urbem poſitis caſtris, reliquit, ipſe verò Agrigentum digreſſus arcem communivit. Tunc populum adduxit, ut ad Carthaginienſium amicitiam ſe applicans ſocialibus eos armis adjuvareat. Ad hunc poſtmodum in caſtra reverſum legati veniunt ab Hieroae ſuper bono communi; nam ſocietatem inter ſe iaierant, de bello Romanis inferendo, niſi quamprimùm in Sicilia faceſſereut. Quum ergo uterque copias ad Meſſanam duxiſſet, Hiero ia colle, qui Chalcidieus vocatur, caſtra poſuit; Carthaginienſes verò terreſtri exercitu coaſtiterunt in Eunis, ut vocantur, nauticoque arcem occuparuat, quæ Pelorias dicitur, & continenter Meſſanam oppugnabant. Quod ubi Populus Romanus audivit, alterum ex Conſulibus Appium Claudium nomine cum manu valida miſit, qui ſtatim Rhegium pervenit.*

3 Sed Diodorum rurſus audiamus: *Ad Hieronem autem, & Carthagiaienſes legatos de ſolveuda obſidione expedit, & advocata concione inſuper promiſit ſe Hieronem bello non invaſurum. Ad quæ Hiero reſpondit, quòd Mamertini ob Camerinam, & Gelam a ſe exciſam, Meſſanamque nefariè occupatam jure oppugnantur, & quòd Romani tantoperè fidei aomen celebrantes, neutiquam ſanguinarios, qui extremo fidem coatemptui habuiſſent, defendere, ac protegere debeant. Quod ſi pro hominibus effictim impiis tantum ſuſcipiant bellum, cunctis maniſeſtum mortalibus fore, quòd miſericordiam erga periclitantes cupiditati ſuæ pratextum adſciſcant, & revera Siciliam affectent.* Subdit inde: *Quando Conſul ad Meſſaaam trajecerat, Hiero proditum a Carthaginienſibus trajectum ſuſpicatus, Syracuſas refugit.* Verum enim vero ex aliis ſcriptoribus clariſſimè conſtat, Hieronem non longè a Meſſana ſeſe Romanis oppoſuiſſe, a quibus devictus, uti paulò poſt Fazellus refert, Syracuſas repetiit.

4 Habet Ecloga IV. Diodorus hæc: *Carthaginieaſibus autem poſt jactam belli aleam victis, Ægeſtam Conſul oppugnat, multiſque ex militium numero deſideratis, retro movit.* Quæ ſunt intelligenda de Conſule Appio Claudio, qui ſolus in Sicilia bellum gerebat, antequam binos exercitus ſub utroque Conſule Romani delegaſſent. Hinc proſequitur Hiſtoricus: *Quum ambo Conſules in Siciliam profecti Adranitarum urbem obſediſſent, vi illam ceperunt. Deinde quum Centuripinorum oppugnantes ad æneas aulas ſederent; legati primùm a Læſinis veniebant; poſtea quum aliis etiam civitatibus timor incubuiſſet, legatos etiam ipſæ mittebant de pace, oppidaque Romanis dedere parati erant, fuerunt autem numero ſexaginta ſeptem, quarum copiis aſſumptis Syracuſas petierunt Hieronem oppugnaturi.* De pacis conditionibus porro hæc habet, *Permiſerunt ei*, ideſt Hieroni, *ut Syracuſas ſub dominio ſuo retineret, & urbes illis ſubjectas Acra, Leontinos, Megarenſes, Eloros, Netinos, Tauromenios. Interea dum hæc geruntur, Annibal cum navalibus copiis ad Xiphoniam profectus erat Regi auxilium allaturus, ſed cognitis quæ facta erant, retroceſſit.*

Sub id temporis Valerius Conſul, qui & Meſſala appellatus, Catanam, quæ Romanis cumprimis adhæſerat, divertens, Solaris Horologii artificium miratus, illius exemplar ſecum in Patriam delaturus accepit. *Bello Punico primo*, inquit Plinius lib. 7. cap. 60. *primum in publico horologium ſolare ſe-*

Digitized by Google

dum roſtra in columna ſtatutum tradit Varro a M. Valerio Meſſala Conſule, captâ Catanâ in Sicilia, deportatum

5 Ante Agrigenti obſidionem: *Adranonem vicum, & Macellam per multos dies quum oppugnaſſent Romani, ſine effectu abſceſſere.* Ita Diodorus lib. laudato num. VI.

6 Ibidem proſequitur: *Ægeſtani primùm Pœnorum imperio ſubjecti ad Romanos inclinarunt, ita & Alyciæi fecerunt. Helorum verò, & Tyrinum, & Aſcelum expugnarunt.* Vocabula hæc omnino corrupta, quæ nec ab ipſo Cluverio emendari potuerunt. Aſcelum fortè Acellum, ſive Ægitallum, de quo idem Diodorus lib. 24. *Tyndarii autem, ubi derelictos ſe vident, metu edocti etiam ipſi dedere ſe volebant. Sed Pœni quod propoſitum haberent ſuſpicati, nobiliſſimos eorum obſides receperunt in Lilybæum, frumentumque, & vinum, & cæteram ibi copiam aſportarunt.* Et hic etiam erratum; Tyndarides enim longé a Lilybœo; hinc malè *Tyndarii* Romanorum ſtudioſi inducuntur. Subditur ibidem: *Romani verò, qui Agrigentum obſederunt, foſſiſque factis vallum jecerant, centum millia erant.* Qui ſanè numerus aliis ſcriptoribus minor.

7 Hanno hic ſenior ab Diodoro appellatur. Carthaginienſis verò exercitus fuit peditum quindecim, equitum ſex millium, elephantorum ſexaginta.

8 Ex Elephantis triginta in eo prælio oppetierunt, tres vulnerati ſunt, eodem Diodoro teſte.

9 Hannonem, quòd rem infœliciter geſſerit, Pœni honoris gradu dejectum ſex millibus aureorum mulctarunt, & pro illo Ducem in Siciliam Amilcarem miſerunt; Hic ad Thermas Romanis occurrit, initoque conflictu, illos ſuperavit, ſexque millibus confectis parum abfuit, quin totum exercitum deleret. Mox Camerinam proditione recepit, ſubindeque Ennam. Quibus elatus victoriis Drepanum iſthmo perrupto mare cinxit, tranſlatiſque Erycenis, Erycem diruit, præter locum, qui Veneris templum ambiebat, An id templum ipſe expoliarit, an alius ejuſdem nominis Imperator, uti Ælianus de Animal. Hiſt. tradit, unde certò affirmem non habeo.

10 *Myſiſtratum* inquit Diodorus eod. lib. 23. *obſederant Romani, multaſque ad hoc machinas fabricarunt; ſed poſt menſes ſeptem re infecta, inde abierunt, compluribus ſuorum amiſſis.* Tertium denique quum obſediſſent, in poteſtatem redegere, ſuperſtitibus ſub corona venditis, ædificiiſque ſolo æquatis. De reliquis porro oppidis ſive receptis, ſive expugnatis ſubdit: *Poſt hæc ad Camerinam proceſſit Conſul, caſtriſque ad eam locatis, capiendo non fuit. Accitis verò ab Hierone inſtrumentis bellicis, urbe potitur, majoremque captivorum partem vendit. Continuò proditorum operâ Ennam etiam capit, ubi præſidiariorum alii cæduntur, alii fugâ ad ſocios evadunt. Inde ad Sitanam progreſſus, ſumma vi urbem expugnat; hinc præſidiis in alias urbes collocatis, ad Camicum ſe convertit Agrigentinorum caſtellum, quod & ipſum proditione in ejus poteſtatem venit, locumque præſidio munivit. Derelicta fuit ab incolis ſub hoc tempus etiam Erbeſſus.*

11 Longè majori numero amiſſas ab Romanis in hoc naufragio naves Diodorus commemorat eodem lib. num. XII. Longas enim periiſſe tradit trecentas quadraginta; Hippagines prætcrea, aliaſque trecentas, itaut a Camerina Pachynum uſque cadavera hominum, & Brutorum, fractarumque navium reliquiæ jacerent, qui evaſerant eos Hiero benignè ſuſcepit, ac veſtibus, cibo, & reliquis neceſſariis recreatos Meſſanam uſque ſalvos, & incolumes deduxit. *Cartalo autem*, ſubjungit, *Carthaginienſis poſt Romanorum naufragium Agrigentum obſidione cinctum ſubegit, oppidumque incendit, & mœnia deſtruxit; ſuperſtites verò in Olympium perfugerunt.*

12 Ante expugnatam Panormum Cephaledium Romanos proditione accepiſſe tradit laudatus Diodorus, ſubindeque Drepanum aggreſſos, tentata

obſi-

obſidione, quòd ſuppetias illi ferebat Carthalo, excidiſſe. *Et Panormum delati*, proſequitur, *jactis in portu ancoris prope muros expoſito milite, vallo foſſaque urbem circumdant; quia enim regio ad portas uſque arbores ferebat, a mari ad mare aggeres foſſa & vallo ſubducebantur. Hinc Romani continua oppugnatione murum dejecerunt, & urbe exteriore potiti multos interemere. Ceteri in antiquam urbem refugientes, miſſis ad Conſulem caduceatoribus, incolumitatem petebant, qui, ſtipulatione facta, vicenas in caput minas pendere, urbemque tradere juſſi ſunt. Pretio libertatem quatuor ac decem millia redemere; reliqui numero ad decem mille cum impedimentis, & ſpoliis victoribus ceſſerunt. Ietini tunc temporis, Panorum quoque præſidio ejecto, urbem Romanis tradidere, quos ſecuti Soluntini, Petrini, Enaterini, & Tyndaritæ. Tum Conſules relictâ Panormi cuſtodiâ, Meſſanam abiere.*

13 Ad hæc ferme tempora pertinent quæ Diodorus ſub ejuſdem libri finem recitat. *Sub hæc*, ait, *portæ Thermorum præfectus ob neceſſaria negotia peregre profectus a Romanorum exercitu comprehenditur, & per internuntium cum imperatore agit, ſi dimiſerit illum, noctu civitatis portam ſe illi aperturum. Is tempus certum pactus hominem abire ſinit, & mille viros noctu illuc mittit, qui anticipato tempore veniunt. Ad præfinitam igitur horam ille portam reſerat, eamque præcipui ac nobiles ingreſſi portæ cuſtodi injungunt, ut occludat, nec alium admittat, quòd ſibi divitias civitatis auferre cuperent. At hi omnes concisi dignam cupiditate ſua mortem oppetiere. Alio dehinc tempore Thermas & Liparam Romani in ditionem acceperunt; Quum verò Ercteum caſtellum* (mons eſt hodie Peregrinus) *quadraginta millibus peditum, & mille equitibus obſediſſent, nihil effecere.*

14 Diodorus ibidem: *Aſdrubal Pœnorum prætor malè audiens apud ſuos, quòd non pugnaret, cum toto exercitu digreſſus per Selinuntinæ terræ difficultates, ad Panormum pervenit, vicinoque amne ſuperato, circa muros caſtra poſuit, nec vallo, nec foſſa adornata propter hoſtis contemptum. Et tum denuo mercatoribus magnam vini copiam advehentibus Celtæ ſe ingurgitant, dumque vociferatu, & ordinis confuſione omnia replent, Cæcilius Conſul in eos irruens extremè profligatos vincit, & ſexaginta Elephantos in poteſtatem redactos Romam mittit. Unde admiratio ſubiit Romanos.* Tunc enim ut Plinius teſtatur lib. 8. cap. 43. Roma primùm hujuſmodi belluas vidit. Hinc in Metelli nummis Elephas deſcriptus habetur.

15 Portus oſtium, quum quindecim cercuros lapidibus referſiſſent, per aggeſtionem Romani explent, teſte Diodoro lib. 24. ſed obſeſſis ſuppetiæ nihilominus a Carthagine venerunt; hinc iterum portus oſtium illi aggerure, lignisque grandibus, & ancoris obvallant. At ventus vehementer ingruens, & mare exaſperatum omnia diſſolvit. Foſſam quoque, quæ circa mœnia erat, opplevere, cujus latitudo habebat cubitos ſexaginta, profunditas verò quadraginta; conſertoque prælio ad muros ſecundum mare, inſidias ex adverſo collocarunt; hoſtium hinc multitudine in bellum ad mare evacuata, qui ad inſidias diſpoſiti erant, Scalas in promptu habentes, ubi foſſa oppleta erat, aſcendunt, primumque murum capiunt. Quo audito Himilcar accurrens, impetu in eos facto, decem millia uno in loco occidit, ceteroſque in fugam compulit. Lues dehinc peſtifera, commeatuſque penuria Romanos in difficultatem conjecit; ſoli enim Romani carnibus veſcebantur, & ſocii, extinctiſque intra pauxillum dierum decem millibus, abrumpendæ obſidionis percupidi erant. At Hiero Syracuſanorum Rex magnam frumenti copiam mittens, animos illis ad continuandam obſidionem iterum accendit.

16 Navali hac pugna deſcripta, ſubdit Diodorus: *Tam validam in mari pugnam illuſtremque victoriam nec Carthaginienſibus, nec quibuſvis aliis circa hæc tempora contigiſſe facilè quis deprehendat, & quod præcipuè mirandum,* quam-

quamvis in tanto periculo Pœni verſarentur, & nonaginta tantùm naves haberent, non ſolùm nemo occubuit, ſed etiam pauci vulnerati ſunt. Poſt hæc Annibal Trierarcham cum triginta navibus Panormum miſit, qui forum annonæ Romanis interceptum Drepanum abſtulerunt, & de reliquo foro, quæ uſui ſibi forent acceptis, Lilybæum remearunt, omnique bonorum genere obſeſſos cumulavere. Inſigne ſanè facinus, cujus uni Diodoro notitiam debemus.

17 Romanorum in hoc concurſu jacturam longè fuiſſe majorem Diodorus memorat. En illius verba: *Carthalo poſtquam audiviſſet claſſem Romanam Syracuſis ſolviſſe, collegis in ſententiam adductis, biſcentum viginti navibus optimis contra illos evehitur. Jamque in mutuum claſſis utraque conſpectum venerat circa littus Geloum, quum Romani timore perculſi ad Phintiadem deflexerunt, navibus, quæ commeatus portabant, aliiſque poſt ſe relictis. Quum verò nihilominus in eos eveherentur Pœni, atrox certamen oritur. Tandem Pœni de magnis navibus quinquaginta depreſſerunt; de longis in profundum egere ſexaginta; confregerunt autem, inutileſque reddiderunt treſdecim. Poſt hæc ad Alycum flumen digreſſi ſaucios refecerunt.*

18 Treſdecim inutiles naves tunc incendiſſe Conſulem, idem Diodorus teſtatur, ac Phintiadis portu relicto, Syracuſas vela feciſſe; tutum enim ab Hierone receptum ſibi datum iri ſperabat. Sed juxta Camerinam deprehenſus in terram ad loca aſpera, & vadoſa confugit; ubi quum flatus inſurgeret violentus, circumito Pachyno, in tranquillo ancoras jecit.

19 Quæ hæc illuſtria fuerint geſta neque ex Diodori fragmentis diſcimus; Caſtellum circa Catanæ regionem nomine Italium occupaſſe Barcam Carthaginienſem ejuſd. lib. 24. Ecloga 11. lego; ſed Cluverius errorem huc irrepſiſſe cenſet, Italiumque a Pœnis oppugnatum inter Lilybœum, & Drepanum ſtatuit.

20 Pœnos in hac pugna centum & ſeptem naves amiſiſſe, & inter has viginti cum ipſis viris, ex quibus octoginta tantùm Romanis ceſſere, tradit Diodorus. Captivos verò ſex mille, vel ut aliis placet, millia quatuor & quadraginta fuiſſe ſcribit. Alias verò naves ſecundo vento Carthaginem, ait refugiſſe.

21 In vivis agente Hierone, cum Celtis, & Gallis Romani acre bellum geſſere, quo durante ille frumenta abundè ſociis ſuppeditavit, cujus pretium bello confecto accepit.

22 Aurea hæc Victoriæ ſtatua in Jovis Capitolini templo videbatur, pondo libr. 300. Rhodios ſibi etiam Hiero demeruit; quum enim illorum urbs ab ingenti terræmotu ruinam feciſſet, Hiero ad muri inſtaurationem ſex argenti talenta eiſdem donavit, argenteoſque lebetes magni pretii adjecit. Navibus quoque frumenta miniſtravit, & a vectigalibus immunitatem conceſſit. Diodor, lib. 26.

FR. THOMÆ FAZELLI SICULI, ORDINIS PRÆDICATORUM DE REBUS SICULIS,

POSTERIORIS DECADIS LIBER QUINTUS.

DE HIERONYMO SYRACUSANORUM ULTIMO REGE; ET EJUSDEM URBIS A M. MARCELLO EXPUGNATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Hieronymus Hieronis ex præmortuo Gelone filio nepos, prolato avi teſtamento, in regnum Syracuſarum ſufficitur, ac in Senatum productus ultroneo populi conſenſu Rex ſalutatur. Erant inter quindecim tutores, quos Hiero ei adhibuerat, Andronodorus, & Zoilus ejus generi, viri principes. Quorum alter Andronodorus cæteros tutores ſtatim ſummovet, tutelæque adminiſtratione abdicat; quippe quòd ad Regni Imperium ſatis grandem Hieronymum eſſe diceret, & in ſe unum omnium tutorum vires convertit. Hieronymus imperii primo ſtatim initio omnia ab avo diverſa oſtendit, purpuram, ac diadema, & ſatellites armatos, quadrigaſque albis equis vectas more Dionyſii Tyranni habere cœpit; cum per tot annos Hieronem, filiumque ejus Gelonem nec veſtis habitu, nec alio ullo inſigni a civibus differentes Syracuſani unquam vidiſſent. Cæterùm & inſolens ille, & in omne facinus præceps, contemptor hominum, contumelioſus, ab omni comitate alienus, promiſcua libidine inſignis, & immanis Pythonem e lupanari acceptam uxorem duxit. Quibus moribus, ſuperbo apparatu, inhumanitate, crudelique Tyrannide tantus terror Syracuſanos invaſit, ut plerique ſibi ipſis mortem conſciverint; plurimi verò ſupplicia ſugâ præverterint.

Hieronymus Hieronis nepos Rex ſalutatus.

Peſſimi ejuſd. mores.

Porro Andronodorus, & Zoilus ut Carthaginenſibus confœderaretur, omni ipſum ſtudio impellebant. Obſiſtebat his Thraſo, & ad renovandum cum Romanis fœdus, ut avus præceperat, jam pene labantem animum ejus convertere nitebantur. Interea ob enormia ejus vitia, ſævitiamque intolerabilem, a pleriſque in caput ejus conjuratur. Quorum propoſitum, etſi clandeſtinum, per Calonem tamen Hieronymi a puero familiarem ei proditur, Theodoruſque unus ex conjuratis nominatur. Is comprehenſus Andronodoro traditur ad torturam. Qui etſi ſe ipſum ſtatim aperta confeſſione manifeſtaſſet, conſcios tamen celavit; tandemque cum inter quærendum intolerandis laceraretur cruciatibus, victus pœnæ impatientiâ, a conſciis ad inſontes divertens, Thraſonem ipſum ex tutoribus fideliſſimum conjurationis authorem, pleroſque verò alios Hieronymi domeſticos, prout inter dolores, gemituſque occurrebant, reos mentitus eſt. Rex ubi Thraſonem, qui & populi Romani ſtudioſiſſimus erat, & Car-

Conjuratio in eum detecta.

thaginenſibus, quibus ipſe jam animo propenſus erat, adverſabatur; conſilii authorem cognovit, confeſtim ipſum cum cæteris, qui nominati ſunt, ad ſupplicium pertraxit. At conjurati, quos Theodorus ſilentio prætererat, dum ille torqueretur, fugâ ſalutem ſibi quæſierunt.

Necato Thraſone, qui Regi cum Romanis unicum erat vinculum, primoribus aliis ad defectionem inſtantibus, non multo negotio Hieronymus ad Pœnos deflexus eſt; iiſdemque authoribus Hippocrates, & Epicides germani fratres Carthagine quidem nati, ſed Syracuſis oriundi, & Pœni materno genere, legati ad Annibalem miſſi, & remiſſi ſunt. Per quos inter ſe mutuò juncta eſt ſocietas. Erat eo tempore Appius Claudius in Sicilia Romanorum Prætor. Hic ubi defectionis conſilium ab Hieronymo reſcivit, ſtatim de reparanda cum eo ſocietate, quæ cum Hierone avo fuerat, Legatos miſit. Legati per contemptum ſunt auditi, & cum ludibrio dimiſſi, interrogante per jocum Hieronymo: Quæ fortuna eis pugnæ ad Cannas? Poſt hæc Hieronymus per legatos fœdus, quod cum Annibale inierat, cum Senatu Carthaginenſi firmavit his conditionibus: Ut Romanis Siciliâ pulſis, Himera amnis Syracuſani, & Carthaginenſis Imperii eſſet finis; ut claſſem Pœni militibus abunde inſtructam contra populum Romanum in Siciliam emitterent. Sed cum aſſentatores ei in aurem ſuggererent, utriuſque avi jure Siciliæ totius regnum ſibi deberi, omnem Siciliam per legatos a Pœnis depopoſcit. Cui Carthaginenſes nihil penſi habentes, modò ipſum a Romanis averterent, facilè aſſenſerunt.

Ad Pœnos deficit, eiſq. adhæret.

Initi fœderis conditiones.

Paucis poſt diebus, quibus hæc ultro, citroque jactata ſunt, Hippocratem, & Epicidem cum duobus armatorum millibus ad tentandas urbes, quæ Romanorum præſidiis tenebantur, expedivit. Ipſe verò cum quindecim peditum, equitumque millibus in Leontinos profectus eſt. Conjuratores Leontini jampridem convenerant, & liberas ædes viæ anguſtæ, quà ab arce Rex in forum deſcendere ſolebat, imminentes, fortè habitabant. Ibi itaque armis inſtructi Regis tranſitum præſtolabantur. Erat inter conjuratos unus Regis corporis cuſtos, Indigeminus nomine, cui cæteri partes dederant, ut cum Rex palatii portis appropinquaret, in anguſtiis viæ ſequens agmen (ſimulatâ cauſâ aliquâ) ne Regem ſequerentur, a tergo prohiberet. Igitur cum Rex ab arce de more in forum deſcenderet, & ad anguſtias perveniſſet, Indigeminus partes ſuas peregit; ſimulans enim elatum pedem aſtricto nodo laxare velle, Regis terga ſequentem ſatellitum turbam eſt moratus. Quo tum repente conjurati in prætereuntem ſine armatis Hieronymum irruunt, multiſque vulneribus, priuſquam ſuccurri poſſet, lethaliter confodiunt.

A conjuratis occiditur.

Cæſo Rege, & clamore, tumultuque hinc inde audito, in Indigeminum ſeſe acriter defendentem a militibus tela conjiciuntur; qui demum duobus acceptis vulneribus, per mediam militum turbam dilapſus evaſit. Satellites ut jacentem videre Regem, fugam & ipſi arripiunt. Percuſſores in forum procurrunt, & populum ad libertatem vocant. Regis verò milites eò ferociùs vociferant parentandum eſſe Regi conjuratorum ſanguine. Cæterùm facta eis a conjuratis regiæ pecuniæ in capita diſtribuendæ, ac libertatis reſtitutæ ſpe, exaggeratiſque fœdis Tyranni ſceleribus, adeo repente univerſus exercitus a vindicta eſt immutatus, ut Theodorum e carcere liberari, & Regis cadaver inſepultum etiam jacere paſſus ſit.

Libertas reſtituta.

Tum Theodorus, & Soſis, qui in conjuratorum ordine primarii fuerant, regiis equis celerrimo curſu Syracuſas contendunt, ad Andronodori, aliorumque regiorum, quos rei geſtæ adhuc ignaros credebant, conſilia præoccupanda. Verùm cum non fama modò, qua nihil in talibus eſt celerius, ſed nuntius etiam ex regiis ſervis eos præveniſſet; ille Inſulam, arcem, & alia quæque opportuna urbis loca præſidiis firmaverat. Ipſi verò poſt Solis occaſum obſcura nocte per Hexapylon ingreſſi cruentas cæſi Regis exuvias, capitiſque inſigne populo Syracuſano oſtentarunt. Tranſvecti per Tycham ad libertatem ſimul, & ad arma populum vocant, & in Acradinam convenire jubent. Syracuſanorum itaque alii procurrunt in vias, alii in ædium veſtibulis ſtant, plerique ex tectis, feneſtriſque proſpectum affectant, & quid rei ſit rogitant. Omnia luminibus collucent, ſtrepituque vario complentur, armati locis patentibus congregantur. Inermes ex Olympii Jovis templo ſpolia Gallorum, Illyricorumque dono data Hieroni a populo Romano fixaque ab eo detrahunt, precantes Jovem, ut propitius præbeat ſacra arma pro patria, pro delubris, pro libertate ſeſe armantibus. Principes regionum urbis, militum ſtationes per loca diſponunt. Firmaverat præſidiis Andronodorus horrea publica in Inſula, loco ſaxis quadratis ſepto, atque in modum arcis emunito. Milites, qui ei loco ab ipſo Andronodoro in cuſtodia conſtiterant, locum capiunt, ſtatimque Theodoro, & Soſi in Acradinam per nuntios horrea, frumentaque omnia in Senatus poteſtate eſſe ſignificant.

Libertas Syracuſis conclamatur.

Horrea publica populo tradita.

Illuceſcente populus omnis in Acradinam ad curiam convenit, ibique ante Concordiæ aram Polyneus ex principibus unus ingenii, & facundiæ præſtantiâ inſignis, plena oratione ad libertatis ſtudium eos hortatur, & ut ad Andronodorum oratores mittantur, quo Senatui, & populo ſeſe, & Inſulam, & arcem ſubjiciat. Miſſis legatis confeſtim Andronodorus populi timore potius, quàm voluntate jam petita conceſſiſſet, niſi Damarata ejus uxor Hieronis filia gerens regios adhuc ſpiritus præpediſſet, Dionyſii vocem uſurpans: Oportere Tyrannum pedibus tractum, non equo ſedentem Tyrannidem relinquere. Porro id mulieris conſilium tametſi illo die ab inſtituto eum averterit, poſtridie tamen ſub lucem patefactis Inſulæ portis, in forum Acradinæ venit; ubi cum in aram Concordiæ aſcendiſſet, ſuâ primùm morâ ingenuè excuſatâ, probataque multis rationibus Hieronymi cæde, claves arcis, regiæque pecuniæ Syracuſanorum manibus commiſit.

Arx, & regia pecunia.

Lætior hic dies, quàm ullus antea, Syracuſanis illuxit, qui & magnâ virorum, fœminarumque pompâ, publiciſque ſupplicationibus celebratus eſt. Nec defuit ſua Andronodoro gratia; qui poſtridie cum Soſipatro, & Diomene, ac pleriſque aliis Tyranni interfectoribus Prætor a populo creatus eſt. Pecunia omnis regia, & quæ in Leontinis, & quæ in Inſula, & Acradina erat, Reipublicæ tradita eſt. Pars muri, quæ Inſulam a cætera urbe firmo munimento interſæpiebat, conſenſu omnium dejecta, ac cætera omnia ad libertatem peropportuna ſunt ſubſecuta. Erat jam Syracuſana res in tuto, niſi Hippocrates, & Epicides audita Hieronymi morte, Syracuſas reverſi, ſimulantes, quòd paulò poſt in Italiam ad Annibalem redituri eſſent, civitatis ſtatum in diſcrimen iterum adduxiſſent. Hi namque cum in urbe paſſim hoſpitalitatis ſpecie aliquandiu fuiſſent, nunc apud

Prætores creati. Reſpublica conſtituta.

apud milites, nunc apud transfugas, nunc apud infimæ plebis homines falſos rumores, criminaque in Senatum, optimateſque differebant, a quibus pacta dominatus participatione, Syracuſas ſub ſocietatis reconciliandæ prætextu per ſpeciem libertatis populo Romano clam tradendam eſſe mentiebantur. Quibus fabulis commota plebs, qua nihil inſtabilius, non ſolùm ad Hippocratem, & Epicidem confluxere; ſed Andronodoro etiam ſpem novandarum rerum pepererunt.

Turbæ rurſus excitantur. Is namque feſſus etiam uxoris vocibus noctu diuque eum monere non deſinentis, nunc occupandæ Reipublicæ tempus eſſe, quando & omnia eſſent turbata, & Hippocrates, & Epicides militibus aſſueti, ei auxilio eſſe poſſent, cum Themiſtio, cui Harmonia Gelonis filia nupta erat, ad rem patrandam ſocietatem iniit, ac facinus Ariſtoni tragædiarum authori, (1) cui & alia committere conſueverat, incautè credidit. Convenerant autem, ut Prætores urbis omnes, ac alii cædantur, eorumque bona exponantur. Inſula in primis occupetur; ipſe verò ſolus Syracuſis præſit. Ariſton conſilium contra patriam occultare nefarium ducens, ſtatim indicium ad Prætores defert. Senatus homini ſimplici data fide, Themiſtium, atque Andronodorum in curiam ingreſſos per inſidias ad fores collocatas ſtrictis pugionibus occidunt.

Reipublicæ hoſtes deleti.

Cum tumultus ob eam cauſam ortus eſſet, Ariſton rem omnem ordine pandit; & Soſipater a Senatu juſſus, ut de hac conjuratione apud populum verba faceret, interfectos tanquam reos egit, ab anteacta vita, quæcumque poſt Hieronis mortem ſceleſtè, atque impie facta eſſent, contra Andronodorum, ac Themiſtium argumentis probat. Nam cum Hieronymus puer, ac vix pubes eſſet, quid ſuo judicio feciſſe poterat? Tutores eos fuiſſe, qui puerum ad omne nefas impellebant, qui aut ante illum, aut cum illo interfici debuerunt; & cum dediti eſſent morti, poſt mortem Hieronymi, nova ſcelera, & Tyrannidis invaſionem perſuaſos ab uxoribus, quarum altera Hieronis, altera Gelonis erant filiæ, molitos eſſe. Vix Soſipater finem dicendi fecerat, cum plebs ut illæ interficiantur, & omnis regia ſtirps extinguatur, conclamat. Ad quorum voces a Prætoribus percuſſores ſunt miſſi, qui Demaratam, & Harmoniam interficerent. Cæsâ Demaratâ, cum ad Harmoniam interimendam certatim impetus fieret, nutrix ejus ſimilem illi puellam humili loco natam, ſed regio cultu ornatam populo objecit; quæ mentita Harmoniam, nec inter trucidantium cultros quidem aut ſe, aut dominam prodidit. Cujus Harmonia admirata & animum, & fidem, ſupereſſe non ſuſtinuit, ſed ad ſe percuſſores revocavit, & mendacium profeſſa, ultro illorum gladiis ſuccubuit.

Omnis Regia ſtirps extinguitur.

Erat & Heraclia altera Gelonis filia Soſippo, qui Hieronymi Tyrannidem fugiens, voluntarium ſibi exilium conſciverat, nupta. Hæc ubi percuſſores adeſſe cognovit, cum duabus filiabus virginibus crinibus ſolutis, & quàm poterat, habitu ad lanienam, & commiſerationem aptiſſimo amicta, in ſacrarium ad penates confugit. Ibi multum, atque diu per patris Hieronis, ac Gelonis fratris manes precata, ne ſe cum Hieronymo (ex cujus Imperio nihil præter viri exilium haberet) interimerent; cumque pro ſe nec preces, nec lacrymas valere cognoſceret, ut ſaltem puellis parceretur, orans, ab aris a percuſſoribus diſtrahitur, juguloque crudeliter arrepta ſuffocatur. In virgines deinde matris cruore reſperſas ab eiſdem conver-

Heraclia cum filiis occiſa.

ſum

ſum eſt, quæ alienata mente, ac luctu, metuque ſimul veluti furore captæ, per denſos gladios cum impetu, & clamore dilapſæ, vago totis ſacratis ædibus diſcurſu ſe proripuerunt, tandemque multis vulneribus confectæ, cum omnia repleſſent ſanguine, exanimes corruerunt. Earum cædes adeo multitudini immanis, ac ſæva apparuit, ut plebs ſublato odio percita confeſtim Epicidem, & Hippocratem in locum Themiſtii, & Andronodori Prætores plebis ſuffragiis crearint. *Novi Prætores creantur.*

Dum hæc Syracuſis gererentur, Appius Claudius Romanus Conſul centum cum navibus ad Murgantiam urbem erat, opperiens quò tenderent poſt Hieronymi cædem Siracuſani motus. Ad hunc jam Legati a Syracuſanis miſſi fuerant, qui de fœdere antiquo cum Romanis renovando cum eo agerent. Appius legatos Syracuſanos ad M. Marcellum, qui ex Italia a Senatu, populoque Romano miſſus in Siciliam, trajecturus in horas ferè expectabatur, miſit. Qui audita conditionum non adeo iniqua propoſitione, ratus quàm facillimè rem convenire poſſe, nuntios & ipſe Syracuſas ablegavit, qui coram cum Prætoribus fœdus renovarent. Sed cum interea Punica claſſis Pachynum perveniſſet, & Romana cum Appio Conſule in Syracuſarum portum eſſet appulſa, Epicides, & Hippocrates ad mercenarios ſimul, & transfugas converſi legatorum Marcelli Syracuſas acceſſionem criminantur, fœdus cum Romanis deteſtantur, cujus prętextu Syracuſas occupare prætenderent. *Legati Syracuſan. ad Rom.*

Quæ cum omnia aperto Romanæ claſſis in portum appulſu aſtruendo facile imperitæ multitudini perſuaderent; populus ſatis tumultuosè primùm ad prohibendos Romanos, ne claſſe egrederentur, decurrit. Dehinc ſedatis animis, ad concionem feſtinat. Ubi Apollinides urbis principum unus orationem pro tempore ſalutarem habuit. Qua ad pacem cum Romanis firmandam, cum nulla belli gerendi ratio cum eis eſſet, populum induxit, qui per legatos ad Marcellum miſſos publicè cum eo fœdus renovavit. Interea legati a Leontinis ad Syracuſas venerunt, petentes ſuis finibus præſidium. Quibus Hippocrates Prætor cum quatuor transfugarum, & mercenariorum millibus eſt miſſus. Hæc expeditio & mittentibus, & miſſis læta fuit. Transfugis quidem, quòd quam jamdiu exoptaverant, novandi res occaſionem haberent; Syracuſanis verò, quòd ſentinam, & fecem quamdam urbis exhauſiſſent, æquè gratum fuit. *Fœdus inter utroſq. firmatū.*

At cives quanquam in præſentia veluti ægro membro corpus levaverint, in graviorem tamen morbum ipſa ſectione mox inciderunt. Hippocrates etenim ipſe novitatis nihilo ſuis militibus continentior, vix Leontinos ingreſſus Romanæ provinciæ fines furtivis primùm incurſionibus vaſtat; deinde præſidium, quod ad tuendos ſociorum agros Appius miſerat, adortus, magnam inter innocuos cædem fecit. Marcellus ubi hæc accepit, legatos extemplo Syracuſas miſit, qui pacis fidem violatam eſſe quererentur, nec belli cauſam unquam defuturam nuntiarent, donec Hippocrates, & Epicides non ſolùm Syracuſis, ſed totâ procul Siciliâ ablegarentur. Epicides legatione in ſe, collegamque ſuum gravi percepta, profectus in Leontinos, quos adverſus Syracuſanos ſatis concitatos ſciebat, vel ob id, quod in fœdere cum Romanis icto ipſi Syracuſanæ ditionis, quod eorum libertati minimè expediebat, pronuntiati fuerunt, cum Hippocrate egit, ut Leontini palam a Syracuſanis deficerent. *Ab Hippocrate Prætore Syracuſ. violatum.*

Syra-

Digitized by Google

Leõtini cõtra Romanos, & Syracuſanos. Syracuſani per legatos nec Hippocratem, & Epicidem, nec Leontinos, ad quos ſeceſſerant, in ſua amplius poteſtate teneri, ſed jam deſciviſſe, Marcello nuntiant, ac ad bellum contra eos gerendum ſe offerunt, dummodo capta ea urbs in ditionem eorum tranſeat. Eo reſponſo Marcellus confeſtim cum omnibus copiis in Leontinos proficiſcitur, Appium quoque Claudium accivit, ut ex altera parte ipſe quoque Leontinum aggrederetur. Proinde cæſi præſidis injuria tantum ardorem militibus, & utrique Romano exercitui dedit, ut primo impetu urbem acceperint. Ubi oppidanorum nemo violatus eſt, ſed transfugæ quicumque in poteſtatem ſunt redacti, virgis cæſi, & ultimo ſupplicio ſunt affecti. *Romani Leõtinos occupant.* Hippocrates, & Epicides ubi muros capi, portaſque refringi viderunt, in arcem ſeſe cum paucis recepere. Inde clam noctu Herbeſſum oppidum, quod Pantalica jacens eſt hodie, non longè diſtans, profugiunt.

Interea Syracuſani octo armatorum millia ad Marcellum, ut pacti fuerant, mittunt. His cum ad Milliam flumen, quem Sancti Juliani mea ætate appellant, eſſent, nuntius ab Hippocrate ſubornatus occurrit, qui cum capta urbe hæc etiam falſa ſubintulit: cædem promiſcuam militum, atque oppidanorum patratam; puberes, impubereſque omnes a Marcello trucidatos; direptam præterea civitatem, & bona locupletum militibus in prædam donata. Ad nuntium tantæ cladis, Syracuſanorum militum, quibus Soſis, & Dionyſius duces præerant, agmen conſtitit, perturbatiſque animis, quid agendum foret conſultabant. *Syracuſani decepti.* Denique conſternati, ac pene per ſævitiam Marcelli, quam veram eſſe fiducia incogniti delatoris effecerat, a Romanis alienati, ad Megaram urbem, quæ prope Milliam amnem ſita erat, deflexerunt, ac ſubinde ad Herbeſſum expugnandum contra Hippocratem, & Epicidem contendunt. Illi ſpe omni ſalutis amiſſa, ad unicum evadendi conſilium convertuntur; milites longo uſu ſibi magna ex parte aſſuetos olearum cum ramis, aliiſque ſupplicibus indiciis obvii orant, ut inter numerum eorum ſe receptos tuentur, nec Syracuſanis prodant. Quibus milites bono animo ut ſint, atque omnem ſibi cum illis communem fortunam futuram ſunt polliciti.

Interim militum ſigna conſtiterant, atque agmen pedes firmaverat. Soſis, & Dionyſius quæ moræ cauſa eſſet ignari, caſtra ad procedendum urgent. *Hippocrates, & Epicides a Syracuſan. recepti.* Cæterùm ubi Hippocratem, & Epicidem adeſſe, & in agmen aſcitos reſciunt, ad prima ſigna citatis equis pergunt, eoſque quòd cum hoſtibus locuti, ducumque injuſſu, ſuo agmini illos immiſcuiſſent, acriter reprehendunt, denique comprehendi, & vinciri Hippocratem, & Epicidem jubent. Ad quorum vocem tantus extemplo a Cretenſibus militibus contra duces clamor ſublatus, & deinde ab aliis exceptus eſt, ut ſi paululum reprehenſionibus inſtitiſſent, actum de eis proculdubio fuiſſet. Iccirco ſalutis cupidi, incertique quò militum tumultus tenderet, Megaram, unde profecti ſunt, referri ſigna mandant, ac nuntios de præſenti rerum ſtatu Syracuſas mittunt.

Non multò poſt Hippocrates, ut callido erat ingenio, fraudem his motibus addidit, literaſque Soſis, & Dionyſii exercitus ducum *Mercenarios milites decipiunt.* nomine ad Marcellum confingit, caſque velut a militibus interceptas in concione in hanc ſententiam recitat: Prætores Syracuſani Marcello Sal. Rectè feciſti, quòd in Leontinis captis nulli pepercris;

quin quoniam mercenarii milites ſeditionis plerumque in urbe, & in caſtris cauſam præbent, nec Syracuſanis rebus quies ulla ſperanda ſit, priuſquam externorum agmen prorſus deleatur, nobis populoque Syracuſano gratum feceris, ſi eos, qui cum noſtris collegis circa Megaram ſunt, milites in tuam poteſtatem rediges, eorumque ſupplicio Rempublicam noſtram liberabis. Vale. His literis palam lectis, ut ſunt ad ſuſpicionem, quàm ad ſinceritatem animi omnium inclinatiores, tantus furor militum animos inceſſit, ut ducibus inter tumultum metu dilapſis, in Syracuſanos, qui in caſtris erant, irruerent, nec ab ullo temperatum foret, niſi Hippocrates, & Epicides ipſi commotæ a ſe rabiei obviam iſſent, quos non miſericordia, ſed ne ſibi in urbem reditum præciderent, in furoris temperantiam coegit, qua & Syracuſanos milites a cæde ſervarunt, & eos maximo pignore ſibi devinxerunt. *Confictæ literæ ad Marcellum.*

Poſt hæc militem unum ex eorum numero nacti, qui in Leontinis circumſeſſi fuerant, ſubornant, eumque Syracuſas mittunt, qui multa de crudelitate, atque avaritia Marcelli, cæterorumque Romanorum Ducum in Leontinos exercita Syracuſanis veluti a ſe coram ſpectata enarret, iraſque eorum concitet; ratus Romanos hac via in Syracuſanorum odium venturos. Ille Syracuſas ingreſſus falſa pro veris diſſeminat, authorem nuntiumque convenientem ſe populo exhibet, utpote qui viſa, non audita affirmaret. Huic non modò apud plebem fides fuit, ſed in curiam quoque introductus Senatum movit. His rumoribus moti Syracuſani, veriti, ne ſi Romani Syracuſas ingrederentur, eadem quæ in Leontinos patrata memorabantur, & fœdiora committerent, urbis portas Romanis clauſerunt, eaſque cuſtodire cœperunt. *Romani falsò crudelitatis incuſantur.*

Sub idem tempus Hippocrates, & Epicides velut ex compoſito cum ſeditioſo militum agmine affuerunt, & per neceſſarios eorum, quos ſecum ducebant, in Hexapylum ſunt recepti. Prætoribus non modò invitis, ſed & fruſtra ingeminantibus, obteſtantibuſque patriam Tyrannorum ſatellitibus proditam iri. Nam ſurdæ plebis animi adeo concitati erant, ut eum non minori intus vi, quàm foris, Hexapyli portæ effringerentur; illis effractis, milites quoque omnes eodem irruperunt. Jamque hoſtibus tradito Hexapylo, Acradina mox, quo Prætores, civeſque confugerant, ab Hippocrate, & Epicide primo agminis impetu capitur. Deinde urbis Prætores, præter eos, qui inter tumultum fugâ ſalutem ſibi redemerant, omnes trucidantur. Et niſi nox finem feciſſet, ad cives etiam cruenta cædes, ſtrageſque pervaſiſſet. Illuceſcente ſervi ad pileum ſunt vocati, & carcere vi effracto omnes ſunt emiſſi; atque ita per confuſam multitudinem Hippocrate, & Epicide in Præturam ſuffectis, Syracuſæ urbs, cui jam tumultuariè libertas affulſerat, in antiquam ſervitutem recidit. *Hippocr. & Epicides patriã invadunt.*

Cum hæc Marcello, qui in Leontinis agebat, nuntiarentur, continuò cum copiis Syracuſas profectus, ad Jovis Olympii templum caſtrametatus eſt. Inde per legatos in urbem Syracuſanis nuntiat, ſe eum exercitu auxilium oppreſſæ civitati laturum adeſſe. Quibus Hippocrates, & Epicides, qui jam urbe potiebantur, extra portam obviam facti, ne urbi appropinquarent, prohibuerunt. Cum legati contrà non bellum Syracuſanis, ſed opem, ſalutemque a Marcello meditari reſpondiſſent, cædemque neſandam ſociorum nunquam Romanos inultam paſſuros. Sed ſi eis, qui ad ſe perfugerunt, tutus in *Marcellus auxilia civibus exhibet.*

patriam reditus pateret, & cædis authores dedantur, ac libertas, legeſque Syracuſanis reſtituantur, nihil armis opus eſſe. Si ea non fierent, quicumque fuerint in mora bello delendos. Ad ea Epicides inſolenter reſpondit, cum in manu Hippocratis, & ſua res Syracuſanæ eſſent, ſi mandata ad ſe perferrent, reſponſum habituros. Quod ſi Marcellus urbem bello acceſſerit, experietur, quantum interſit Syracuſas, & Leontinos oppugnare. Hoc reſponſo legatis relictis, portas urbis clauſit.

Legati Roman. repelluntur.

Marcellus accepto Legatorum reſponſo offenſus, ut par erat, ſtatim terrà, & mari obſidere Syracuſas, ac bello laceſſere cœpit; terrà ab Hexapylo, mari ab Acradina, qua orientem, ac meridiem reſpicit. Appius quidem terreſtres copias Hexapilo admovit. Marcellus claſſem ſexaginta quinqueremium omnifariam telorum, armorumque genere inſtructiſſimam Acradinæ littori. Hoc itaque belli apparatu Syracuſas, ſicut Leontinos proculdubio primo impetu expugnaſſent, niſi Archimedes omnia Romanorum conſilia levi momento confregiſſet. Is enim non ſolùm quicquid machinarum, ac armorum Marcellus vel a terra, vel a mari ad oppugnandam urbem parabat, fruſtrabatur; ſed & multa etiam monſtra, ac mirabilia quædam opera ad terrendos hoſtes faciebat, quibus Marcellus ab urbis oppugnatione, atque ab omni armorum uſu abſtinere compulſus eſt.

Syracuſas Romani obſident.

Archimedes unus cõtra obſiſtit.

Siquidem in terreſtres copias extruxit a ſummo urbis uſque ad imum murum per inæquales ductum colles, quem omni tormentorum genere inſtruxit; inter quæ quoddam eo ſæculo, atque antea incognitum machinarum genus diſpoſuerat, quo in hoſtilia caſtra varia genera miſſilium, & immenſæ magnitudinis ſaxa incredibili fragore, ac celeritate immittebat, contra quæ nullus omnino ſe tueri poterat. Quod ſi fortè hoſtes ex una urbis parte ad aliam ſe diverſiſſent, contorquendo paulatim conferta agmina diſſipabat. Adverſus navalem apparatum in eas, quæ procul ſtabant, e multis muri partibus graviſſimo globorum vibrato pondere, nonnullas in profundum diffractas cogebat, quæ verò propiùs ſtabant, ferreis manibus, quas catenà muro alligaverat, injectis, velut forcipibus quibuſdam per proram in ſublime raptas in mare immergebat. Alias interioribus rotatas machinis, cum magna nautarum ſtrage, ſcopulis illidebat. Ubi celſiùs interdum e mari ſuſpenſa navis nunc huc, nunc illuc agitata, horrendum præbebat ſpectaculum, quoad erectis, provolutiſque evacuata viris, remiſſàque catenà, quæ fuerat ſuſpenſa, muris impegerat.

Ejuſd. cõtra oppugnãtes machinas.

Cum verò Marcellus ſuper octo navibus inter ſe junctis ingentem paraviſſet machinam, quam ob muſici inſtrumenti ſimilitudinem Sambucam appellabat, eamque muro Acradinæ admovere paraſſet, Archimedes, primum, deinde alterum, mox tertium in eam decem talentorum ponderis ſaxum contorſit, quæ magnis fragoribus, & quodam tempeſtatis impetu irrumpentia, disjectis clavis, ipſius machinę baſim diſſipaverunt. Quo præterea Syracuſani vulnere intacti tela in hoſtes ex tuto ingererent, murum a ſummo ad imum crebris cubitalibus ferme rimulis aperuit, ex quibus ſagittis, ſcorpionibuſque modicis, occulti Romanos inceſſebant. Quod inventum ad noſtram ætatem emanavit. His Archimedis artibus eluſus Marcellus, navibus, & terreſtribus copiis, ut abſcederent e veſtigio imperat, ſed artem arte eluſurus, noctu muros invadere ſtatuit,

Sãbucam machinæ genus diſſipat.

tuit, ratus Archimedis tormenta eminus tantummodo tela emittere poſſe, cominus verò cum ictus eorum intervallo careant, inefficacia fore. Archimedes tanquam hæc animo prævidiſſet, longè antea Hieronis impenſis, curâque per multos annos omni tormentorum apparatu Syracuſas inſtruxerat; quorum impetus pro ſpatii magnitudine, & evagari longiùs, & propiùs offendere poterat.

Quocirca cum Romani clanculum muro ſucceſſiſſent, miſſilibus, lapidibuſque undique e muro perinde, atque ad perpendiculum collabentibus, capite ſaucii obruebantur. Retrocedentes verò Romanos pro ſpatio locata jacula in vaſtum emiſſa maximo impetu interficiebant. Quocirca ex occulto graviſſimè petiti Romani, non jam cum hominibus, ſed cum Diis ſibi pugnare videbantur. Natura quoque, ſituſque urbis magnopere obſeſſos adjuvabat. Nam moles, ſuper qua extructa eſt urbs, ita magna ex parte edita, ac proclivis eſt, ut non ſolùm immiſſa, ſed quæ etiam ſuo pondere tormenta provolvebantur, graviter in hoſtes cum clade inciderent. Id quoque ad ſubeundum difficilem, arduumque aditum, inſtabilemque hoſtibus ingreſſum præbebat. Proinde Marcellus cum omnes ſuos conatus irritos eſſe videret, non eſſe ulteriùs cum Archimede pugnandum ſæpiùs inclamitans, ab oppugnatione deſtitit, atque obſidione ſolùm urbem arcere decrevit. (2)

Hoſtes muro appropinquátes vexat.

Romani obſidione urbem arcent.

Inde igitur cum tertia exercitus parte digreſſus, ad propinqua recipienda oppida, quæ in tanto rerum motu Carthaginenſibus adhæſerant, proficiſcitur. Elorum maritimum oppidum, ac Herbeſſum per deditionem recipit. Dehinc Megaram vi cum cepiſſet, captam ad Syracuſanorum terrorem funditùs diruit. Dum hæc circa Syracuſas fiunt, Himilco Carthaginenſium Dux, qui ad Pachynum cum claſſe conſederat, Legatos ab Hippocrate recepit, ut quàm celerrimè Carthaginem peteret, majoreſque equitum, ac peditum copias inde comparatas in Siciliam adveheret, ſi ea potiri cuperet. Ille recuperandæ Siciliæ cupidine accenſus Carthaginem rediit. Ubi viginti peditum, equitum verò tribus millibus, ac duodecim elephantis coactis mox Siciliam repetens, ad Heracleam apparatum omnem expoſuit, quam intra paucos dies ſimul & Agrigentum recepit. Quo audito & cæteræ urbes, quæ Carthaginenſium ſtudia nondum penitus intermiſerant, ad pellendos e Sicilia Romanos exardeſcunt.

Oppida vicina expugnant.

Pœni Siciliam invadunt.

Sed & Syracuſani, qui durè obſidebantur, audito novæ claſſis Punicæ adventu, eodem deſiderio flagrantes, ita inter ſe belli munera ſunt partiti, ut Epicidem ad urbis tutelam relinquerent, Hippocratem verò Himilconi junctum adverſus Marcellum mitterent. Igitur Hippocrates cum decem millibus peditum, & quingentis equitibus Syracuſis noctu egreſſus, per vacua Romanorum cuſtodiis loca tranſiens, ad Acrillas urbem, ut Himilconi ſe jungeret, venit. Feſtinaverat ante Marcellus cum ſuis copiis Agrigentum, ut ibi Himilconem, cujus jam reditum per internuntios acceperat, præveniret. Sed cum Agrigentum occupatum ab illo cognovit, ob copiarum paucitatem cum Himilcone concertare non eſt auſus, ſed compoſito agmine in caſtra rediit, atque Hippocrati ſeſe circa Acrillas munienti ſupervenit. Ille Marcelli inopinato acceſſu perculſus, ac metu disjectus, cum ſuo equitatu Acras urbem confugit. At Marcellus repente in peditatum ejus Duce deſertum irruens, omnem exercitum fregit, occiditque ex eis hominum ſupra octo millia.

Marcellus cōtra Pœnos ducit.

 Su-

Socios per Inſulā in fide cōtinet.

Subinde ejus victoriæ omine elatus, totam fermè Siciliam percurrit, civitateſque a Carthaginenſibus in Romanorum fidem redire fecit. Siculis, qui ſecum decertare ſunt auſi, profligatis. Quibus ſtrenuè geſtis, Marcellus Syracuſas rediit. Himilco verò cum Hippocrate junctus, Syracuſas & ipſe properans, ad Anapim fluvium caſtra poſuit. Quo etiam tempore Bomilcar Carthaginenſium Dux cum quinquaginta quinque triremibus a Senatu in Siciliam miſſus, Syracuſarum portum tenuit. Per idem fermè tempus triginta Romanorum naves in Siciliam trajicientes, legionem unam militum Panormi priùs, ſubinde ad Pachynum expoſuerunt; ubi Appius Marcelli collega cum parte copiarum erat. Qui, legione nova accepta, Syracuſas ſtatim navigat. Himilco & Ipſe ne fruſtra aſſidens tempus terreret, quo Carthaginenſium partes tuentibus adderet animos, caſtra ab Anapi fluvio movens, Murgantiam petiit. Quam, prodito a Murgantinis, interfectoque Romano præſidio, recepit. Ubi magnam frumenti vim, ac omnis generis commeatum a Romanis convectum reperit.

Murgātiā Pœni expugnāt.

Ad Murgantiæ defectionem erecti ſunt & aliarum civitatum inconſtantes animi, ita ut paſſim Romanorum præſidia aut arcibus excuterentur, aut a civibus prodita opprimerentur. Erat eo tempore in Enna urbe L. Pinarius vir acer Romani præſidii Præfectus. Is cum tot proditionibus, defectionibuſque civitatum, ac cladibus Romanorum præſidiorum admonitus, Ennenſes etiam ad inconſtantiam inclinatos cerneret, plus in ſe, quàm in civium fide reponens, ne, qua deciperetur, inſtructa cuſtodiis, & vigiliis, ac parata omnia habebat, nec ab armis, aut loco ſuo milites abire permittebat. Cæterùm cum Ennenſes Principes viri cum Himilcone clam de proditione pepigiſſent, viderentque nullum ſibi locum ad præſtanda pacta relictum, omnemque ad fraudem viam præcluſam, aperte, ac palam rem aggredi ſtatuunt. Itaque ſibi portarum urbis claves reſtitui depoſcunt; quando ut liberi in ſocietatem Romanis, non ut ſervi in cuſtodiam traditi eſſent, alioquin libertatem vi ſe repetituros. Pinarius ad ea prudenter reſpondit: ſe præſidii præfecturam, claveſque portarum, & arcis cuſtodiam a Marcello Conſule accepiſſe, eaſque nec ſuo, nec Ennenſium arbitrio habere, ſed ejus, qui commiſiſſet. Ad Marcellum, qui non procul inde erat, legatos mitterent, penes quem omne jus, ac arbitrium erat; ſibi verò, cæteriſque Romanis capitale eſſe præſidio decedere. Cumque Ennenſes ad Marcellum miſſuros ſe negarent, & Pinarius cum lenitate, boniſque verbis nihil agere cerneret, ad vim, fraudemque illis intendendam ſe convertit.

Ennenſes ad Pœnos deficere tentant.

Pinarius Romanus illis adverſatur.

Quocirca ut ſpatium ad rem patrandam haberet, reſponſum in ſequentem diem ad frequens populi concilium remiſit, quo intelligeret, publicum ne, an paucorum id votum eſſet. Quod cum ei Ennenſes non detrectaſſent, ipſe cum ſuis militibus in arcem ſe recepit, eoſque in quo vitæ diſcrimine conſtituti eſſent, edocet. Futurum, illuceſcente, ni ipſi civium conſilia ferro, ac vi præverterent, ut a Siculis non aliter, quàm cætera Romanorum præſidia unà ſecum occupentur. Proinde ad arma parati ſignum ad egregium, arduumque facinus pro ſe, ſuique Ducis ſalute patrandum expectarent. Milites & Pinarii verbis, & ſuo periculo accenſi, ad depulſandam a ſe ſeditioſorum rabiem accinguntur.

Sub

Sub lucem ad obſidenda itinera; claudendoſque Ennenſibus exitus, ſuper, circaque theatrum turmatim conſiſtunt. Congregata deinde Ennenſium ad concionem multitudine, Pinarius ad theatrum conſcendit, ubi quæ pridie reſponderunt, in publico repetit. Plebs paulatim primò, mox apertis vocibus, ac ferociter claves ſibi reddi expoſcit; quòd ſi differatur, ad vim ſe converſuros minantur. Pinarius ubi ne ab ipſo quidem minarum eventu rem procul abeſſe videt, dato (ut convenerat) ſigno, ſuos ſtrictis armis ad illorum cædem immiſit. Tum milites clamoribus repente ſublatis, alii ſupernè in adverſam concionem, alii ad exitus theatri conferti obſiſtunt. Inde denſis gladiis ad civium occiſionem proruunt; atque ita Ennenſes undique incluſi, alii ſuper alios procumbant, ſauciis integri, vivi mortuis accumulantur, troncisque cadaveribus acervos exaggerant, ſi qui verò dilapſi ſunt, paſſim per urbem exangues occubuerunt; eoque modo tota urbs cædibus, ac ſanguine referta, Ennenſium cruore, Pinariique ſtrenuo opere in Romanorum fide ſervata eſt. Marcellus ubi rem audivit, factum probavit, prædamque militibus conceſſit. *Suoſq. milites ad obſiſtēdum parat.* *In rebelles debaccatur.*

Ea clades ipſo prope die totam Siciliam pervaſit. Quam cædem nefandam Siculi, qui ante dubii in fide fuerant, uti non hominum tantùm; ſed Deorum Cereris, & Proſerpinæ ſedem, fœduſque violatum execrati, præſumpta contra Romanos indignatione, ad Pœnos defecerunt. Hippocrates, & Himilco, qui ab Ennenſibus ad Romani præſidii delendum conſilium acciti fuerant, audito miſerorum interitu, ille Murgantiam, hic Agrigentum ſeſe recepit. Marcellus verò retro in Leontinos rediit, frumentaque, & commeatus alios in caſtra convexit. Subinde, Appio collega Romam ad Conſulatum petendum miſſo, Quintum Criſpinum in ejus locum claſſi, caſtriſque præfecit. Hyeme verò imminente, ad Leontiam locum quique paſſuum millibus ab Hexapilo diſſitum, hybernacula ædificavit, commonivitque. *Marcellus caſtra cōmunit.*

Poſt hæc initio veris cum Syracuſas nec viribus ob ſitum, nec fame, quam liberi propè a Carthagine commeatus alebant, domandam iri cerneret, ne quid inexpertum relinqueret, per transfugas Syracuſanos nobilitate præcipuos, quos in caſtris habebat, urbis defectionem tentat. Proinde per hos colloquiis civium animos probare, fidemque dare, ſi tradita foret urbs, liberos Syracuſanos omnes, ac ſuis legibus uſuros promittit. Cæterùm cum aperta loquendi facultas deeſſet, quia multorum animi ſuſpecti curam in omnium actiones, oculoſque, nequid proditionis admitteretur, converterant; tandem exulum ſervus unus pro transfuga in urbem intromiſſus, paucos tentat. Illi hujus inſtinctu flexi in piſcatoria quadam navi ſub retibus ad caſtra convecti, cum transfugis colloquuntur. Eodem pacto alii, & alii admiſſi, octoginta conſilii participes fiunt, omniaque ad urbis proditionem neceſſaria componunt. *Ad deditionē Syracuſ̄on. ſollicitat:*

Erat Artalis Syracuſanus homo prædives. Is cum forte fortuna Syracuſanorum clandeſtinum tractatum cognoviſſet, indignatus rem ſibi creditam non fuiſſe, eam ad Epicidem defert, conjuratoreſque indicat. Epicides proditores captos diverſis cruciatibus confectos ad lanienam tradidit. Marcellus hac via eluſus aliam nanciſcitur. Agebatur fortè inter Marcellum, & Epicidem de Damaſippo Spartano redimendo, qui ad Philippum Macedoniæ Regem ex Syracuſis lega-

De redimẽdis captivis cũ hoſte agit.

gatus pro auxiliis implorandis navi miſſus, in Marcelli claſſem inciderat, captuſque in ejus poteſtatem venerat. Quem cum Epicides cuperet redimere, & Marcellus ei annueret, quòd tum Ætolorum, quorum ſocii Spartani erant, Romani amicitiam affectabant; ejus rei gratiâ inter Romanos, & Syracuſanos frequentiora colloquia fieri fuit neceſſe. Ad quæ medius, opportunuſque utriſque locus portus Trogilorum propter turrim Galeagram delectus eſt.

Eò cum ſæpiùs Romani cum Syracuſanis tractaturi acceſſiſſent, unus eorum juxta turrim murum contemplatus, ejus altitudinem conjecturâ permenſus eſt; qui vel mediocribus ſcalis ſuperabilis, atque aſcenſu peraccommodus videbatur; quod ſtatim Marcello indicat. Sed cum locus, vel ob id, quòd accuratiùs cuſtodiebatur, temere adiri non poſſet, occaſionem quæri placuit. Erat adhuc Syracuſis ſervus ille transfuga conjurationis prioris internuntius. Is Dianæ feſtum per triduum in urbe multa civium, atque ipſius Epicidis licentiâ vino in plebem per capita diſtributo, celebrari ſignificaverat.

Dianæ feſtum Syracuſis.

Is ubi ſacrum id adeſſe accepit, opportunitatem ſibi oblatam nequaquam omiſit. Ipſo itaque Dianæ die epulatis, vinoque ſatiatis oppidanis, primo noctis tempore, quo durior defatigatos, ebrioſque ferè ſomnus occupat, ſcalas, quas ad id in occulto parari fecerat, proferri juſſit, & mille fermè milites armatos per ſilentium in muros deduxit. Qui intrepidè cuſtodes primùm in turribus vino, ſomnoque ſopitos, complures in cubilibus interfecerunt, atque ita ad Hexapylon pervenerunt; ubi ex compoſito tubâ ſignum datur, quò Marcellus ſtatim cum majori militum agmine ſecutus affuit. Prope Hexapylon poſticus erat; eo ſubita vi refracto, undique non jam furtim, ſed apertè milites Romani ingreſſi, ad Epipolas frequentem cuſtodiis locum perrexere. Syracuſani cuſtodes, ubi Romanorum ad Epipolas aſcenſum conſpexere, & turbarum cantum, clamoremque tenentium muros audivere, metu dilapſi alii aliò diffugiunt. Inter hæc multitudo pavere cœpit, cujus magna pars & metu, & mero gravata quid in vaſtæ magnitudinis urbe mali eſſet, ignorabat.

Romani urbẽ invadunt.

Illuceſcente Marcellus cum omnibus copiis urbem ingreſſus cives excitat, atque ad arma capienda, opemque, ſi quam poſſent, jam captæ propè urbi ferendam provocat. Epicides ſtatim ab inſula, citato agmine affuit, ratus primùm paucos Romanorum cuſtodum ignaviâ in urbem paulatim excurriſſe; ſed ubi Epipolas, & cętera circùm loca hoſtilibus armis teneri vidit, hoſtibus nonnihil miſſilium jactu laceſſitis, retro in Acradinam abiit, veritus ne inter tumultum inteſtina aliqua fraude a tutioribus locis excluſus, Acradinæ, atque Inſulæ clauſas inveniret portas. Marcellus deinde mœnia ingreſſus, ubi ex ſuperioribus illis locis, Hexapylo nimirum, & Epipolis (quibus urbs ipſa omnis Tycha, Acradina, Neapolis & Naxon pulcherrimo, ac patentiſſimo proſpectu ſubjicitur) urbem omnium ferè illa tempeſtate magnificentiſsimam, ac opulentiſsimam captam, ſibique ſubjectam, ac mox ruituram vidit, caſum ejus lugubrem miſeratus, fletum cohibere non potuit, tum tantæ victoriæ gaudio, tum ejuſce urbis veteri fama, ac potentia, qua Athenienſibus terrâ, marique devictis, Atticas claſſes, duoſque eorum clariſsimos Duces numeroſo cum exercitu deleverat, quæque bella cum Carthaginenſibus ingenti cum victoria geſſerat. Offerebant ſeſe etiam ei tot Reges Gelo, Thraſibulus, duo Dionyſii, Pyrrhus, Agatho-

Epicides illis obſiſtit, mox loco cedit.

Urbis Syracuſ. fama, & potẽtia.

chocles eorumque potentia, atque recentiſſima Hieronis Regis, totque ejus erga populum Romanum beneficiorum memoria. Quæ omnia uti commiſerationem victori ingerebant, ita priuſquam belli ſigna Acradinæ admoveret, effecere, ut Syracuſanos, qui inter Romanorum præſidia erant, præmiſerit, qui alloquio leni pellicerent cives ad dedendam ſibi urbem.

Marcell. urbis excidiū commiſeratur.

Sed cum per transfugas Romanorum, qui Acradinæ portas, muroſque cuſtodiebant, quibus nulla per conditiones veniæ ſpes erat, qui a Marcello fuerant miſſi, nec ad muros, nec ad alloquium aditum reperirent, Marcellus ubi irritum vidit inceptum, ad arcem Euryalum, qui tumulus eſt in extrema urbis parte, imminens viæ, qua in agros itur, ac percommodus ad excipiendos commeatus, ex mediterraneis Siciliæ locis, ſigna referri juſſit. Præerat Euryalo Philodemus Argivus ab Epicide præfectus, ad quem Soſim unum ex interfectoribus Hieronymi ad deditionem hortandum Marellus miſit, Philodemus, vafri vir ingenii, ad deliberandum tempus a Soſi ſumpſit eo animo, ut Romanus exercitus ab Hippocrate, & Himilcone, qui cum caſtris ad Euryalum propediem expectabantur, his induciis concluderetur. Marcellus ejus, quæ re vera erat, vafriciei ſuſpicione motus, inter Neapolim, & Tycham pro mœnibus caſtrametatus eſt. Ad quem mox legati ab aliis urbis partibus cum infulis, & velamentis venêrunt precantes, ut ab incendiis, & cæde abſtineretur, quod & impetrarunt, niſi quod invitus penè, ac coactus, bona tantùm, ac prædam militibus conceſſit; ingenua verò, aut libera corpora conſtuprari, aut occidi, aut denique attingi vetuit; nec Syracuſanorum quempiam in ſervitutem redigi omnium ex ſententia edicto publico ſtatuit. Atque ita caſtris præſidio munitis, milites in Tycham, & Neapolim irruunt, refractiſque foribus, urbem omni terrore, ac tumultu perſtrepetem ingreſſi a cæde quidem abſtinuero, ſed quicquid bonorum diuturna, atque antiqua fœlicitate congeſtum fuerat, momento temporis diripuere.

Ad Euryalum aſcendit.

Legtos Syrac. excipit.

Urbs in prędā militibus data.

Inter hæc & Philodemus omni auxilii ſpe fruſtratus, fide accepta, ut incolumis ad Epicidem rediret, arcem Romanis tradidit. Bomilcar etiam Punicæ claſsis Dux, qui in portu Syracuſano cum claſſe diu ſtationes tenuerat, relictis ſociis, ac quinquaginta quinque navibus, noctu cum triginta quinque triremibus in fugæ modum, magna tempeſtatis vi ſuperata, Carthaginem profectus eſt, Senatumque, in quo ſtatu res eſſet Syracuſana edocuit, quem ipſum (accepto nuntio) Carthaginenſes continuò centum cum navibus Syracuſas remiſere; quem multis donis Epicides ex Hieronis gaza proſecutus eſt.

Pęni in auxilium Syracuſ.

Marcellus interea Tycha, Neapoli & Euryalo firmiſsimo præſidio munitis, Acradinam ternis caſtris per idonea loca diſpoſitis circumſedit; ratus ad inopiam rerum omnium cives reducturum. Cumque aliquot diebus utrinque ſtationes quieviſſent, Hippocrates, & Epicides uno ſimul tempore pluribus viis hoſtes ſunt aggreſsi. Hippocrates caſtris ad magnum portum communitis, ſignoque iis dato, qui Acradinam tuebantur, caſtra Romanorum vetera, quibus Criſpinus præerat, adortus eſt. Epicides eruptionem in Marcelli ſtationes fecit. Bomilcar etiam cum Punica claſſe littori, quod inter urbem, & Romana caſtra erat, applicata, ne Criſpino quid præſidii a Marcello ſummitti poſſet, impediit. Utrobique proſperè eſt a Ro-

Rommanos Syracuſani adoriuntur.

ma-

manis dimicatum. Nam Criſpinus Hippocratem non ſolùm repulit; ſed & trepidè fugientem inſecutus eſt. Marcellus verò Epicidem primò in urbem compulit. Deinde nequid in poſterum a repentinis Syracuſanorum incurſionibus Romani offendi poſſent, ſatis providè munitiones extruxit.

Sæva Peſtis.

Dum eo ſtatu eſſet bellum, autumni tempore, peſtis ſæva tam extra, quàm intra urbem ſubſecuta eſt. Quæ paulatim per utraque caſtra rependo; deinde in tantam perniciem pervaſit, ut cum multis diu fletibus deplorata utrobique quotidiana fierent funera. Poſtremò conſuetudine mali tanta feritas animos ſubintravit, ut non modò nullis lachymis, juſtiſque mortuos proſequerentur, ſed ne efferrentur, aut ſepelirentur quidem. Quo evenit, ut mortui ægros; ægri incolumes & metu, & tabe, ac demum peſtifero odore lethaliter conficerent. Plerique morbi horrore ſine ſocietate hoſtium ſtationes ingreſſi, ferro mortem quærere, quàm luis contagione fœtidè interire maluerunt. Fuit tamen ea intemperies Pœnis pernicioſior, quòd illi ſub divo excubabant, qui ad unum penè omnes contacti cum ipſis Ducibus occubuere. Ex Carthaginenſium verò exercitu Siculi ut primùm ex infecto cœlo morbos providerunt, in ſuas quiſque urbes in propinquum pro ſalute tranſmigrarunt. Quo Marcellus veritus ne ſui aut deficerent, aut perirent omnes, caſtra in urbem tranſtulit. Ubi & umbra, & tecto ſeſoti leniorem ſentere valetudinem.

Pœnis pernicioſior.

Interea Bomilcar iterum cum claſſe Carthaginem profectus, ſociorum fortunam Senatui expoſuit; Romanos Syracuſis incluſos facilè capi poſſe, ſi Carthaginenſes paululum adniterentur. Qua ſpe motus populus, eumdem denuo cum centum & triginta triremibus inſtructiſſimis, & ſeptuaginta onerariis cum commeatu, cæteroque belli apparatu in Siciliam remiſit. Sed cum Euro ab ortu ſæviente Pachynum ſuperare nequiret, moramque ob id ibi trahere cogeretur, fama ejus adventus ad Romanos, Syracuſanoſque delatâ, Romanis quidem metum incuſſit, Syracuſanis verò gaudium attulit. Epicides veritus ne Bomilcar Africano vento impeliente repeteret, Polycleto, Philiſtione, ac Epicide, cui Sydori cognomentum erat, mercenariorum Ducibus in Acradina, & Inſula relictis, ipſe ad Bomilcarem navigat, eumque extemplo, ut fortunam navalis prælii experiri vellet, pepulit; a qua, non quòd eſſet aut viribus, aut numero navium inferior, ſed quòd venti proſperiores Romanæ, quàm ſuæ claſſi afflarent, abhorrebat.

Nova Pœnorũ auxilia, & conſilia.

Marcellus porro nihil cunctatus claſſem ſuam, quanquam numero navium imparem, contra Punicam ad Pachynum mittit. Bomilcar cadente Euro, quo faciliùs Pachynum ſuperaret, vehementiorique impetu in Romanam claſſem ferretur, in altum movit. Quo viſo Romani ex ſua etiam ſtatione ſolventes adverſus eum curſum dirigunt. At ille tanta animorum promptitudine conterritus fugam arripuit, Siciliamque prætervectus, Tarentum petiit, onerariis in Africam remiſſis. Tum Epicides ut Carthaginenſium claſſem aufugiſſe vidit, omni ſpe deſtitutus, Syracuſas jam ex magna parte captas redire noluit. Sed Agrigentum navigat, ubi præſtolari magis rerum eventum, quàm aliquid moliri ſtatuit.

Claſſis Roman. adverſus Pœnos.

His per internuntios cognitis, Siculi qui Acradinam, & Inſulam ſub Præfectis ab Epicide relictis tutabantur, explorata priùs

Sy-

Syracuſanorum, qui obſidebantur, voluntate, legatos de conditionibus dedendæ urbis ad Marcellum mittunt. Quibus cum reſponſum fuiſſet, ſi urbem ſalvam eſſe cuperent, tres Epicidis præfectos interficerent; ſtatim Syracuſani unà cum Siculis impetu facto Polycleto, Philiſtione, & Epicide trucidatis, Prætores novos creant, ex quibus legatos pro pace ad Marcellum mittunt. Hi coram illo Hieronis in populum Romanum ſtudium, & benevolentiam primùm teſtati, excuſatâque Hieronymi ſtultitiâ, Hippocratis, & Epicidis fraudem, per quam a Romana ſocietate per vim potiùs abſtracti, quàm animo alienati fuiſſent, ordine exponunt. Denique ſatis, ſuperque eum habiturum, ſi quicquid gloriæ Syracuſani terrâ marique adepti eſſent, ſui triumphi titulo adſcriberet, proponentes; orabant ſupplices, ut miſeræ deinceps civitati parceret, quæ ab eo ſervata, & in familiæ clientelam recepta multò majori laudi ſibi futura eſſet, quàm ſi excideretur. *Legati Syrac. Inſulâ Marcello tradunt.*

Benignè proculdubio a Marcello audita fuiſſet legatio, niſi in urbe ſeditio recens exorta impedimentum præbuiſſet. Transfugæ namque Romani, qui in urbe erant, veriti ne a Syracuſanis Marcello proderentur, mercenarios primùm milites ad ſuum metum conjunxere, factaque conſpiratione junctis viribus, quas mortis pavor terribiliores fecerat, in civitatem proruentes, Prætores primùm, mox Syracuſanos quoſcumque ſors obtulit, cædunt, eorumque bona populantur. Quibus interfectis, & direpta urbe, ne ſine ducibus imbecilliores eſſent, ſex Præfectos inſtituunt; tres, qui Acradinæ, totidemque, qui Inſulæ præſint. Erat ex tribus Acradinæ Præfectis Mericus Hiſpanus genere unus. Is contribulis cujuſdam Romanorum militis ad eum deditâ operâ miſſi pollicitationibus pellectus, Acradinam Marcello traditurum per germanum ſuum ſpondet, & ut a proditionis ſuſpicione commilitonum animos averteret, prohibuit de cætero ultro citroque legatos commeare, ac cuſtodias attentiùs ſervari juſſit, & præfectis (collegarum aſſenſu) opportuna in Acradina, & Inſula loca diviſit. Cumque ſibi ab Arethuſa fonte ad oſtium uſque magni portus urbs tuenda contigiſſet, confeſtim ut id Marcellus ſciret, operam dedit. *Nova in Inſula excita turba.* *Mericus Acradinâ Marcello prodit.*

Ille nocte intempeſta navim onerariam unam cum quadriremibus armatis remulco ad Inſulam trahi, atque in regionem portæ Arethuſæ proximam milites exponi jubet, ac publico edicto cavit, ut Archimedes inter capiendam urbem ſervaretur. His paratis, illucеſcente Marcellus cum omnibus copiis mœnia Acradinæ tanta vi aggreditur, ut non ſolùm eos, qui Acradinam tenebant, contra ſe converteret, ſed ab Inſula quoque armatorum agmina ad obſiſtendum concurrerent, relictis ſtationibus ſuis, ad vim Romanorum arcendam. In hoc rerum tumultu Romanæ jam inſtructæ naves ad Arethuſam armatos exponunt. Hi ex improviſo ſemiplenas Inſulæ ſtationes per apertam eis a Merico portam ingreſſi inſultant, nec nimio labore Inſulam trepidatione, ac fuga cuſtodum deſertam capiunt. Mericus initio certaminis Romanis ſe miſcuit, ac reſiduum Inſulæ illis tradidit. *Inſulam Romani capiunt.*

Marcellus ut captam Inſulam, nec aliud quàm Acradinam ſibi vincendam ſupereſſe cognovit, receptui cecinit, ne gaza regia, cujus major fama, quàm res erat, diriperetur. Porro ſuppreſſo eo pacto militum impetu, Syracuſani, qui Acradinam habebant, liberi

me-

metu, portis apertis legatos ad Marcellum mittunt; qui ſalutem ſibi, liberiſque ſolùm depoſcerent. Acradinâ captâ, Marcellus Quæſtorem cum præſidio in Inſulam ad regias opes recipiendas emittit; quæ acceptæ in ærarium tranſiere, ac tum urbem, qua parte intacta adhuc erat, militibus diripiendam conceſſit. Ita Syracuſæ tertio prope anno, quàm obſideri cœperant, captæ, direptæque ſunt. In quibus tantum prædæ, quantum vix capta poſtmodum Carthagine, repertum memoratur.

Mox Acradinam.

Præcipuè autem in tanta hominum clade Marcellum Archimedis caſus affecit. Is enim intentus formis, lineamentiſque, quas in tanto captæ urbis, ac diripientium militum diſcurſu, tumultuque in pulvere deſcripſerat, non palantes Romanos, non captam urbem animadvertens, dum a milite captus, ut ad Marcellum ſe ſequeretur, mandata recuſaret, donec rem inceptam adhibita demonſtratione perfeciſſet, ab ignaro milite in iram converſo confoſſus cecidit. Plerique eum tradunt, cum Romanum militem ſuſpenſo in ſuam necem gladio conſpiceret, oraſſe, ne ſe interficeret, priuſquam rem inveſtigatam abſolviſſet. Sunt præterea qui ſcribunt, ei ad Marcellum ferenti ſphæras, anguloſque, atque alia quædam mathematica inſtrumenta, quibus ſolis magnitudinem ad aſpectum accommodare ſolebat, Romanos milites occurriſſe, aurum vaſe eum portare arbitrati, ſtatim ipſum ibidem necavere. Id non ægerrimè modò Marcellum tuliſſe, veteres tradiderunt, ſed etiam interfectorem perinde fuiſſe execratum, acſi in Deorum aliquem ſacrilegas manus intuliſſet, cæſique ſepulturæ curam habuiſſe, illiuſque propinquos, ac neceſſarios honoribus cumulaſſe, ſphærâ cylindro ambitâ ejus ſepulchro, uti ſuis ultima voluntate præceperat, cum quæſtione impoſita. Ex continenti firmamento ad contentum quænam eſſet exceſſus proportio. (3)

Archimedis ercdes.

Captis Syracuſis, legationes omnium ferè civitatum ad Marcellum convenere, quæ omnes leges a Romanis acceperunt, ac tum demum Romani, qui nullum clementiæ, aut urbanitatis prorſus exemplum in eum uſque diem de ſe Siculis, exteriſque gentibus præbuerant, Græcis declararunt, quantum juſtitiâ, & æquitate vigerent. Marcellus enim totâ Siciliâ potitus, civitates ferè ſingulas pluribus donariis, ac beneficiis decoravit, quibus devincti Siculi omni ferme urbe equeſtrem benemerenti principi in foro ſtatuam erexerunt. In ea Syracuſarum parte, quæ Inſula eſt, quæque ætate mea ſola incolitur, Marcellus deinceps neminem Syracuſanum habitare voluit, tum quòd ejus loci talis ſitus ſit, ut vel pauci eum defendere poſſint; unde Romanos exercitus ſæpe ante excluſerant, devicerantque; tum quòd commodiſſimus ibi navibus ex alto mari aditus ſit.

Siculorũ legati ad Marcellum.

Remanſerant Marcello non parvæ reliquiæ belli. Siquidem Epicides, & Hanno Carthaginenſium Duces, & Mutines genere Afer in locum Hippocratis demortui ſuffectus vir impiger, & qui ſub Annibale militarem artem didicerat, circa Agrigentum cum copiis erant. Hi audita Syracuſarum expugnatione, communi conſilio Mutini collegæ, milites Numidæ auxiliares ut darentur, quibus contra Romanos egrederetur, decreverunt. Is copiis aſſumptis, Romanorum agros adeo excurſionibus, populationibuſque vexavit, ut Carthaginenſium ſocios vel hoc uno modo in fide retinuerit, ita ut non in alio illorum ſpes, quàm in hoc uno conſiſteret. Poſt hæc conjunctis

Marcellus belli reliquias cõficit.

vi-

viribus tres Duces Agrigento egreſſi ad Gelam amnem caſtra poſuerunt. Quod ubi Marcellus percepit, in eos juſto exercitu ſtipatus proficiſcitur, ac quatuor paſſuum millibus longè ab eis conſedit, prǽſtolaturus ibi quid hoſtes vel agerent, vel pararent. Mutines de Marcelli adventu certior factus, continuò trajecto flumine, ſtationibus ingenti cum terrore, ac tumultu invectus, poſtridie prælio prope juſto intra munimenta Romanos compulit. Interea trecenti Numidæ, exorta ſeditione, e caſtris Heracleam diverterunt. Mutines ea novitate repreſſus, ad mitigandos, revocandoſque ſuos Heracleam contendit, monens interim Epicidem, & Hannonem ne ſe abſente cum Romanis dimicarent. *Contra Pœnos ducit.*

Verùm Hanno, & Epicides Mutinis conſilium aſpernati, ad gloriam, quàm ad obedientiam paratiores, cum copiis Gelam tranſgreſſi, in aciem contra Marcellum exierunt. Marcellus indignum arbitratus terrâ marique actis Carthaginenſibus cedere, arma extemplo parari, & ſigna efferri jubet. Dum Romani ad bellum ſe inſtruunt, decem Numidarum equites ex Pœnorum agmine tumultuario curſu clam ad Marcellum convolant; ſeditionem trecentorum commilitonum, eorumque ad Heracleam, ſimul & Mutinis ad eos revocandos acceſſum annuntiant, atque Numidas omnes, & duos copiarum duces gloriæ Mutinis obtrectantes in bello futuro quieturos Marcello promiſerunt, ac ſubinde ad exercitum ſecretò redeunt; gens fallax, & quæ fidem aliàs ante ſervare neſciit, eam jam in ſui perniciem præſtitit. Marcellus eo nuntio accepto, ſine cunctatione hoſtes parato cum milite adortus, parvo labore ſuperat. Nam ad primum certaminis clamorem, impetumque Numidæ, qui in cornibus erant, in concurſu, ut Marcello promiſerant, a cædendis hoſtibus abſtinuerunt. Quo viſo, Carthaginenſes in terga compelluntur. Numidæ & ipſi, ut proditionem velarent, fugæ parumper comites, tandem, cum milites omnes Agrigentum trepidi petiiſſent, ipſi ſceleris conſcii metu quoque futuræ obſidionis adducti, in proximas civitates paſſim dilabuntur. In hac ultima Marcelli in Sicilia pugna multa Carthaginenſium millia ſunt cæſa, pleraque capta, capti quoque & octo elephanti, cum quibus deinde Marcellus victor Syracuſas regreſſus eſt. *Eos adoritur, & ſuperat.*

Poſt hæc cum Engion urbs totis adhuc animis ad Carthaginenſes inclinaretur, Nicias in civitate vir princeps, & Romanorum ſtudioſus, ut cives ſuos ab inſtituto deflecteret, palàm pro ſuggeſto intrepida voce Pœnorum vecordiam increpabat. Quo commoti Engiates, cum authoritas hominis ſimul, & potentia eum a cæde defenderet, vinctum ſaltem Carthaginenſibus tradere decreverant. Ille cognita conjuratione, cum clauſos ſibi omnes urbis exitus, nec evadendi viam videret, clandeſtinam circa ſe primùm cuſtodiam diſpoſuit; mox palam in Materas Deas veluti importunus, ac mente captus obloqui, & pleraque adverſus earum fœdo errore creditam divinitatem, efferre cœpit. Cumque ad eum comprehendendum adverſarii ſe paraſſent, corpus repente lymphato ſimilis ad terram demiſit; ubi paululum immoratus, magno omnium ſtupore, caput poſtea attollens, voce ſubtremula, gravique circumagitans, acutum paulatim ſonum protendit, quo horrorem toti etiam circum populo incuſſit. Deinde abjecto amictu, & tunicâ interula conſciſsâ, ſeminudus ad theatri fores furibundus exiens, Materarumque numine cor- *Engium Pœnis adhæret.* *Niciæ egregiè facinus.*

Ad Romanos evadit. correptum ſe inclamitans, curſu feſtinabat. Engiates Dearum irâ id fieri arbitrati, religionis ergo ipſum neque attingere, neque remorari audebant. Ita Nicias lymphatum mentitus, liberque extra urbis portas evaſit; ubi nullo deinceps furoris clamore, vel inſanientis impetu eſt uſus.

Conjux Niciæ artis conſcia, aſſumptis filiis, primùm in Dearum templum ſupplex, ſubinde virum errantem quæſitum exire ſimulans, nemine obſtante, tutò & ipſa ex urbe diſceſſit. Denique loco, qui inter eos convenerat, a viro expectata, unà Syracuſas ad Marcellum ſunt profecti, a quo magnis honoribus excepti, agri quoque *Civib. ſuis veniá impetrat.* plurimum accepere. Marcellus poſtea capto Engio, cum cives omnes priùs vinciri, deinde ad ultimum ſupplicium educi juſſiſſet, Nicias patriam miſeratus, ſuis ipſe lacrymis a Marcello civibus, & in primis adverſariis veniam impetravit. Marcellus tantâ victoriâ felix civitates penè omnes maximis beneficiis extulit, illiſque leges dedit, & Catanæ gymnaſium artium liberalium celeberrimum condidit. (4)

Porro confecto magna ex parte Siculo bello, totâque jam Inſulâ ſubactâ, Siciliâ exceſſurus, plurima, eaque pulcherrima, ex Sy- *Siculis Marcellus beneficia præſtat.* racuſis ſigna detraxit, quæ ad ſui triumphi ſpectaculum, & ad Romanæ urbis ornamentum, quæ nihil antea aut laſcivum, aut luxurioſum vel habuerat, vel noverat, ſecum Romam comportavit. Quo effectum eſt, ut inde primùm Romani mirari Græcarum artium opera cœperint, quibus ad portam Capenam dedicata a Marco Marcello templa, excellentiſſimè decorata poſtea viſebantur, & ad Pantheon hucuſque capita columnarum Syracuſis evecta cernuntur. Statuas prætera, ac tabulas complures ex iſtorum numero in Samo- *Syracuſarum ſpoliis Urbem ornat.* traciam ad Deos, quos Cabiros appellabant, delatas, ex Marcelli ſtatua ibi in æde Palladis erecta, per apertam inſcriptionem conſtabat. Quamobrem non defuerunt qui in Marcello religionem deſiderarent; eo maximè quòd non homines tantùm, ſed Deos etiam perinde, ac captivos ſpoliaſſet, & in triumphum egiſſet. Cui acceſſit & alia culpa, quòd aſſuetum bello, rebuſque ruſticis populum Romanum minimè lautum, luxu magis, ac otio referſiſſet.

Parum abfuit, quin adverſantibus inimicis, triumphus ei negaretur; tum ob eas, quas diximus, cauſas; tum quia nonnulla adhuc in Sicilia populo Romano acquirenda reſtabant. In Albano tamen monte triumphum eo, quo decuit, ordine, ac celebritate obtinuit. Unde poſtridie ovans urbem ingreſſus eſt, multamque præ *Triũphũ agit.* ſe prædam in urbem convexit. Præcedebant cum ſimulacro captarum Syracuſarum catapultæ, baliſtæque, & omnia alia inſtrumenta belli, & pacis diuturnæ, regiæque opulentiæ inſignia, argenti, æriſque affabrè cælata vaſa, & pretioſæ veſtes, ac multa nobilia ſigna, quibus inter primas Græciæ urbes Syracuſæ ornatæ fuerant. Punicæ quoque victoriæ ſignum octo ducti elephanti, ad quæ non indigniori acceſſere ſpectaculo cum coronis aureis præeuntes Soſis Syracuſanus, & Mericus Hiſpanus benè in hac victoria de populo Romano meriti. His duobus civitas data, & quingenta jugera agri ſolidi in agro Syracuſano, vel Regio, vel hoſtium populi Romani, & ædes eis, Syracuſis, cujus vellent eorum, in quos belli jure animadverſum eſſet, deligere conceſſum eſt; Merico verò, Hiſpaniſque, qui cum eo tranſierant, urbem, agroſque in Sicilia ex his, qui a populo

pulo Romano defeciſſent, ubi eis viſum eſt, largiti ſunt. Indigemino, per quem ad tranſitionem Mericus eſt illectus, in ejuſdem finibus quadringenta jugera agri decreta.

Syracuſii in Senatu illú accuſant.

Marcellus autem cum quartò Conſul creatus eſſet, & Sicilia provincia, & claſſis adminiſtratio rurſus ei obveniſſet, ex Syracuſanis quidam, qui ab ejus adverſariis perſuaſi Romam ierant, de eo querebantur, quòd urbem, templa, & privatos contra fœdera, ac ſocietatis jura depilaſſet; proinde ſi eò iterum cum imperio rediiſſet, ſe non modò ſuam quemque patriam, ſed Siciliam totam relicturos affirmabant, quippe quòd aut obrui Ætnæ ignibus, aut freto mergi ſatiùs Siciliæ foret, quàm ſacrilego rurſus Marcello dedi. Auditis & illorum querelis, & Marcelli defenſione; tametſi Marcello ſententia adjudicaretur, actoreſque meritò condemnarentur, permutationem tamen provinciarum fieri placuit; & Marcello Italia, Sicilia Levino eſt demandata. (5) Cum deinde Marcellus ex Syracuſanorum manubiis Gloriæ, atque Virtutis templum Romæ dedicare vellet, a Pontificibus eſt inhibitus, negantibus duos Deos unam ædem habere poſſe; quare alteram tantùm ſub virtutis nomine priori conjunctam, qua illi patebat aditus, condidit. Statutum quoque perpetuò Syracuſis eſt, ut quoties aut ipſe, aut quiſpiam ex ejus Poſteris in Siciliam trajiceret, obviam cives coronati procederent, ac ſacrum diem illum celebrarent. Clariſſima ejus progenies ad Marcellum uſque Cæſaris Auguſti nepotem propagata eſt. Quem Octavia Cæſaris ſoror ex C. Marcello ſuſcepit.

Se purgat, hoſtibuſq. parcit.

Punica claſſis denuo Siciliá vexat.

Poſt deceſſum Marcelli ex Sicilia Punica claſſis cum octo peditum, & tribus equitum Numidarum millibus vicinas Syracuſis urbes adorta, ad ſe Murgantiam, Hyblam, Macellam, & ignobiliores quaſdam alias urbes, pertraxit. Poſtmodum verò Præfecto Mutine Pœni vagi per totam Siciliam ſociorum populi Romani agros urebant. Romanorum exercitus, tum quòd cum victore, cui militiæ, malorumque participes fuerant, ad triumphi etiam partem vocati non fuiſſent, tum quòd in oppidis hybernare interdicto prohiberentur, adeo exacerbati erant, ut non ſolùm ad hoſtes reprimendos ſegniores eſſent, ſed magis eis etiam author, quàm animus ad ſeditionem deeſſet. Hos tamen motus aliquandiu M. Cornelius Prætor, militum animos nunc conſolando, nunc caſtigando compeſcuit, civitateſque omnes, quæ defecerant, ad deditionem redegit, atque ex his Murgantiam Hiſpanis, quibus urbs, agerque ex Senatuſconſulto debebatur, attribuit.

Levinus Cóſul in Sicilia.

Poſt hæc Levinus Conſul, cui Sicilia Provincia a Senatu delegata ſucceſſit, jam magna parte anni circumacta, in Siciliam a veteribus, noviſque ſociis, ſatis expectatus venit, atque res Syracuſanorum inconditas compoſuit. Sed cum Agrigentini omnem in Mutine cum Numidis ſpem repoſitam haberent, quòd per totam Siciliam ſolus ferè ex ſociis Romanorum ingentiores ageret prædas, & ab hoſtibus nullo pacto prohiberi poſſet, Hanno præclaras ejus res geſtas invidens, adeo in eum exarſit odio, ut Præfecturam Mutini ereptam, filio ſuo contulerit, ratus cum ea, authoritatem Mutinis inter Numidas filium exceſſurum. Sed longè illi aliter evenit. Siquidem muneris privatio veterem erga Mutinem benevolentiam majorem in modum auxit, qua confiſus Mutines repulſam iniquiori ferens animo, adeo a re Punica alienatus eſt, ut confeſtim occultos ad

Levinum de tradendo ei Agrigento nuntios miſerit. Per hos itaque data fide, compoſitoque rei gerendæ modo, portam urbis, quæ ducit ad mare, pulſis inde, cæſiſque cuſtodibus, a Numidis occupari facit, per quam Levinum Conſulem cum toto Romanorum exercitu in urbem introduxit.

Agrigentum proditione ſibi vindicat.

Cumque in medium forum ingreſſo Romanorum agmine, magnus Agrigentinorum tumultus emanaſſet, Hanno nihil minùs, quàm de proditione ſuſpicatus, ad comprimendam caſtrenſem, quam arbitrabatur, ſeditionem proceſſit. Sed ubi multitudo ei major, quàm Numidarum eminus eſt viſa, & Romanorum clamor ſatis ſibi ex conſuetudine percognitus ad aures perveniſſet, antequam ad teli ictum veniret, fugam capeſſit, atque per oppoſitam urbis portam cum Epicide, & paucis emiſſus, ad mare pervenit; ubi nactus peropportunè parvum navigium, relictâ Romanis Siciliâ, de qua per tot annos acerrimè certatum erat, in Africam trajecit. Authores tamen habeo, qui de Hannone capto ſimul, & cæteris tum Siculis, tum Pœnis viris nobilitate clariſſimis Levinum Romam reverſum triumphaſſe ſcribunt. Cæteri verò Pœnorum, Siculorumque milites, quorum ingens erat turba, metu perculſi, intentatoque certamine, cum cæſi in fugam intra urbem ruerent, clauſiſque meatibus exire prohiberentur, circa urbis portas omnes ſunt cæſi.

Hanno Siciliâ Romanis relinquit.

Urbe recepta, Levinus Conſul eos, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis primùm cædi, mox ſecuri percuti juſſit. Reliquos verò, prædamque omnem vendidit, pecuniamque inde collectam Romam in ærarium miſit. Agrigentinæ cladis fama cum Siciliam invaſiſſet, omnia repente ad Romanos inclinavit. Prodita brevi tempore viginti oppida, ſex vi capta, quadraginta deditione voluntaria in fidem Romanorum venerunt. Quarum urbium Principibus Conſul pro cujuſque merito præmia, pœnaſve exolvit. Siculos deinde, poſitis armis, ad agros colendos coegit, ut Sicilia non incolis modò ſuæ fertilitatis fructum penderet, ſed Romæ quoque, ac Italiæ annonam præberet, prout ſæpe præſtiterat. Supererant adhuc in Sicilia quatuor hominum millia ex omni colluvione mixti, exules, obærati, qui cum in civitatibus, quibus erant adſtricti, ſuis legibus vixiſſent, poſtquam eos ex variis cauſis aut morum, aut fortunæ ſimilitudo conjunxerat, in Agathyria urbe per latrocinia, ac pleraque alia facinora vitam ducebant. Hos Levinus nequaquam in Sicilia relinquere ſtatuit, ne novandis rebus, & rapto vivere aſſueti, inſulam jam pacatam aliquando ad ſeditiones renovarent. Eos igitur Rheginis nova pace coaleſcente ad populandum Brutium agrum tranſmiſit. Ita Sicilia, omni parte ſuperatis hoſtibus, in ditionem populi Romani devenit; erat tum annus a condito mundo 4990. & ab urbe condita circiter 550.

Oppida ſeſe Romanis tradunt.

Levinus totâ purgat inſulam.

1 ARiſton Actor Tragœdiarum, a Livio appellatur, qui ſcilicet in Tragœdiis Perſonam agebat; malè hinc *Author* hic dicitur, niſi Typographi erratum fuerit.

2 Memorat Plutarchus in Marcello Romanos milites, quoties e muris funem, aut malum conſpicarentur, quampiam in ſe machinam ab Archimede motam arbitratos, terrore implicitos, clamanteſque, retro pedem retuliſſe.

3 Idem Plutarchus ibidem de Archimede loquens: *Is*, ait, *quum multa pul-*

pulcherrima excogitaſſet, amicos & neceſſarios oraſſe fertur, ut poſt ejus mortem circumdatum ſphærâ cylindrum ejus ſepulchro imponerent, inſcriberentque: Ambienti ſphæræ ſolidæ ad contentum intus cylindrum, quænam exceſſus eſſet proportio. Quod in idem recidit, quod ex Livio refert noſter Hiſtoricus. Cætera apud eumdem Plutarchum legenda, quæ de Archimede ejuſque miria inventia dicuntur.

4 Sunt qui Marcelli Gymnaſium Catanæ conſtitutum artium minimè liberalium ſtudiis, ſed bellicis omnino exercitationibus addictum volunt. Ante ſextum quippe Urbis conditæ ſæculum nullum apud Romanos viguiſſe, teſte Svetonio de Illuſt. Grammaticis, ſcientiarum cultum credunt. Et Marcellus armis a pueritia belliſque implicitus, nonniſi juventuti Martis artibus imbuendæ intendiſſe putandus. Verum enimvero dudum in Græcia, græcaniciſque urbibus liberales facultates, ac ſcientiæ inoleverant, atque ab ætate Pythagoræ Philoſophiæ ſtudiis Siculi delectabantur; Hinc Romanus Conſul ut ſociam civitatem demececetur, a qua & ſuppetias in longa Syracuſarum obſidione acceperat, uti ex Silio Italico conſtat, utque Græcorum genio morem gereret, Gymnaſium Catanæ ad robur firmandum belli artibus, & ad ingenia excolenda liberalibus ſcientiis addixit. Conſule quæ in noſtra Urbis Catanæ hiſtoria diximus; ubi Petri Carreræ contra Fazellum conjecturas expendimus. Arcum præterea triumphalem in Marcelli honorem excitatum Catanæ extitiſſe vetus traditio docet, illiuſque rudera ætatate adhuc noſtra obſervantur *M. Marcelli arcus* vulgò appellata.

5 Plura de hac Sycacuſanorum contra Marcellum in Senatu actione conſule apud laudatum Plutarchum, qui illius ordinem ſuſiùs exponit: *Cæterùm poſtquam Marcellus quartò Conſul creatus eſt, ejus inimici Syracuſanos induxerunt, ut de eo Romam quæſtum, vociferatumque venirent, quòd graviſſimas ab eo res contra fædera, & jura ſocietatis paſſi forent. Tum Marcellus rem divinam in Capitolio faciebat. Sedentibus itaque Patribus, Syracuſani ſupplices proſternuntur, dicendi locum & pro violata civitate juſtitiam implorantes. Quod quum abſentis Marcelli gratiâ egrè collega pateretur, Syracuſanos arcebat. Id ſimulatque Marcellus accepit, ſtatim adfuit, & ſellâ poſitâ, quum ſediſſet, ut Conſul jus dixit. Perfectis ceteris deſcendens e ſella, in eum locum privatus migravit, quò in jus vocati ſolent; & Syracuſanis de ſe querendi facultatem præbuit. Quod ubi viri dignitatem, authoritatem, majeſtatem, & invictum armis Ducem animo verſaſſent, confuſi perturbatique ſunt. Verumtamen adverſariorum exhortationibus excitati; flebilibus lamentis incuſationem exorſi ſunt, cujus ſumma hæc fuit: Se quum ſocii, amicique Romani populi eſſent, quos nec etiam ſub reliquis imperatoribus pertulerint hoſtes, perpeſſos. Ad ea Marcellus: Eos nihil niſi quod vi, & bello capti, quodque arceri nequiret pertuliſſe. Deinde eos ſibi ipſis captivitatis authores fuiſſe; qui multis ad pacem cohortanti illos, non obtemperaſſent. Nec enim a tyrannis pugnare coactos, verùm & eos bello tyrannidem exercuiſſe.*

His peroratis, quum Patres de more Syracuſanos dimiſiſſent, Marcellus in Senatu relicto collega, ſimul exceſſit, ante fores curiæ expectans; nil aut pœnæ metu, aut in Syracuſanos irâ ſolitam immutavit habitudinem, quin ſumma benignitate, & modeſtia Senatuſconſultò finem operiebatur. Deinde Patrum decreto Marcellus victor declaratur. Quapropter Syracuſani ſeſe ad ejus genua projecerunt lacrymis obſecrantes, ut iram adverſus ſe præſentes exerceret, reliquam verò miſeraretur civitatem, immortales ſibi gratias pro iſthac habituram. Quibus placatus Marcellus tum iis præſentibus, cùm univerſis conciliatus eſt Syracuſanis, quos in poſterum perpetuis proſecutus eſt beneficiis; Senatus quoque reſtitutam libertatem illis, leges impoſitas, compluraque adjudicata prædia rata habuit. Quorum gratiâ meritorum cùm immenſos alioſque honores a Syracuſanis aſſecutus eſſet, tum decre-

ve-

Digitized by Google

vere, ut quoties Marcellus, aut ejus quiſpiam poſterorum in Siciliam trajicerent, obviam Syracuſani coronati prodirent, & Diis ſacrificia inſtituerentur.

6 Annus, quo hæc geſta ſunt, ex Livio erat U. C. 544. Lęvino Conſule literis Senatûs Romam evocato, Sicilia provincia Cincio Prætori committitur, Valeriuſque Meſſala claſſis præfectus cum parte navium in Africam proficiſcitur. Lævini oratio in Senatu ex Livio hæc fuit: *Quum annos prope ſexaginta in Sicilia terrâ marique bellatum eſſet, ſe eam provinciam confeciſſe; neminem Carthaginienſem in Sicilia eſſe, neminem Siculum, qui metu inde fugati abſuerint, non eſſe. Omnes in urbes, agroſque ſuos reductos arare, ſerere, deſertam recoli tandem terram, frugiferam ipſis cultoribus, populoque Romano, pace, ac bello fidiſſimum annonæ ſubſidium....* Non diu poſt idem Lævinus magiſtratu abiit, ac in Siciliam rediit, binæque legiones ad provinciæ cuſtodiam ſunt deſignatæ. Cincium prætorem, & Meſſalæ imperium prorogatum. Inſula tunc vidit, quibus Cannenſis exercitus datus, quem ignominia ob res apud Cannas malè geſtas S. P. Q. R. affecerat. Fulviani etiam exercitus reliquias illis acceſſiſſe memorat Livius, duaſque legiones, & quinqueremes triginta ex inſula eductas; quæ tamen nec viribus, nec ſpecie provinciæ præſidium minuerunt. *Nam quum præter ſuppletas duas veteres legiones, transfugarum etiam Numidarum equitum, peditumque magnam vim Lævinus Proconſul haberet; Siculos quoque, qui in exercitu Epicidis, aut Pœnorum fuerant belli peritos viros milites ſcripſit; & externa auxilia quum ſingulis Romanis legionibus adjunxiſſet, duorum ſpeciem exercituum ſervavit; altero L. Cincium partem inſulæ, quæ regnum Hieronis fuerat, tueri juſſit; altero ipſe cæteram inſulam tutabatur, diviſam quondam Romani, Puniciquæ imperii finibus. Claſſis quoque navium ſeptuaginta parata, ut ex omni ambitu littorum præſidia oræ maritimæ eſſent. Ipſe cum Mutinis equitatu provinciam peragrabat, ut viſeret agros, cultaque ab incultis notaret, perinde dominos laudaret, caſtigaretque. In tantum ea cura frumenti provenit, ut & Romam mitteret, & Catanam conveheret, unde exercitui, qui ad Tarentum æſtivè acturus eſſet, poſſet præberi.* Hæc Livius decad. III. lib. 7.

Anno V. C. 549. P. Cornelio Scipioni Conſuli Sicilia obvenit, in quam adveniens, trecentos Siculos juvenes genere, & fortuna præcipuos, qui ſecum in Africam trajicerent, legit, diem iis, qua equis, armiſque inſtructi adeſſent, edixit. Gravis ea militia videbatur, cognatiſque ac parentibus diſplicuit; at ubi dies advenit, arma equoſque nihilominus ſelecti juvenes oſtenderunt. Tum Scipio, renunciari ſibi ait, quoſdam ex his tanquam gravem, & duram eam horrere militiam. Si ita eſſet, expromerent quid ſentirent, cum bona venia ſe auditurum. Quumque, ſi libertas daretur, nolle ſe militare, unus reſpondiſſet, ſubdit Scipio: Vicarium igitur tibi expediam, cui tu arma, & cætera militiæ inſtrumenta, equumque tradas. Conditione accepta, unum ex trecentis, quos ætate florentes, & virium robore inſignes ex induſtria in delectu militum ſervaverat, equiti Siculo aſſignavit; quem ubi hoc modo exauctoratum cum gratia imperatoris cæteri vidiſſent, ſe quiſque excuſare, & vicarium accipere. Ita trecentis Siculis totidem Romani equites ſine publica impenſa ſubſtituti ſunt, qui egregii evaſerunt, multiſque prœliis Rempublicam adjuvere.

Alio ſubinde delectu ex iis, qui ſub Marcello militaverant, quoſque ab longa Syracuſarum obſidione peritiſſimos eſſe urbium oppugnandarum credebat, facta, quum nihil niſi Carthaginis excidium cogitaret, exercitum per oppida diſpertit, frumentum ſingulis civitatibus imperat, veteres refecit naves, & cum iis C. Lelium in Africam prædatum mittit; naves, quia ex viridi materia raptim conſtructæ fuerant, ut in ſicco hybernarent, Panormi ſubducit; paratiſque omnibus, Syracuſas nondum ſatis tranquillas venit;

Digitized by Google

hit: Græci enim ab Italis res ſuas bello diſtractas, ab Senatu ſibi conceſſas repetebant. Hinc omnium primum ratus Scipio, tueri publicam fidem, partim edicto, partim judiciis, ſuas res Syracuſanis reſtituit, Quod ſanè non iis tantùm, ſed omnibus Siciliæ populis gratum fuit. Poſt reditum ex Africa C. Lelii ad Locros urbem recipiendam, quæ ad Pœnos defecerat, Scipio profectus, ea expugnata, Meſſanam a Brutiia ſe recipit, indeque Syracuſas. Nec diu Lilybœum delatus ingenti claſſe adornata, ſacriſque Neptuno, & Jovi ritè peractis, ex eo in Africam, Pœnos debellaturus, trajecit. Siciliæ Præturam tunc M. Pomponius agebat, qui & ipſe Lilybœum una cum Siciliæ legatis officii causà venerat, Pomponium P. Villius excepit V. C. anno 551. ſub quo tria millia militum ſunt ſcripta; & nequa claſſis ex Africa Siciliam invaderet, quadraginta navibus maritima Inſulæ ora cuſtodienda committitur, eodem Pomponio claſſis præfecto renunciato.

U. C. anno 555. L. Valerio Flacco Prætori noſtra Inſula obvenit, poſtquem M. Claudius Marcellus provinciam adminiſtravit. Huic quatuor millia peditum, equiteſque trecenti ſunt aſſignati. Marcello Manlius anno 557. cui C. Lelius ſucceſſit; huic verò Gn. Manlius Vulſo. Tunc e Sicilia Romam tritici decies centum millia allata ſunt. L. Cornelius Vulſoni ſubrogatur, Cornelio L. Valerius Tappus, cui M. Æmilius Lepidus. Eo Prætore in duas provincias Sicilia dividitur; Prima ab Agrigento ad Pachynum, altera a Pachyno ad Tyndaridem definita. Mandatum illi præterea ab Senatu, ut duas frumenti decumas exigeret, quod ad mare comportandum, devehendumque in Græciam curaret, ubi adverſus Antiochum Conſul duxerat. Æmilium C. Atinius excepit, ſub quo binæ frumenti decimæ imperatæ, Siculumque omne frumentum Ætoliam ad exercitum portari juſſum; Atinium verò M. Sempronius Tuditanus, qui & duas quoque frumenti decimas Siculis indixit, ut in Aſiam Ætoliamque illud tranſmitteret.

Poſt Atinium Q. Martio Sicilia decreta, eoque decedente L. Terentius obtinuit, poſt quem P. Cornelius Sulla ſufficitur, moxque C. Sempronius Bleſus, ac ſequenti anno, qui fuit V. C. 572. L. Cæcilius Dentri. Cæcilio T. Claudius Nero ſucceſſit, Neroni P. Cornelius. Sub id tempus ſæva lues urbem invaſit, qua complures ſublati Sacerdotes, & loco Regis Sacrifici P. Cælius Siculus inauguratur. Q. Mutius Scevola Prætorem poſt Cornelium egit. Hujus ſucceſſorem, quod decadis v. Titi Livii liber primus acephalus ſit, ex hoc authore minimè aſſequimur, ſed ex Duiacli ſupplementis diſcimus P. Ælium Ligum fuiſſe, cui Numiſius; & huic Aquilius Gallus ſubrogatur. Popilio ſubinde Lænæ Sicilia obvenit, ac fortè mox L. Claudio Aſello, quem inter Prætores anni 579. vel 580. enumerant, quamvis de Provincia nihil apertè legatur. M. Furius Craſſippes Inſulæ præfuit anno 581. Memmius ſequenti, cui naves expediendi ad bellum Macedonicum negotium eſt datum. Poſt hunc C. Coninius Rabilus Siciliam ſortitus Q. Ælio Pæto fortè locum ceſſit, aut Manlio Torquato, qui ſex inter Prætores ex Pighio adlecti creduntur. Anno U. C. 585. Ser. Cornelius Lentulus deſignatur, mox poſt eum M. Æbutius, ſubindeque Tib. Claudius Nero. Hic poſtremus apud Livii libros, qui extant, legitur Siciliæ Prætor ad annum U. C. 585. Alios divinare ad Servile primum bellum, quod anno 619. emerſit, minimè datum.

Conſulibus C. Lelio Sapiente, & Q. Servilio Cæpione Ætna mons copioſum evomuit ignem, quod prodigii loco Romæ acceptum Sacrificiis ſolemnioribus procuratum eſt. Quinto poſt anno majori longè incendio idem mons exarſit, utì Fazellus Decadis primæ lib. 2. cap. 4. tradit.

DE

Digitized by Google

DE BELLO SERVILI, ET ALIIS MOTIBUS, QUI IN SICILIA IMPERANTE POPULO ROMANO SUNT EXORTI.

CAPUT SECUNDUM.

Sicilia regitur per Romanos.

SUbacta Sicilia prima Romani imperii provinciarum facta eſt; quam vel eo nomine Reſpublica Romana ab initio ſemper magnifecit, eamque principio per Prætores regi, poſtea committi Præſidibus, demum a Conſularibus adminiſtrari voluit. Meſſana, & Tauromenium fœderatæ erant cum Romanis civitates; liberæ verò, atque immunes Centuripe, Aleſa, Segeſta, Aletienſis, & Panormus. Inter quas Centuripini, & Segeſtani Latinitatis etiam jura obtinebant. Sed & Siciliam Civitate Romana a M. Antonio donatam lib. 14. ad Atticum in Epiſtola *O mi Attice*, ſcribit Cicero. Cujus verba hæc ſunt: *Scis quàm diligam Siculos, & quàm illam clientelam honeſtam judicem. Multa illis Cæſar, neque me invito. Et ſi Latinitas erat non ferenda, verum tamen. Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a Dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani ſunt effecti; Cujus rei vivo illo mentio nulla.*

Coloniæ in Sicilia deductæ.

Huc uſque Cicero. Colonias plures S. P. Q. R. in Siciliam miſit, Panormum, Syracuſas, Tauromenium. (1) Aliquot poſt annis cum tertio bello Punico Scipio Carthaginem funditùs deleviſſet, ſpolia ac ornamenta, quæ de Siciliæ civitatum excidiis Carthago collegerat, convocatis Siculis, jubet omnia conquiri, & quæ cujuſque urbis propria fuerant, benignè reſtituit. (2)

Servilis belli initia.

Sub id ferme tempus maxima, eaque barbara, & effera ſervorum in Sicilia ex diverſis nationibus multitudo, tum primùm conditionis ſuæ ſervitutis pertæſa, libertatem dominorum cæde per occaſionem ſibi vendicare ſtatuit. Igitur cum ſalubri nullo regerentur conſilio, ſumptis armis, inſoleſcere apud heros, ac jactare cœperunt; veniſſe jam tempus, quo ſervi cum dominis vitæ conditionem, ut naturæ ordo poſcebat, æquarent; quippe quòd natura, quæ vitæ hominum non noverca, ſed genitrix eſt, liberos eos omnes, pareſque, non ſervos ediderit; deinde ſumma etiam procacitate libertatem, alimenta, & corporis amictum non modò poſcere, ſed rapto quoque accipere, ac mox nobilibus, dominiſque excidium comminari, niſi facultates communes facerent, cœperunt. Novitas primùm hæc in Triocala urbe ſub Calatabellotha oppido olim ſita exordium ſumpſit, (3) mox ad reliqua quoque Siciliæ oppida repentino curſu exemplo hujuſcemodi promanavit.

Demophili in servos crudelitas.

Demophilus in Sicilia eo tempore vir erat opibus, & nobilitate inſignis, ſed veneris impatiens. (4) Is cum princeps eſſet, ſuperbiâ elatus, quadrigis albis per urbes vehebatur, pluribus ſervis & robore, & pulchritudine præſtantibus, magna quoque militum manu circumſeptus. Verùm cum inſolentiùs plerumque, ac ſæpe de more in ſervos debaccharetur, illi converſâ tandem in furorem patientiâ, obloquendo primùm, mox contumeliis, ac denique telis dominum aggreſſi, eum unà cum liberis, uxore, cæteriſque domeſticis interficiunt.

Ho-

Digitized by Google

Eunus Servorum ejus belli dux & Cleon.

Horum exemplo reliqui Siciliæ ſervi in æmulationem facinoris animo erecti, ad arma convenere. Quorum Dux Eunus ſervus Syrus genere fuit. Is etenim fanatico furore ſimulato, dum Syriæ Deæ ſacra celebrat, ad libertatem vi armata vendicandam conſervos quaſi numine hortatus, vocat. Quo ut divino imperio crederetur ab eo fieri, in ore abdita nuce ſulphure, & igne plena leniter inſpirans, inter verba flammam effundebat. Quo veluti miraculo duo primùm ſervorum millia ex obviis ad ſe allexit. Mox ei acceſſit & Cleon eàdem fortunâ in Sicilia ſervus. Hi vi armorum ſuſcepta, & quaſi jure belli fractis ergaſtulis, ad ſeptuaginta ſuæ ſortis millia contraxerunt. Conglobato itaque agmine, nihil ſupplicii metuentes vicos, oppida, & urbes invadentes, per omne cruciatuum genus dominos, nobiles, & plebejos quotquot obvios habebant, ſine commiſeratione cædebant. Cui incepto ut ſucceſſus accederet ferocior, & ne ſine auſpiciis eſſet exercitus, Regem ſibi Eunum deligunt, virum fortem, intrepidum, & ad quodvis ſcelus paratiſſimum, nec militiæ ignarum, & ſuper hæc dominorum hoſtem acerrimum. Is quò latiùs terrorem ſpargeret, & quàm effuſiſſimè graſſaretur, nobiles, quos capiebat, crudeliſſimo ſupplicio enecabat; matronas ingenuas, ac virgines univerſo ſervili exercitui proſtituebat, atque cuncta in prædam ſociis exhibebat.

Fit Eunus Servorũ Rex.

Servi Siculos, & Roman. exercitus fúdũt.

Siculi ubi ita ſeſe opprimi vident, equitatum omnem, peditatumque contrà emittunt, quibus illi quàm ociſſimè ſuperatis, in Romani quoque populi dedecus, Prætorum Manlii Lentuli, & Piſonis Hyſpæi caſtra vi capiunt, atque ipſos Prætores bello profugos inſectantur, magnaque jam præliando in Romanorum, Siculorumque exercitum facta ſtrage, captos probris, ac contumeliis primò afficiunt, mox cruentiſſimis affixos palis necant, adeoque ſervi ſuperiores fuerunt, ut nulla fuerit in Sicilia urbs, quæ ſervorum in ſe crudelitatem non & ſenſerit, & perhorruerit, Meſſana urbe excepta, quæ ſervos liberaliter habuit, atque in pace, fideque continuit. His cladibus acceptis; Romani Piſonem Conſulem mittunt. Is aciem ingentem contra ſervos inſtruxit, ſed non priùs ſolerti vir ingenio pugnandum ſibi cum efferata inſolentium hominum colluvie judicavit, quàm eorum animos pertentaret, experireturque àn perſuaſionibus propoſitâ quoque eis venia, a furore flecti poſſent. Quos ubi ad pejora in dies dilabi, ac jam Ætnam, Tauromenium, & pleraque alia ſitu etiam munitiora oppida occupata pertinaciſſimè præſidiis tueri conſpicit, contra Mamertium oppidum, (5) quod ab ipſis tenebatur, caſtris motis, magna vi illud expugnat, ubi octo ſervorum millia inter pugnandum interſecit; quos autem vivos habere potuit, patibulo ſuffixit. Rutilius, ſive, ut alii ſcribunt, Attilius, qui Piſoni ſucceſſerat, Tauromenium, & Ætnam firmiſſima ſervorum præſidia recepit, atque ibi ſupra viginti ſervorum millia interfecta ſunt. Tandem M. Perpenna Imperator apud Ennam eos profligatos in urbem incluſit, & adeo dura, ac longa obſidione preſſit, ut cum ne ab humanis quidem carnibus vorandis abſtinuiſſent, fame demum plurimi conſumpti ſint. Quos autem vivos cepit, compedibus religatos ad cruces adegit. Fuit Perpennna de hac victoria ovatione contentus, ne triumphi dignitatem ſervili inſcriptione fœdaret. (6)

Urbes occupatas Rom. Conſul expugnat.

Bellũ ſervile conficit.

Vix ſervilis hic motus ita finem habuit, cum aliud non minùs

 atrox

Alind ſervile Bellũ duce Athenione.

atrox agreſtium in Sicilia ſubortum eſt bellum. Erat etenim ibi Athenius paſtor Drepani ortus, ſive, ut alii ſcribunt, incola, genere verò Cilix, vir ad omne facinus promptus. Is cum variis de cauſis dominum interfeciſſet, excitato tumultu, capita factionum, quæ affatim eo tempore totà inſulà, veluti in cæteris Græcorum oppidis flagrabant, ſibi confœderavit, quorum ductu famulos ex ergaſtulis ad libertatem invitatos; vagos præterea multos, quos ad ſeditionem paratos reperit, ſub ſignis ordinat. Deinde Regis ſibi vendicat nomen, veſtem purpuream, & argenteum baculum, Regiumque diadema ſibi aſſumit, atque non minorem, quàm ante Eunus conflat exercitum, acriùſque multò, tanquam illius vindex, vicis, caſtellis, & oppidis direptis in dominos, ac ſervos etiam, qui eum ſequi noluerant, inſeſtiùs, quàm in transfugas ſæviebat. Ad hæc Prætoris ab eo exercitus cæſi ſunt, capta Servilii caſtra, capta & Luculli. (7) Sed Aquilius Perpennæ uſus exemplo, intercluſos agreſtes commeatibus ad extrema compulit, communitaſque armis eorum copias fame facilè delevit. Nam cum incluſi, omni fugæ via erepta, ſuppliciorum metu deditionem facere noluiſſent, ne famis neceſſitate in manus Romanorum pervenirent, propriis ſibi manibus exitium conſcivere. Athenius verò eorum Dux captus à Romanis inter rixantium manus diſcerptus eſt, atque ita utrumque ſervorum bellum finem habuit.

Quod Aquilius Conſ. tandẽ confecit.

Anno deinde ab Urbe condita 662. dum Romæ primum civile bellum inter Marium, & Syllam inceptum, poſtmodum per factiones diffuſum eſſet, Perpenna, qui Marii partes ſectabatur, Siciliam occùpavit, eamque in Marii fidem armis, & militibus contra Syllanam factionem munivit. Carbo præterea triplici Conſulatu vir inſignis, ingenti cum claſſe illuc identidem cum pleriſque fugitivis, præclariſque viris, qui Syllanam proſcriptionem prævenerant, profectus eſt. Ad hos igitur motus in Sicilia comprimendos cum magno belli apparatu C. Pompejus miſſus eſt. Perpenna ubi Pompeji adventum reſcivit, quamprimum Sicilià ceſſit. Pompejus verò civitates afflictas ad ſe recepit; eiſque omnibus pepercit. (8) Cumque in Meſſanenſes, velut hoſtium hoſpites, ſævire decreviſſet, atque illi jure dicendi, a Senatu eis conceſſo propoſito, audiri velle poſtulaſſent: *Non deſinitis* (inquit Pompejus) *inſtituta recenſere ſuccincti gladiis?* Carbonem Marii præfectum ibi cum cepiſſet, vinctum in medium forum palàm produxit, eumque coram ſtantem ipſe Tribunitio ſubſellio ſublimis damnavit, deinde procul abductum interfici juſſit.

Mariani Siciliã occupant.

Põpejus in Sicilia Marii aſſeclas perdit.

Q. quoque Valerium virum Philoſophum, imprimiſque eruditum coram ſe adductum, dictà cauſà, mox ibidem ſatellitibus ad capitis mulctam tradidit. Quoſdam præterea alios in Sicilia Syllanæ factionis hoſtes, viros glorià & nobilitate claros comprehendit, infeſtoſque capitis ſupplicio affecit. Plures, quos licuit, latere paſſus, omiſit. Nonnullos etiam non ſine præſidio ſuo abire voluit. Thermas Himeram urbem, quæ cum Mario ſenſerat, cum punire ſtatuiſſet, Sthenius ejus civitatis vir Princeps in judicium pro civibus progreſſus noluit, ut, noxio dimiſſo, innocuos Pompejus plecteret; rogatuſque quos noxæ accuſaret: Ego (inquit Sthenius) is ſum, qui facinus commiſi, Himereoſque omnes ad ſequendas Marii partes coegi. De me ſupplicium ſumito. Porro Pompejus inſignem viri fortitudinem admiratus, ei ſimul, & Himerenſibus veniam præbuit. His

Sthenius Himerẽſis Patriã ſervat.

per-

peractis, cum ſuos milites inſolenter per Siciliam excurrere cognoviſſet, gladium eis obſignatum tradidit, quem qui illæſum conſervarunt, præmiis eſt proſecutus, facinoroſos verò pœnis attrivit.

Verres Siciliæ Præfectus.

Poſt hæc cum Pompejus provinciâ ceſſiſſet, Numium Siciliæ præfecit, (9) & non ita multò poſt, anno circiter ab Urbe condita 679. Sicilia immani C. Verris Prætura, ejuſque furtis vexata fuit. Nam C. Verres cum in Sicilia C. Sacerdoti Prætor ſucceſſiſſet, & poſt eum provincia diu Arrium Prætorem fruſtra expectaret, Verris Pretura in triennium protracta eſt. Quo tempore Siciliæ urbes ab eo libidine, avaritiâ, & crudelitate fœdatæ ſunt, ut latiſſimè Cicero in Verrinis. Succedente deinde Prætore Metello, Verres repetundarum reus a Siculis omnibus, præter Syracuſanos, & Meſſanenſes poſtulatus eſt, patrocinante Cicerone, qui in Sicilia Quæſtor Lilybætanus; Prætore Sexto Peduceo, fuerat, (10) & multa in ea oratione, quam diſcedens Lilybœi habuerat, benignè Siculis omnibus afflictis promiſerat. Romani enim binos Quæſtores in Siciliam quotannis Prætoribus ſingulis mittebant Lilybætanum, & Syracuſanum. Verri autem Metelli tres, Scipionum familia, & permulti alii præſtantes viri, & præcipuè Hortenſius nobilitate, & eloquentiâ inſignis acerrimè ſuffragabantur. Tandem perurgente Cicerone & teſtes diverſorum criminum, & plures publicas, privataſque Siculorum literas contra Reum producente, ſtupefactus Hortenſius defenſionis rationem omiſit, & perculſus Verres ſponte in exilium abiit. (11)

A Siculis accuſatur ſub Ciceronis auſpicio.

Subinde anno ab eadem Urbe condita 681. P. Cornelio Sura Conſule, cum Metellus inſulæ Prætor creatus, fœdiſſimè Siciliam a Pergamenone Archipyrata nefariis prædis, & cædibus eam dilacerante, atque, pulſa Romana claſſe, Syracuſanum portum obtinente, inveniſſet, afflictum repente cum navali, terreſtrique prælio, ac comminutum, Siciliâ eum decedere compulit. (12) Annopoſtmodum ab Urbe condita fermè 710. poſt mortem Julii Cæſaris, ejuſque percuſſorum Bruti, & Caſſii, in Sicilia bellum ſucceſſit, quod Romani Scriptores Siculum appellant. Enimvero cum Rempublicam diviſo imperio Romano Octavius Cæſar, M. Antonius, & Lepidus ita inter ſe diſtraxiſſent, ut Cæſar Hiſpanias, Gallias, Italiamque; Antonius Aſiam, Pontum, & Orientem; Lepidus Africam teneret; Sextus Pompejus inter Cn. Pompeji filios ætate minimus, cum in proſcriptorum numerum ſe relatum conſpiceret, ex Epiro proſcriptis, fugitivis, & iis, qui ſuperfuerant ex factione Bruti, & Caſſii ad eum concurrentibus, ingentem, & formidabilem coegit exercitum, cum quo Sardiniam præripiens, Siciliam occupavit; ubi Meſſanam primùm, mox reliquas civitates adortus, poſtremò & Syracuſas ipſas vaſtavit; unde converſus ad latrocinia omnem oram Italiæ ſuperi, inferique maris cædibus, & rapinis ita affecit, ut commeatibus impeditis, Romam fame crudeliſſima afflixerit.

Bellū Siculū ſub Auguſto.

Sext. Pompejus Siciliā invadit.

Cui tandem ab Octavio, & Antonio obviam itum eſt, inter quos cum eo pax hac lege convenit, ut Siciliam Sext. Pompejus haberet. Quam adeptus, cum fœderis conditiones, quas acceperat, non præſtaret, ſed fugitivis in Sicilia receptis, rurſus mare prædationibus infeſtum reddidiſſet, Octavius neceſſario bello contra eum ſuſcepto, Statilium Taurum cum Mena Sexti Pompeji liberto, qui ad ipſum Octavium nuper cum ſeptuaginta navium claſſe defecerat, miſit, ut Menecratem Pompejanæ claſſis præfectum, omnia in mari Si-

Contra quem Ceſar Auguſt. movit.

Cōtra quē Octav. Auguſt. claſsē mittit.

Siculo infeſta facientem, tantiſper comprimeret, dum ipſe cætera belli uſui neceſſaria in urbe pararet; moxque cum maxima & ipſe claſſe in Siciliam trajiceret. Ita præmiſſus Taurus paruit quidem fideliter cum Mena Liberto Octavii imperio. Sed niſi Octavius in tempore affuiſſet, durum ipſis, populoque Romano exitium ceſſiſſet. Nam cum Sext. Pompejus claſſem eorum adortus, magna ex parte oppreſſiſſet, ſtatim cum numeroſiſſimo apparatu ſuperveniens Octavius in Pompejum irruit. Commiſſo igitur atrociſſimo, ac cruentiſſimo navali prælio non longè a freto Siculo, licèt initio utrinque acerrimè, & dubio Marte pugnatum eſſet, victoria tandem penes Octavium fuit. Qui victum Sext. Pompejum ad urbem Meſſanam fœdè fugavit.

Navali prælio varia fortuna pugnat.

Ille porro a Meſſanenſibus, & cæteris propinquis civitatibus impetratis auxiliis, inſtaurata claſſe, Octavium, qui Tauromenium victor trajecerat, aggredi audet; commiſſaque rurſus navali pugna, adeo eum afflixit, ut ad Italiam victus aufugeret. Ubi cum ampliorem ſine mora claſſem, nec priore minorem recollegiſſet exercitum, rediit in Siciliam, atque inde M. Agrippam in Pompejum, ejuſque naves emiſit. Dubio certamine inter Mylas, & Liparam aliquandiu utrinque dimicatum eſt. Sed ad extremum Sext. Pompejus victus cum paucis fugit, extincto prætoriæ navis lumine, annuliſque in mare dejectis, veritus, ne per ea ſigna hoſtis inſequeretur, cum paucis clam in Aſiam profugit. Ubi in fidem M. Antonii receptus, cum violato fœdere bellum contra eum moliretur; a Titio, & Phormo Antonianis Ducibus iterum victus, captuſque eſt, ac poſt paululum Myleti a Titio occiſus. (13)

Ab Antonianis occiſus.

Sub idem tempus Lepidus reverſus ex Africa auxilium Octavio contra Pompejum laturus, in Siciliam venit. Qui Pompeji clade cognita, cum viginti haberet legiones, factus inſolentior, Octavio invito, occupare ſibi Siciliam pergit. Meſſanam itaque opulentam tunc urbem invadit, eamque militibus in prædam concedit; in qua lucrum mirabile deprehenderunt. Quo Octavius intellecto, Meſſanam confeſtim petit, ut amicè Lepidum increparet, afflictæque civitati conſuleret. Sed ille venientem ad ſe Octavium ſemel, atque iterum contempſit, teliſque appeti juſſit. Quæ Octavius collecta in lævum brachium lacerna, repellendo vitavit; mox ad ſuos, qui in agro Tauromenitano caſtra habebant, regreſſus, inſtructo exercitu adverſus Lepidum, Meſſanam rediit, & pugnâ commiſſâ, pleraſque hoſtis legiones (paucis interfectis) ad ſe deficere compulit. Quocirca Lepidus tandem depoſito paludamento, aſſumptâque atrata, ſupplex Octavio factus, vitâ, & bonis impetratis, perpetui exilii mulctam ſubiit. Atque ita Octavius miſſo Tauro, totam Siciliam armis variè afflictam, ac penè conſternatam in fidem recepit.

Lepidus ſibi Siciliā occupat.

Victo Lepido, Octavius Rēp. mutat.

Quatuor & quinquaginta tunc militum legiones ei in Sicilia erant. Quarum aliquot in præſidium provinciæ relictis, ipſe cum ceteris Romam deductus, ovans urbem ingreſſus eſt. Cui ob meritum Senatus decrevit, ut Tribunitia poteſtate in perpetuum frueretur; Cumque poſtea Octavius mutatâ Reipublicæ fortunâ, totius orbis ſuſcepto Imperio, Auguſtus eſſet cognominatus, Centoripem, & Catanam, quæ ad Sext. Pompeji deſtructionem plurimùm contulerant, ſolicitè refecit. Miſsâ deinde Romanâ coloniâ, Syracuſas a Pompejo vaſtatas reſtituit, non omnem, ſed eam dumtaxat partem,

Colonias in Siciliā deducit.

Digitized by Google

tem, quæ Inſula nominatur, quæque hodie ſola colitur. Nam reliquas urbis partes reſtaurare, ſicut præ ſui magnitudine non oportuit, ita quoque & maximè arduum fuiſſet.

Cæterùm dum externa pace ſub Auguſto Sicilia fruitur, Seleurus Siculus, qui ſe Ætnæ filium prædicabat, quamplurimis ex montis accolis in ſeditionis partem accitis, juſtum prope exercitum inſtruxit, quo cum tota Sicilia, ſed diutiùs circa Catanam, & montem Ætnam prædator diſcurſaſſet, vicos, oppida, ac urbes etiam vaſtans; Prætor magno comparato exercitu contra eum movit, quem tandem prælio victum cœpit, atque Romam miſit; ubi in gladiatorum foro publico certamine beſtiarum morſibus laniatus eſt. (14) Poſt quem ſæpenumero Sicilia a bubulcis, & agreſtibus his viris in unum conſociatis hujuſmodi maxima rerum diſcrimina ætate etiam noſtra eſt paſſa.

Seleurus prædo Siciliá vexat.

1 CUR Catanam Romanas inter Colonias non enumeraverit, qualem Strabo lib. 6. & Plinius lib. 3. appellant, equidem non video; Eodem fuiſſe honore donatas lego Thermas Selinuntinas, Heracleam, Thermas Himerenſes, & Tyndaridem; ſed primæ duæ Rupilium Conſulem habuere deductorem, reliquæ Auguſtum.

2 Et quidem ſublata olim in Himeræ excidio Thermitanis ſunt reddita; Hi namque Himerenſibus excifis, collectas urbis reliquias apud Thermas collocaverant. Fuerunt autem Himeræ ſtatua muliebri veſte, ac habitu: Steſichori Poetæ ſenile ſimulacrum cum baculo, & libro; Capella quædam ſcitè elaborata, ac venuſta. Æneum illum, nobilemque Phalaridis taurum Agrigentini acceperunt; quo ſanè tempore illorum legatis Scipio dixiſſe fertur: Æquum eſſe illos cogitare, utrum eſſet Siculis utilius ſuiſne ſervire, an populo Romano obtemperare; quum idem monumentum, & domeſticæ crudelitatis, & manſuetudinis Romanæ ſint habituri. Apollinis quoque pulcherrimum ſignum ciſdem reſtitutum; cujus in femine literis minutis argenteis Mironis nomen videbatur inſcriptum. Jam Tyndaritani Mercurii ſimulacrum, Gelenſes urbis ſuæ monimenta, Segeſtani Dianæ æneam ſtatuam ſibi revendicarunt. Erat hæc ſingulari, ac mirabili penè artificio facta, multaque religione apud illos populos culta, baſi excelſæ impoſita, habitu virginali ſagittis ex humero pendentibus, arcum lævâ præferens, dexterâ facem. Dona demum miſit Scipio ad celeberrimum Matris Deæ templum apud Engiates, loricas, galeaſque æneas, nec non celatas opere Corinthio, hydriaſque prægrandes. Hæc ad Verris uſque præturam omnia perdurabant, hujus tamen malitiâ nonnulla perierr.

3 Videtur hic Fazellus primum ſervile bellum cum ſecundo confundere, quo ſervi, Salvio quodam duce, rurſus rebellarunt, uti inferiùs dicemus.

4 Demophili crudeliſſimi in ſervos hominis Enna patria fuit, unde ſervilis belli initia. Sed hæc adeo Fazello, & aliis, antequam Diodori Eclogæ lucem vidiſſent, obſcura fuere, ut operæ pretium dubio procul me facturum putaverim, ſi ad hujus capitis calcem quæ apud Diodorum leguntur, ſingillatim expendam; ſuppleri enim per partem neutiquam poſſent.

5 Mamertium oppidum quale? memorat & illud Maurolycus; at ubi ſteterit non indicat. Altum de eo ſilentium apud Cluverium.

Decreti cujuſdam Meſſanenſium fidem conteſtantis verba laudatus recitat Maurolycus, cujus exemplar inter antiquiſſima urbis ſuæ monumenta adhuc ſervari ait. En illud: S. P. Q. R. *Scr. Flacco Pub. Calphurnio Piſone Conſulibus Urbem Meſſanam A Provinciæ, Coloniæ, Tributi cujuſlibet, Vectigalis Fixi, Mobiliſque Pondere Per Omnia Sæcula Liberavit. Qua Dum Sici-*

Sicillam Grave Formidabileque Bellum, Servorum Multitudine Conſpirantium, Inſtructu Copiarum, Potentiaque Magnitudine Subjugaſſet; Quod Priùs Romanos Prætores Diſperſerat, Conſules Quoque Terruerat, Servos Meſſanæ Sagaciter Habitos, Pace Maturè Frænatos Q. Publio Calphurnio Conſuli Reſignando, Luem Siculis, Reip. Stimulos, Et A Se Futurum Compar Abſtulit Nocumentum. Utque Se Vili Servitute Surripuit, Pretioſa Libertate Gauderet. Ex Hoc Enim Præſens Chirographum Faſtis Romanis Adjunctum Laudem Civitatis Oſtentans Decrevit Adſcribi; Ut Gratiam Meritis Romana Circumſcriptio Æquaret. Approbatum eſt Hoc Patrum Decretum Ab Octavio Tribuno Plebis Anno Poſt Urbem Conditam DCXX. *Remp. Bello Servili Turbante.* Decreto huiuſmodi complura obtendunt Critici, quæ non vacet expendere.

6 Ita quidem Florus. Verùm, notat Minellus, alicubi in Flori exemplaribus legi P. Rupilio Imperatore in Sicilia contra Servos fuiſſe debellatum. *Hic enim*, ait, *cum fugitivis debellavit. & bello confecto, Provinciam ordinavit.* Proceſſerat Rupilius U.C. anno 621, Conſul cum P. Popilio Lænate, multiſque cladibus Servos affecerat, quum autem elapſo anno magiſtratu abiiſſet, ut belli reliquias conficeret, prorogato imperio, Provinciam Proconſulari dignitate obtinuit, quam deletis fugitivis omnibus, perpacatam ordinavit, legibus de ſententia decem legatorum datis, quæ *Rupiliæ* ab authore vocatæ diu deinceps in uſu, & honore apud Siculos fuere. Præcipuè porro de Judiciis cavebatur: *ut qui ejuſdem civitatis eſſent Siculi, domi certarent ſuis legibus, qui diverſarum inter eos Prætor Romanus judicaret.* Admirationi, ſubdit Freinshemius Supplem: ad Livium, res & haud immeritò Siculis fuit, quod quum aliquando publicanis opera dando tueri ſe viderant, eumdem nunc ſibi leges, inſulæ pacem, fugitivis, & prædonibus ſupplicia reddentem viderent. Conſtitutis in Sicilia rebus, exercituque deportato, quanquam res triumpho digniſſimas geſſerat, ovatione contentus fuit.

Leges de ſententia decem Legatorum a Rupilio latas innui: auditis enim Romæ, quæ proſperè a Rupilio geſta fuerant, delecti ex collegio Decem virorum in Siciliam venerunt, Sacriſque Ennenſi Cereri factis, cujus antiquiſſimum ſimulacrum ne ſugitivi quidem, & Barbari violaverant; univerſam deinde inſulam obierunt, ut aras Ætneo Jovi dicatas, poſtquam ad eas ſacrificaſſent, circumdatis maceriis clauderent, interdicto aditu, niſi quibus ad eas aras publica, ac ſolemnia ſacra eſſent. Fuerat quoque paulò ante alia in Siciliam decreta legatio; ob tumultum enim Gracchanum inſpectis Sibyllinis carminibus *vetuſtiſſimam Cererem placandam eſſe* decem viri retulerant. Igitur quamquam in urbe templum ejus Deæ magnificentiſſimum eſſet; *Ennam mittendum* cenſuerunt Patres, *ubi & nata eſſe, & fruges primùm reperiſſe* credebatur. Sed hactenus eò per fugitivorum arma penetrari nequiverat; tum ut poſſet, victoria P. Rupilii Conſulis erat effectum.

Quinquennio poſt M. Æmilio Lepido, & L. Aurelio Oreſte Conſulibus: Ætna mons vaſto tremore concuſſus igneis exundavit globis. Julio Obſequente in Prodig. & Oroſio teſtibus. Nec diu Cn. Domitio Ahenobarbo, & C. Fannio Strabone Coſſ. mons idem ultra ſolitum exarſit, ex eodem Oroſio, & torrentibus igneis ſuperfuſis, latèque circumfluentibus, Catanam urbem, fineſque ejus oppreſſit, ita ut tecta ædium calidis cineribus adusta, & prægravata corruerent; cujus rei gratià Senatus decem annorum vectigalia Catanenſibus remiſit. Livii autem Continuator Freinshemius in ſequentem annum L. Optimio, & Q. Maximo Coſſ. hæc reicit: *Idem annus*, inquiens, *ſicuti Romam urbem diſcordiâ, Gracchianâ ſcilicet, ita Siciliæ partem incendiis, & ruinis laceravit; auditaque Catanenſium legatio eſt; Sibi Ætnæ montis viciniam ſæpe & antea gravem, tum propemodum exitioſam fuiſſe, ... Senatus le-*

va-

Digitized by Google

vamen malorum tributorum, atque vectigalium omnium in annos decem dedit. Qualem porro Catanenſis agri partem id incendium vaſtaverit: alibi in Hiſt. Catan. dixi lib. 2. cap. 4.

7 Secundum Servile bellum ex Diodoro deſcriptum inferiùs lege; hoc enim Diodori fragmentum Fazellus non vidit. Servili bello ſecundo confecto, L. Sempronius Aſellio Siciliam adminiſtravit, quam ſuperiorum temporum calamitatibus, & magiſtratuum quoque avaritia vexatam abſtinentiâ ſuâ, & æquitate recreavit. Conſiliis enim C. Longi, ac Publii Romanorum equitum uſus, præclara multa inſtituit, ſeque privatis, publicisque maleficiis coercendis aſſiduum vindicem, paciſque vigilantiſſimum cuſtodem exhibuit. Ad hæc Servos, ne iterum res novandi occaſionem ſumerent, cum telo eſſe vetuit. *Hæc inſtituta*, concludit Freinſhemius, *quum toto imperii ſui tempore retinuiſſet, ita deceſſit ex Sicilia, ut quam intraverat miſerrimè adfectam inſulam, eam tantùm non ad priſtinæ felicitatis exemplum, beatam, florentemque relinqueret.*

8 Freinshemius lib. 89. *Adventu Pompeji Perpenna ſtatim Siciliâ ceſſit, civitateſque authoritate adoleſcentis, & partim conſilio receptæ ſunt; inter quas Catana quum ſuſpecta Pompejo eſſet, & præſidium recuſatura videretur, a fortiſſimis omnium militibus occupata eſt, quos Pompejus, impetrato, ut agri ſui reciperentur, ſub eo habitu in oppidum miſerat.* Et paulò poſt: *Quia bellum jam nullum in Sicilia ſupererat, verſus Pompejus ad res inſulæ componendas, juſque dicendum, valde recreavit Provinciam, ſolers idem & incorruptus publicorum, privatorumque negotiorum cognitor. Quæ res eò gratior Siculis fuit, quod multis jam annis ejus dictum in ea inſula non meminerant. Mamertinis tamen tribunal ejus præſcriptione juris vetuſti declinantibus paulò acerbiorem ſe exhibuit, gravi etiam voce edita: Quouſque leges accinctis recitabitis.*

9 Cicereronis Quæſtura in hæc tempora incidit, de qua Plutarchus ita ſcribit: *Quæſtor creatus, & ſortitus provinciam Siciliam, quum in difficultate annonæ, atque inopiâ rei frumentariæ, magnus frumenti numerus Romam eſſet mittendus, Siculos initio offendit, poſt ubi diligentiam, juſtitiam, & comitatem ejus experti ſunt, majores illi honores, quàm ulli unquam Prætori tribuerunt.* Subdit inde: Quum multi adoleſcentes Romani claris parentibus, atque honeſto loco nati apud Siciliæ Prætorem accuſati intemperantiæ, & neglectæ diſciplinæ militaris fuiſſent, eos Cicero magna commendatione defendit, & conſervavit. Annuo munere expleto, provinciâ deceſſit, cujus oram maritimam non diu M. Antonius Triumviri pater depopulatus eſt.

10 Oppoſita Verri a M. Tullio Cicerone crimina Maurolycus ſæpiùs laudatus lib. 2. per compendium enumerat, ex quo per ſumma etiam capita hic ego enarrare ſuſcipiam. Exprobat igitur illi eximius Orator ſocios R. P. expilatos, Judicia ſubverſa, Cives Romanos ſerviliter habitos, necatoſque; Viros nocentiſſimos pecuniâ abſolutos, integerrimos verò reos factos, piratas, prædoneſque ſuſceptos; Urbes monimentis, Delubra ſtatuis ſpoliata, ſtupra, adulteria, nefariaſque libidines perpetratas; Complures quoque hæreditate exutos, Decreta ac ſententias venditas, ubique aurum, argentum, æs, ac gemmas per vim diſtractas, Tabulas & ſimulacra M. Marcelli Syracuſis ſublata, Verreâque ſubſtituta; Officinas ibidem apertas, ubi convocatis cælatoribus, & vaſcularis, octimeſtri labore, vaſa, pocula, ſcyphoſque ex omni metallo per vim detracto conflandos juſſit. Catanæ, Ennæ, Segeſtæ; Engii, Himeræ, Gelæ, Aſſori, Syracuſis, Meſſanæ fana & ſacraria violata, ſublatiſque inde ſignis, alios furti reos factos; Leges de vendendis Decumis ab Hierone latas, conſuetudines item urbium fœderatarum, vel ſine fœdere immunium abrogatas, ſubſterſas; Aratores exhauſtos, vectigalia ex variis inſulæ portibus ſuffurata; Antiochum denique, (longiſſimum enim eſ-

ſet

ſet ſingula expendere) Syriæ Regem puerum e Roma in Patriam navigantem convivio Syracuſis exceptum, aurea vaſa, ac vinaria itidem vaſa ex una gemma excavata, nec non candelabra pretioſiſſima, operaque mirabili elaborata privatum. Ex quibus, perpaucis quidem, & curſim relatis, cætera facilè poſſunt deprehendi.

11 Q. Cæcilium Nigrum domo Siculum Ciceroni Hortentius oppoſuerat, quem Plutarchus hominem libertinum, & Judaicæ religioni obnoxium dicit. Contendebat itaque Cæcilius ſe potiùs accuſatorem conſtitui oportere his de cauſis, quod a Verre læſus jure illi inimicus eſſet; quod quum Queſtor ejus fuiſſet, crimina ſciret, demum quòd Siculus pro Siculis ageret.

12 Conſulibus L. Æmilio Paulo, & C. Claudio Marcello quum Senatus Conſultum factum eſſet, ut Cæſari in Gallias agenti ſucceſſor mitteretur, Tribuni Plebis decreto huic intercedere modis omnibus adnixi, ut Cæſari morem gererent, urbe exceſſere. Inde ſimultates, quæ diu inter Pompejum, & Cæſarem gerebantur, in apertum civile bellum eruperunt. Cæſar in Italiam jacta ad Rubiconem alea, deſcendit; M. Cato, qui Pompejanas ſequebatur partes, in Siciliam cum copiis trajecit, Inſulam contra Cæſaris conatus latè per Italiam debaccantis, in officio cohibiturus. At ille Corfinio recepto Domitianas cohortes a C. Domitio Ahenobarbo conflatas ad ſe deficientes in Siciliam tranſmittendas curat. Mox Brunduſium veniens Legatis de Pace ad Pompejum miſſis, quum omnia fruſtra tentari advertit, in id intendit, ut aut Pompejum quam primùm trajicere cogat, aut exitu Italiæ prohibeat. Hic autem jam ab initio conſilium Italiæ relinquendæ cœperat; Clam igitur eductis navibus, Dyrrachium cum aliquot e ſuis contendit, æmuloque Urbis imperium, ac liberum Italiæ dominium dimiſit.

Pulſo, fugatoque Pompejo, maluit Cæſar provincias coordinare, quàm illum ſequi. Siciliam ergo, & Sardiniam annonæ pignora per Legatos habuit. Præerat inſulæ huic S. P. Q. R. nomine, uti vidimus, Cato, ac Syracuſis morabatur, qui, quum audiſſet Aſinium Pollionem multis cum militibus Meſſanam advenifſe, ſimulque Pompeji fugam ex Italia: Res divinas magnam habere obſcuritatem conqueſtus eſt. Quamquam autem Aſinium ex inſula deturbare poſſet; tamen ne belli cladibus illam involveret, abeundi conſilium ſumpſit, monitiſque priùs Syracuſanis, ut de ſalute ſuæ civitatis providerent, Dyrrachium ad Pompejum navigavit. Hæc Plutarchus in Vita Catonis. Appianus lib. 2. de Bello civ. eadem quoque habet: *Q. Valerius cum aliis miſſus occupavit Sardiniam frumenti feraciſſimam, Aſinius Pollio Siciliam petiit, cui Cato præerat. Percunctanti illi: utrum Senatus, aut Populi decretum afferens alienam Provinciam invadat, hoc tantùm reſpondit: Qui nunc Italiam tenet, hæc me miſit. Ad hæc Cato retulit, ſe ut provincialibus parcat, dilaturum vindictam in alium locum. Quo dicto, navigavit Corcyram, ut ſe Pompejo adjungeret.* De Aſinio Pollione, qui de hoc civili bello commentarium ſcripſit, nulla apud Cæſarem mentio, ubi Curioni Proprætori cum tribus legionibus in Siciliam miſſo, Inſulam ceſſiſſe ſcribitur. Pollio poſt bellum cum Pompejanis, & Juba Numidiæ Rege in Africa infeliciter geſtum, in Siciliam trajecit, quò etiam ſequenti anno Cæſar appulit. Redux enim e Pherſalino, & Alexandrino prælio, rebus in Urbe compoſitis, ad ſedandas in Africa turbas victorem exercitum e Rhegio Meſſanam traduxit, ſubindeque Lilybœum oppoſitam Africæ, urbem contendit; in qua forte profectione Siculos ſibi devotos variis privilegiis, ac Latinitate præ cæteris donavit, uti ex Tullio ad Atticum retulit Fazellus. Sub id tempora A. Allienus Siciliæ Prætorem agebat, qui & Proconſulari quoque dignitate eamdem non diu poſt obtinuit provinciam, claſſiſque Præfectus fuit;

quo

quo nomine nummum cum Siciliæ ſymbolo cuſſit, uti Orſinius in Famil. f. 13. Paucis antequam Cæſar occumberet, Ætna mons horribile eructavit incendium, uti in Virg. Georg. lib. 1. Servius ex Livio tradit: *Tanta flamma, inquiens, ante Cæſaris mortem ex Ætna defluxit, ut non tantùm vicinæ urbes, ſed etiam Rhegina civitas afflarentur.*

13 Quum Siculum hoc bellum Scriptores, vel ipſo Fazello teſte, appellent, mirum quòd adeo breviter huc illud deſcriptum legamus. Ideo ex Dione, & Appiano fuſiùs enarratum obſerva.

14 *In ſublimi namque ait Strabo lib. 6. ad id compacto poſitus ædificio, perinde ac in Ætna, quum de repente diſſolutum unà concidiſſet, in inſolubiles belluarum caveas ad hoc ipſum præparatas præcipitatus eſt.*

§I. *DE PRIMO SERVILI BELLO*

EX DIODORI LIB. XXXIV.

CUM poſt everſas Carthaginenſium opes, Siculorum res ad LX. annos, per omnia proſperos habuiſſent ſucceſſus, ſervile tandem bellum apud eos hac de cauſa excitatum fuit. Poſtquam facultatibus magnopere amplificatis, ingentes ſibi divitias comparaverant, magnam ſervorum multitudinem coemebant; quibus e locis ubi paſcebantur gregatim productis, certæ per inuſtionem corporum notæ imprimebantur. Utebantur autem illis, ſi juniores eſſent, ad rem paſtoritiam; aliis prout cujuſque uſus exigebat; ſed duros, & rigidos in miniſteriis ſe illis exhibebant, & tum quo ad victum, tum quo ad veſtitum, minimâ illos curâ dignabantur; quorum major pars latrocinando vitæ neceſſaria acquirebat, plenaque cædibus erant omnia, non ſecus ac ſi prædonum exercitus hic illic eſſent diſperſi. Regionum quidem præfecti illis obſiſtere conabantur; ſed quia pœnas infligere non audebant propter opes, & auctoritatem dominorum, qui imperium in ſervos habebant, ad deprædationem ſuæ quiſque provinciæ convivere cogebatur; quòd enim ex dominis plerique Romani equites eſſent, ac judices fierent criminum, quæ provinciarum præfectis inferebantur, terrori erant præfectis. Cum itaque ærumnis ſervi premerentur, & verberibus identidem præter rationem contumelioſè afficerentur, non ferendum amplius judicarunt. Quare inter ſe, ubi opportunum eſſet, congreſſi, de excutiendo ſervitutis jugo ſermones conſerebant, donec re ipſa conſilium tandem executi ſunt.

Servilis belli initia.

Servi peſſimè habebantur.

Syrus quidam erat, ſervus Antigenis Ennæi, in urbe Apamea natus, homo arti magicæ, & ciendis præſtigiis addictus; hic inſtinctu, juſſiſque deorum in ſomnis futura ſe prædicere fingebat, multiſque per id genus ſolertiam imponebat; hinc ulteriùs progreſſus, non ex ſomniis tantùm oracula promebat, ſed & vigilantem ſe deos videre, ac futura ex illis audire, ſimulabat; licèt autem multa ſic nugaretur, caſu tamen quædam vera eſſe eventus docuit; cumque quæ non fiebant a nemine redarguerentur, ſed quæ fiebant applauſum mererentur, opinio de illo ſubinde magis creſcebat. Ad extremum artificio quodam ignem cum furore lymphatico flammantem ex ore mittebat, atque ita de rebus futuris, ceu Phœbi numine afflatus, vaticinabatur; in nucem enim, aut tale quippiam utrinque perforatum, ignem, quæque alere eum poſſet materiam, impo-

Eunus Antigenis ſervus.

Ejus vaticinia, & artes.

nebat. Hic ante defectionem jactabat, Syriam apparuiſſe deam, & regnaturum prædixiſſe; & hoc non aliis tantùm, ſed ipſi etiam domino crebrò dictitabat; cumque in riſum ea res verteretur, Antigenes ex prodigioſis hiſce nugis voluptatem hauriens, Eunum, (nam hoc nomen erat præſtigiatori) ad convivia ſecum ducebat, & quæſtiunculis de regno motis, quomodo unumquemque illorum, qui tum aderant, tractaturus eſſet, interrogabat. Ille non vacillante ſermone cuncta exponens, & quòd clementem ſe dominis exhibiturus eſſet, reſpondens, variis denique verborum monſtris ludens, riſum convivis omnibus excitabat. Et nonnulli ex ipſis portionibus non exiguis a menſa ablatis eum munerabantur, cum hoc verborum additamento, ut ad regnum evectus beneficii memor eſſet; at enimverò prodigioſa hæc nugacitas ad verum tandem regiæ poteſtatis exitum perducta eſt; & his, qui ridicula in conviviis benignitate hominem exceperant, ſeriam beneficii compenſationem præſtitit.

Quibus domini oblectabantur.

Principium verò totius defectionis hujuſmodi fuit. Damophilus quidam erat Ennenſis, vir magno ob facultates magnas animo, ſed ingenio ſuperbo, is modis tam indignis ſervos accipiebat ut nil ſuprà. Uxor verò ejus Megallis cum marito ſuppliciis afferendis, & omni inhumanitate ſervis declaranda certabat, quibus effectum, ut efferati, qui ſævitiam illam experiebantur, in defectionem, & cædem dominorum conſpirarent. Eunum igitur adeunt, & num, quod conſiliis jam agitent ſuis, dii permittant, ſciſcitantur. Is in partes illorum concedens, quòd permittant, ſolitis verborum præſtigiis reſpondet, & ut prima quaque occaſione rei exequendæ incumbant, perſuadet. Extemplò igitur cccc. ſervorum manum cogunt, & prout tempus ſuppetebat, armati in urbem Ennam irrumpunt, Euno ducente, & præſtigiosè expirante flammas. Tum ingreſſi domos cædem maximam peragunt, ita ut nec pueris lactentibus adhuc parcerent; ſed ab ubere matris raptos terræ adfligerent; in matronas verò, & quidem maritis ſpectantibus, quantum contumeliæ, & obſcœnæ libidinis exercuerint, verbis explicari nequit. Cùm ingens ſervorum in urbe multitudo ſe illis adjunxiſſet, qui cùm priùs extremæ crudelitatis exempla in dominos edidiſſent, poſtea ad aliorum ſe cædem converterunt. Interea Eunus Damophilum cum uxore in vicinis urbi hortis commorari audierat; ex ſuis igitur quoſdam miſit, qui & ipſum, & uxorem, vinctis poſt terga manibus, & multis in via contumeliis affectos, retraherent; ſoli autem filiæ ſe in omnibus parcere, propter morum humanitatem, & commiſerationem erga ſervos, auxiliandique propenſam voluntatem, declararunt. (1) Quod evidens argumentum fuit, quòd quæ fiebant, non a crudelitate naturæ proficiſcerentur, ſed illatas eis injurias ulciſcerentur. Damophilum autem & Megallidem emiſſi ad hoc in urbem pertractos in theatrum deduxerunt, ubi tota defectorum multitudo confluxerat. Cùmque Damophilus ſolerti commento ſalutem tueri conaretur, multoſque oratione ſua inflecteret, Hermias & Zeuxis acerbis hominem odiis proſequentes planum vocitabant, nec expectantes, dum certam de illo populus ſententiam tuliſſet, alter gladium per latera ejus exigit, alter ſecuri cervicem abſcindit.

Damophilus in ſervos crudeliſſimus.

Servi in Ennà irruunt.

Eorũ in dominos ſævitia.

Damophili, ejuſque uxoris cædes.

Tum Eunus rex creatur, non quòd vel fortitudine, vel imperandi ſcientiâ præſtaret, ſed ideo tantùm, quòd præſtigiatoriis artibus excelleret, & defectionis auctorem ſe præbuiſſet; nomen præte-

te-

terea ejus bonum veluti omen futuræ erga ſubditos benevolentiæ, præſeferret. Summæ igitur rerum a defectoribus præfectus, advocata concione, quos Ennenſium vivos ceperant, trucidavit, quotquot arma fabricandi artem non callerent; illos ergo operi faciundo adſtrinxit. Servarum etiam poteſtati Magallidem tradidit, ut arbitratu ſuo vindictam de illa ſumerent; hæ cruciatibus affectam ex alto præcipitarunt. Suos etiam dominos Antigenem & Pythonem ipſe necavit; impoſito tandem diademate, cæteriſque omnibus regalem in modum circa ſe adornatis, uxorem etiam ſuam (quæ Syra, & civis ejus fuit) reginam declaravit, & conſiliarios, qui prudentià excellere videbantur, ſibi adoptavit, inter quos erat quidam & nomine, & natione Achæus, vir conſilio, ac promptitudine manuum præſtans. Tridui ergo ſpatio plus ıↄↄ cıↄ hominum, quo fieri poſſet modo, armatis, coactiſque aliis, qui aſciis, ac ſecuribus, vel fundis, aut falcibus, ſudibuſve præuſtis, aut coquorum verubus uterentur, totam regionem prædis agendis infeſtabat, & infinitam ſervorum multitudinem ſibi adjungens, cum imperatoribus etiam Romanis bello contendere auſus eſt, & collatis manibus, cùm numero prævaleret, ſæpe victoriam obtinuit, jam pluſquam decem hominum millia ſecum habens.

Eunus rex ſalutatur.

Inſulâ vexat, & Romanos exercitus fundit.

Interea etiam Cilix quidam Cleon aliorum ſervorum defectionem exorſus eſt, jamque erectis omnium animis, hanc ſpem conceperant, fore, ut excitata ſeditione alii aliis bellum inferrent, & defectores mutuis ſe cladibus atterentes, Siciliam defectionis tumultu liberarent; ſed contra quàm ſperabatur, copias ſuas conjunxere; cùm Cleon nudo Euni mandato ſe ſubjiceret, & ſub illo, ut regi par eſſet, imperatoris munus adminiſtraret, quinquies mille propriorum militum agmen habens. Atque tum xxx. prope dies a defectionis initio fuerant elapſi. Nec multò poſt, cum Lucio Hypſæo, qui Româ veniens militum ıↄↄ cıↄ cıↄ cıↄ ex Sicilia habebat, commiſsâ pugnâ, defectores victorià potiuntur, quorum ccıↄↄ ccıↄↄ tunc erant, intraque breve tempus ad ducenta millia exercitus illorum numerus excrevit. Et quamvis multa cum Romanis prælia committerent, ſæpiùs tamen gloriam referebant; clades autem accipiebant rariùs. Quo diſſipato rumore, Romæ etiam, ubi quinquaginta inter ſe conjuraverant, ſervorum defectio exarſit; in Attica verò pluſquam cıↄ, inque Delo, & aliis locis. Sed qui publica in unoquoque loco negotia ſuæ curæ commiſſa habebant, celeritate auxilii, quo periculis occurrebant, & ſuppliciorum gravitate, citò illos e medio ſuſtulere, & quod ſupererat ad defectionem accenſum, ad mentis ſanitatem reduxerunt. In Sicilia verò malum ingraveſcebat, quòd & urbes cum ipſis civibus caperentur, & exercitus multi a defectoribus conciderentur.

Cleō Euno adjungitur.

Alibi Servi etiā rebellant.

Donec Rupilius imperator Romanus Tauromenium recuperavit, cùm per acerrimam oppugnationem ad extremas anguſtias, diramque famem obſeſſos redegiſſet, adeo ut a carnibus liberorum devorandis exorſi, & ad uxorum corpora progreſſi, ne ſibi quidem, dum alter alterum vorat, tandem parcerent. Ibi Comanum Cleonis fratrem ex urbe circumſeſſa fugientem, cepit. Poſtremò cùm Sarapion Syrus arcem prodidiſſet, omnes in ea fugitivi in imperatoris poteſtatem venerunt, quos excruciatos præcipitationis ſupplicio affecit. Hinc Ennam progreſſus, eodem modo urbem oppugnat, & de-

Rupilius Tauromeniū expugnat.

Ennâ dolo capt, Cleonem. perimit. deſectoribus extremè coarctatis, omnem ſalutis ſpem ademit. Hinc ubi Cleonem ſummum exercitus ducem urbe egreſſum, & herois inſtar fortiſſimè prœliatum interemerat, & paulò poſt ex vulneribus mortuum exhibuerat, proditione etiam hanc urbem cepit; quandoquidem propter loci ſitum, ac firmitatem aliàs vi capi non poterat. Eunus autem, aſſumptis DC. ſtipatoribus, ad prærupta quædam loca, quæ hominis ignavia erat, fugâ ſe tranſtulit; ſed qui cum illo erant inevitabile ſibi malum jam ingruere exploratum habentes (jam enim & Rupilius imperator in eos ducebat) præciſis cervicibus, ſe mutuò jugulabant. Eunus verò præſtigiator, & Rex poſtquam in ſpeluncis quibuſdam præ timiditate receptum, & efſugium quæſiviſſet, cum quatuor aliis eſtractus fuit, cum coquo, *Eunû, & ſocios exterminat.* piſtore, & eo qui in balneo ipſum fricabat; quarto autem, qui inter pocula jucundos ei ludos facere ſolebat, tum in carcerem compactus, reſoluto in pediculorum exuberantiam corpore, dignum temeritatis ſuæ facinoribus vitæ exitum apud Morgantiam ſortitus eſt. Deinceps Rupilius cum exigua militum delectorum manu totam peragrans Siciliam, ab omni latrocinio ſpe celeriùs eam liberavit. Rex autem deſectorum Eunus ſeſe Antiochum, & qui cum eo deſecerant Syros nuncuparat.

1 HÆC enim, quòd mitiſſimo eſſet ingenio, in eoſdem ſervos nedum humaniter ſe geſſerat, ſed fomenta verberatis, captiviſque alimenta largiendo, Patris immanitatem ſæpiùs emendaverat. Igitur inter eos per aliquod tempus modeſtè, verecundèque tractata; mox, conſenſu cæterorum, ab Hermia, cujus in ea defectione præcipua erat authoritas, in urbem Catanam, ubi propinquos habebat, deducta eſt. Ita apud Freinshemium Supp. ad Liv. lib. 56.

§ 2. *DE SECUNDO SERVILI BELLO*

EX EODEM DIODORO LIB. XXXVI.

Belli Servilis Secûdi initia. IN Marii adverſus Cimbros expeditione, Senatus auxilia ex tranſmarinis gentibus accerſendi poteſtatem Mario dederat. Marius ergo ad Nicomedem Bithyniæ regem de ſuppeditandis auxiliaribus legatos miſit; ille verò reſpondit, Bithynos a publicanis in ſervitutem majori ex parte abſtractos, in provinciis hic illic attineri. Senatus igitur conſulto proviſum fuit, ne ingenuus aliquis ex populi Romani ſociis in provincia ſervitutem ſerviret, & ut prætores, ſeu proconſules manumittendorum curam ſuſciperent. Licinius igitur Nerva tunc in Sicilia prætor, decreto morem gerens, re judiciorum diſceptationi ſubjecta, plurimos in libertatem vindicavit; *Servi cõplures liberati.* adeo ut intra paucos dies octingentis plures ceu poſtliminio libertati reſtituerentur; unde accidit, ut quotquot per inſulam ſervirent, ad libertatis ſpem arrecti eſſent. Viri igitur auctoritate præſtantes ad prætorem conveniunt, eumque, ut ab incœpto deſiſtat, hortantur. Is ſive pecuniis illectus, ſive gratiam aucupatus, cognitione iſta judiciorum accurata ſuperſedit, & eorum qui recuperandæ libertatis causâ ipſum conveniebant, ad ſuum quemque dominum cum objurgatione reverti juſſit. Tum ſervi conſpiratione inter *Reliqui cõſpirát in Dños.* ſe facta, cum poſt emigrationem a Syracuſis ad lacum Palicorum con-

conſugiſſent, de rebellione inter ſe colloquebantur. Cumque in multis inde locis hæc ſervorum audacia percrebuiſſet, triginta duorum prædivitum in Ancyliorum regione fratrum ſervi, primi libertatem arripuerunt, quorum dux Oarius quidam erat; hi primùm noctu heros ſuos ſomno vacantes trucidant; mox ad vicinas progreſſi villas, mancipia ad libertatem capeſſendam exhortantur, quorum illa ipſa nocte cxx. & plurium ad eos fit concurſus. Locum igitur naturâ firmum occupant, & operâ ſuâ firmiorem reddunt, aſſumptis etiam aliis lxxx. qui armis inſtructi venerant.

Quorũ Oarius fuit dux.

Provinciæ autem prætor Licinius Nerva feſtinanter illos adortus, cum oppugnare inſtituiſſet, conatu ſuo nihil effecit. Ubi igitur inexpugnabilem viribus locum vidit, ad proditionem reſpexit; conſilii verò miniſtrum, & executorem habuit Cajum quemdam Titinium, cognomento Gadæum, quem promiſſione incolumitatis adduxit; fuerat autem hic capitis ante biennium condemnatus, ſed pœnam effugerat, multoſque ex liberis hominibus in regione illa latrocinando interficere ſolitus, ſervorum nemini erat moleſtus, aut gravis. Hic cum manu ſervorum fida ſibi ad caſtellum, quaſi communi bellum adverſus Romanos opera geſturus accedit. Benevolè autem, & comiter acceptus, imperator etiam ob fortitudinem creatur, caſtellumque prodit. Rebellium inde pars inter pugnandum conciditur; pars ſupplicium, quod captos maneret, exhorreſcentes, de rupe ſe præcipites dejecerunt. Prima itaque ſeditio fugitivorum hunc in modum extincta eſt.

Prætor proditione illos expugnat.

Prima ſervorũ ſeditio extincta.

Cæterùm militibus ad lares ſuos dimiſſis, quidam nunciatum venere, ſervos lxxx. circiter, tumultu excitato, Publium Clonium ordinis equeſtris virum jugulaſſe, jamque magnum congregare numerum. Quin & imperator conſiliis aliorum ſeductus, jam maxima etiam militum parte exauctorata, procraſtinatione ſua tempus rebellibus ad præmuniendum ſeſe meliùs concedebat. Cum præſente tamen manu in illos perrexit. Verùm ubi tranſmiſerat flumen Albam, defectores in monte Capriano, ut vocant, commorantes præteriit, & Heracleam pervenit. Rumore igitur de ignavia imperatoris aggredi illos non auſi, diſſeminato, plurimos ſervorum ad defectionem excitabant. Multiſque confluentibus, & ad pugnam ſeſe quomodocumque poſſent inſtruentibus, plures octingentis intra primos ſeptem dies arma ſumere; dehinc ad duo millia numerus excreſcit. Imperator autem apud Heracleam de creſcente ipſorum multitudine certior factus, Marcum Titinium ducem creatum, adjunctis ei DC. ex Enna præſidiariis, contra illos miſit. Hic prælio cum defectoribus commiſſo, (quoniam & multitudine hominum, & locorum difficultatibus, illi ſuperiores erant) terga cum ſuis vertit, ibi complures interfecti; reliqui projectis armis vix fugâ ſalutem tutati ſunt. Defectores autem tantam armorum vim ſubitò cum victoria adepti animoſiùs propoſito inſiſtebant; & jam maxima ſervorum pars ad defectionem incitata erat. Cumque in dies plures deficerent, brevi numerus, ſupra quam ſuſpicatus aliquis fuiſſet, excrevit, adeo ut intra paucos dies ſex millibus plures recenſerentur.

Servi denuo rebellant.

Romanos milites fundut.

Quo tempore etiam communi habito conventu, & deliberatione de rerum adminiſtratione propoſita, imprimis regem ſibi delegerunt Salvium quemdam nomine, qui aruſpicinæ gnarus habebatur, & in mulierum ſpectaculis, ac pompis tibiis ad inſaniam uſ-

Salvius a ſervis Rex cõclamatur.

que

Digitized by Google

que modulabatur. Hic regnum adeptus, urbes, ut inertiæ, & deliciarum fomenta, declinavit; in tres autem partes diviſo rebellium agmine, ac totidem unicuique parti ducibus præpoſitis, regionem incurſare, uno quoque loco, & tempore univerſos tandem convenire iterum juſſit. Ex populatione iſta magna cùm aliorum animalium, tum equorum copia ditati, exiguo temporis intervallo ſupra CIↃ CIↃ. equitum, nec infra CCIↃↃ CCIↃↃ. peditum ſibi compararunt; & quidem eorum, qui bellicis ſe tyrociniis probare noſſent. Magno igitur impetu Morgantiam urbem munitam repente adorti, validis, & continuis eam impreſſionibus oppugnant. Prætor autem tanquam ad ſubſidium urbi ferendum nocturno itinere ad eam contendens (habebat autem ſecum armatorum ex Italia, & Sicilia circiter decem millia) defectoribus in oppugnatione occupatis ſupervenit: & irruptione in caſtra ipſorum facta, cùm exiguam præſidiariorum manum, magnumque captivorum numerum, & copioſam omnis generis prædam reperiſſet, non magno illa negotio expugnavit; & poſt direptionem Morgantinam verſus duxit. At defectores repente in illum retrò converſi, quòd & ſuperiore loco conſtituti eſſent, & violenter hoſtem invaderent, ſtatim propitium experiuntur Martem. Romani autem ducis copiæ fugæ ſe tradunt. Tum Rex defectorum edicto proclamari jubet, ut nemo arma projicientium occidatur; major itaque pars, abjectis armis, fugâ ſibi conſuluit. Hoc igitur ſtratagemmate hoſtibus victis, Salvius & caſtra ſua recuperavit, & victoriam adeptus nobilem, magna ſpoliorum vi potitus eſt; occubuerant tamen in conflictu de Italicis, & Siculis non plures ſexcentis, quod edicti illius clementia effecit; quater mille autem capti fuere. Salvius exinde, cùm multi poſt hunc felicem ſucceſſum ad eum confluerent, duplicato exercitu, jam apertum in poteſtate campum habebat. Ideo rurſus in Morgantinæ obſidionem incubuit, & ſervis in ea libertatem ſe donaturum proclamavit. Sed cùm domini eamdem contrà illis conditionem proponerent, ſi fidos ſe certaminum ſocios præbuiſſent, quam domini obtulerant, potiorem judicarunt, tantaque animorum promptitudine decertarunt, ut obſidionem depulſarent. Sed Prætor caſſum hoc libertatis promiſſum cùm deinde feciſſet, pleriſque ad defectores transfugiendi cauſam præbuit.

Ingentes agit prædas.

Romanus Prætor in ſervos ducit.

A quibus ſuperatur.

Morgantiam Salvius fruſtra obſidet.

Tunc & in Ægeſtanorum, & Lilybœenſium, finitimorumqe territoriis turbam ſervorum contagio defectionis invaſerat, quorum princeps & ductor Athenio quidam extitit, vir fortitudine præſtans, natione Cilix: hic cùm fratrum duorum divitiis pollentium res domeſticas adminiſtraret, ac divinationis aſtronomicæ peritiam haberet eximiam, primùm eos ad ſe pellexit, in quos imperium habebat circiter ducentos; poſtea etiam vicinos, adeo ſanè ut quinque dierum intervallo plures mille convenirent, a quibus ad regiam illa dignitatem evectus, impoſito ſibi diademate, ſecus quàm omnes alii, res gerere inſtituit. Non enim omnes promiſcuè defectores recipiebat, ſed tantùm ſtrenuiſſimis militiæ ſuæ adſcriptis, cæteros ut in priſtinis officiis manerent, & ſuo quiſque loco diſpenſationis ſuæ munus diligenter obiret, coegit, quò largum ſuis commeatum procurabat; deos autem ſibi per aſtra jampridem ſignificaſſe fingebat, fore, ut Siciliæ totius regnum adipiſceretur; parcendum igitur tum regioni ipſi, tum animantibus in ea, fructibuſque ut propriis. Tandem coactis plus quàm decem millibus, Lilybœum, urbem inexpu-

Alibi ſervi etiá rebellant, Athenione duce.

Ejus in agēdo ſolertia.

Lilybæi obſidio ſoluta.

pugnabilem, obſidere audet; ſed cùm inanem hìc inſumeret operam, ab incœpto deſiſtit, deorum id mandato fieri dictitans; ſi enim in obſidione perſeverent, calamitate quadam eos mulctatum iri. Simul ac verò regreſſum ab urbe inſtituit, naves quædam delectas Maurorum cohortes advehentes, portum intrarunt. Suppetiæ autem erant Lilybœenſibus miſſæ, quorum dux erat quidam nomine Gomon; hic cum ſuis noctu ex improviſo Athenionis copias, in abitu jam verſantes, aggreſſus, proſtratis multis, nec paucioribus vulneratis, in oppidum ſe recepit; quamobrem illa ex ſideribus prædictio fatidica in admiratione erat apud defectores.

Ingens per inſulã vaſtitas.

Ingens verò tum rerum confuſio, & malorum, quod dicitur Ilias, Siciliam occuparat. Non enim ſervi tantùm, ſed etiam ex liberis egeſtate afflicti, omne rapinarum, & flagitiorum genus committebant; & quicumque offerrentur ſervi, aut ingenui, ne quis perditam illorum malitiam enunciaret, omnes impudenter trucidabant. Ideo quotquot in urbibus ſe continebant, vix illa quæ inter pomeria eſſent, pro ſuis habebant; quæ verò extra, aliena exlegique violentiæ mancipata judicabant. Multa inſuper alia a multis contra normam æquitatis, & humanitatis audacter peragebantur. Porro Salvius ille Morgantinæ oppugnator, cùm regionem ad Leontinum uſque campum incurſionibus infeſtam reddidiſſet, univerſum illic exercitum non minùs quàm triginta millia hominum delectiſſimorum congregavit. Tum ſacrificio heroibus Italicis inſtituto, unam de ſtolis purpureis, ut gratum ſe pro victoria exhiberet, dicavit; ipſe autem regis nomine adſcito, Tryphon a rebellibus vocabatur. Tricala autem occupare, ibique regiam conſtituere propoſitum habens, ad Athenionem mittit, eumque ut Rex imperatorem accerſit.

Salvius ſervorum Rex cõſtituitur.

Omnium tum ſuſpicio erat, Athenionem primariam ſibi dignitatem vendicaturum, ortaque inter rebelles ſeditione, bellum facilè reſtinctum iri; ſed fortuna, datà velut operà, copias fugitivorum augens, ut principes illorum concordiam inirent, effecit. Ducto enim raptim exercitu ad Tricala venit Tryphon, quò & Athenion cum tribus millibus ſe confert, Tryphonis mandato, ut imperator regis, ſe attemperans. Reliquas verò copias ad populandos incurſionibus agros, & ſolicitandos ad defectionem ſervos miſerat. Poſthæc tamen ſuſpicatus Tryphon, fieri poſſe, ut arma adverſus ſe capeſſeret Athenion, maturè in cuſtodiam hominem tradidit; caſtellum verò aliàs ſatis firmum magis communivit, ſtructuriſque magnificis ornavit. Tricala inde nominatum, ajunt, quòd tria in ſe Cala, ideſt, *pulcra*, contineret; primùm enim aquis fontanis eximiæ dulcedinis abundat; deinde agros habebat adjacentes, vinetorum, & olivetorum plantationi, frugumque culturæ mirificè idoneos; tertiò locus tam firmus erat, ut nihil ſupra, utpote magna rupe, atque inexpugnabili a natura inſtructus. Quam cùm ambitu urbis octo ſtadia complexo cinxiſſet, & foſſam profundæ altitudinis circumduxiſſet, pro regia illam habuit, ubertate omnium commodorum, quæ ad vitæ uſum pertinent, refertam. Regale etiam palatium ibi conſtruxit, cum foro, quod numeroſæ hominum turbæ capax foret. Ex viris etiam prudentià eximià præditis numerum ſufficientem delegit, eoſque ſibi conſiliarios adjunxit; operà illorum in judiciorum adminiſtratione utens. Ad hæc togà prætextà, & lati clavi tunicà, quando jus reddebat, amictum ſe exhibuit. Lictores denique cum virgis, & ſecu-

Qui cũ Athenione cõvenit

Triocalam munit, & Regiã conſtituit.

curibus præirent; & cætera omnia, quæ regiam majeſtatem efficiunt, exornantque, ut præſtarentur, curavit.

Lucullus cōtra rebelles ducit.

Deligitur tandem a Senatu Romano Lucius Licinius Lucullus contra defectores imperator, quatuordecim millia ex Romanis & Italis; Bithynos autem Theſſaloſque & Acarnanes DCCCL. ex Lucania etiam IↃ. quibus Gleptius vir ſcientiâ rei militaris, & fortitudine clariſſimus præerat; alios denique IↃCCC. conſcriptos habens; adeo ut omnium ſumma eſſet ſeptemdecim millia. Cum hoc ille exercitu Siciliam occupavit; quapropter Tryphon Athenionem a culpa exemptum in conſilium de bello adverſus Romanos adhibebat. Et ipſi quidem in caſtello ſubſiſtendum, atque inde hoſti repugnandum eſſe placebat; ſed Athenionis conſilium erat, ne ſe per obſidionem includi paterentur, ſed in libero campo armis cum hoſte diſceptarent; quæ ſententia ut potior cùm vinceret, prope Scirthæam caſtra metantur, quadraginta millibus haud pauciores. Romanorum inde caſtra duodecim ſtadiorum intervallo aberant. Primùm igitur velitaribus inter ſe pugnis aſſiduè confligebant; deinde inſtructa acie congreſſi, cùm pugnæ momenta huc illuc nutarent, ac multi utrinque caderent, Athenio ducentorum equitum, qui lectiſſimi erant, turmâ ſtipatus, omnem circum ſe locum ſtrage hoſtium replevit. Sed cùm utroque genu ſaucius, tertium quoque vulnus accepiſſet, pugnæ utilis eſſe ampliùs nequivit; unde fugitivi animis fracti in fugam ſe conjecere. Athenio verò non ſecus ac ſi extinctus eſſet, latitavit, & morte ad tempus ſimulata, ubi nox ingruerat, saluti fugâ conſuluit.

Pugna inita, hoſtē fundit.

Servorū reliquiæ Tricalā refugiunt.

Victoriam ergo illuſtrem adepti Romani, Tryphone etiam ipſo cum ſuis ad fugiendum compulſo, multiſque in fuga cæſis, tandem non pauciores viginti millibus interemptos, compertum eſt. Reliqui, adjuvante nocte, Tricala reſugere, tametſi etiam hos delere imperatori perfacile erat, ſi perſequi voluiſſet, adeo tum animos deſponderant, & ad heros revertendum, horumque poteſtati omnia permittenda eſſe, in conſilio fuerat propoſitum. Sed tamen eorum ſententia obtinuit, qui ut ad extremum uſque halitum decertarent, ne hoſtium libidini ſalutem proderent, monebant. Nono pòſt die Tricala obſeſſum venit imperator, ubi invicem cædit, atque cæditur, & tandem inferior diſcedit, hinc animi rebellibus creſcere. Imperator contrà nihil eorum, quæ officium exigeret, ſive ob deſidiam, ſive munerum captationes, præſtare; ob quæ poſtea ei repetundarum poſtulato mulcta irrogata fuit. Cajus autem Servilius, qui Lucullo in imperio ſucceſſor in provinciam miſſus eſt, nec ipſe memoriâ dignum aliquid egit, propterea, ut Lucullus, in crimen vocatus, pœnas exilio dependit. Mortuo inter hæc Tryphone, regnum Athenioni per ſucceſſionem obtigerat; is quà urbes oppugnans, quà regionem totam populationibus, non obſiſtente Servilio, citra metum vexans, præda ingenti potitur.

Quā fruſtra Lucullus obſidet.

Aquilius Cōſul. rebelles vincit.

Sed anno exeunte, Cajus Marius quintùm Conſul cum Manſo Aquillio creatur. Ex his imperator contra defectores miſſus Aquillius, ſua fortitudine id præſtitit, ut rebelles inſigni prælio vincerentur; cum ipſo demum rege apoſtatarum Athenione congreſſus, herois in morem decertavit; & hunc quidem interemit, ipſe autem vulnus in capite accepit. Hinc reliquias defectorum ad decem hominum millia bello perſequendos dixit; qui licèt impetum ejus

haud

ſuſtinerent, ſed in munitiones refugerent; nihil tamen de conſtantia propoſiti remittens Aquilius, omnia tentavit, quouſque debellatos in poteſtatem redegiſſet. Mille adhuc ſupererant, Satyro duſtore, quos armis primùm ſubigere cogitabat; verùm ubi per legationem ſe dediderant, in præſens quidem noxam illis remiſit; at Romam pòſt adductos cum beſtiis depugnationi addixit, qui nobiliſſimum vitæ exitum ſibi paraſſe memorantur; nam certamine cum belluis abſtinuiſſe, & mutuis ad publicas aras vulneribus ſemetipſos confeciſſe; cumque ultimum ex iis Satyrus ipſe occidiſſet, hunc poſt alios omnes heroico quodam ſpiritu manus ſibi inferentem, occubuiſſe. Servile itaque bellum in Sicilia cùm annos prope quatuor duraſſet, hunc tragicum finem habuit.

Reliquias Rebelliû cõficit.

§ 3. *DE BELLO SICULO.*

EX DIONE, ET APPIANO.

Pompejus, qui Sextus dicebatur, magni Pompeji filiorum ætate junior, quum primùm a C. Cæſare In Iberia neglectus perſtitiſſet, quaſi nihil magnum ob adoleſcentiam facturus, ad oceanum delatus piraticam incognitus aliquando exercuit; Procedente mox tempore, pluribus ad eum accedentibus, ingentem comparavit manum, ſeque Pompejum profeſſus eſt; confeſtimque, qui ſub ejus patre, vel fratre militantes victi ceſſerant, ad illum veluti proprium confluxerunt ducem. Itaque majoribus adauctus copiis, opera piraticis longè clariora adorſus eſt, devictoque Carrina Cæſaris duce, urbes pleraſque per Iberiam ſuæ ditioni adjecit.

Sext. Põpejus piraticá exercet.

Cæſare occiſo, Senatus Pompejum ultro revocavit, paternorumque bonorum pretium illi ex publicis pecuniis reddendum cenſuit. Verùm ille in Marſiliam delatus, quæ Romæ fiebant intentus expectabat, Electus ſubinde maris imperator, ut parens ejus antea fuerat, neutiquam ad Urbem redire voluit. Sequuta demum Triumvirorum dominatione, quum ei Cæſar eam profecturam ademiſſet, ſeque inter proſcriptos relatum intellexiſſet, deſperato in Patriam reditu, ad bellum ſe inſtruxit, auctuſque viribus, in Siciliam enavigavit, Mylaſque, & Tyndaridem citra etiam pugnam cœpit. A Meſſana autem eum Bithynicus tunc Inſulæ prætor repulit, quamquam nec ſic quidem Sextus eam omnino miſſam fecit, ſed in agrum ejus incurſando, commeatuſque intercludendo, Quæſtorem cum pecuniis, tandemque & Meſſanam, & Bithynicum, quum conveniſſent, Icio, & Fanio, qui proſcripti ad Pompejum venerant, ſuadentibus, ut inſulam æquato imperio regerent, in ſuam redegit poteſtatem. At tum quidem Prætori nihil mali exhibuit; Meſſanenſibus autem arma, & pecuniam ademit; dein Syracuſas, aliaſque nonullas urbes ſubegit, milites ab iis accepit; mittente ad illum alios milites ex Africa Q. Cornificio.

Maris Imperator eligitur.

Meſſaná in Sicilia, aliaſque urbes ſibi vendicat.

Pompeji ita augeſcentis aliquandiu Cæſar nullam habuerat curam, & quòd hominem contemnebat, & aliis diſtinebatur negotiis; ſed quum fame in Urbe multi perirent, & Italiam quoque Sextus attentaret, ita demum claſſe parata, Salvidienum Rufum magnis cum copiis Rhegium præmiſit, quò & ipſe terreſtri itinere ſe contulit. Pompejus ingenti claſſe Salvidieno occurrens, navale prælium ad

Cæſaris claſſis ſuperat.

maris fauces commiſit; quumque illius naves levitate, nautarumque experientiâ anteirent, Romanorum verò magnitudine, & gravitate laborarent, fluctuſque juxta pontum moveri ſolitus vehementiùs inſurgeret, Salvidieno ſuperior effectus, hunc ſole ad veſperam vergente, ut naves proprias revocaret, coegit. Pugnâ diſſolutâ, pari numero ab utraque parte confractis navibus, reliquas ex labore fluctuantes, ac ſemilaceras Salvidienus recuperare ſtuduit, Pompejus Meſſanam rediit. Cæſar verò hujus navalis prælii inſpector egrè admodum tulit, ſe primo hoc congreſſu vinci, nec auſus vi tranſmiſſionem in inſulam tentare, quamvis pleriſque navibus ſuis ſalvis clanculum ſæpenumerò periculum feciſſet, quòd validâ ubique cuſtodiâ oram Pompejus cuſtodiret; aliis quibuſdam, qui Siciliæ intenti eſſent, conſtitutis, ipſe Brunduſium ad Antonium perrexit, auxilioque navium Jonium mare trajecit.

Totam occupat inſulá, ludoſque edit.

His actis, totam Inſulam Pompejus occupavit; Bithynicum inſidiari ſibi prætendens occidit; ſpectacula qualia Victores ſolent, edidit; captivorum navalem in freto contra Rhegium in hoſtium conſpectu pugnam exhibuit, commiſſis inter ſe ligneis, & pelliceis naviculis ad Salvidienum deridendum, qui ante prælium id genus navium moliri cœperat. Naves ſubinde plures extruxit, eâ etiam gloriâ, ac faſtu auctus, ut filium ſe Neptuni appellaret, quòd Pater olim ejus mari univerſo imperium habuiſſet. Hæc a Sexto geſta ſunt Caſſii adhuc, Brutique rebus ſalvis. Quibus deletis, cum alii

Murcus illi adhæret, ac ſervi accedunt.

ad eum, tum Statius etiam Murcûs ſeſe receperunt. Murcum Pompejus libenter accepit, ut copias, quibus ille præerat, ad ſe traduceret. His igitur, atque ingenti ſervorum multitudine qui ex Italia ad eum advenerant, adeo crevit, ut cum Antonio de jungenda amicitia ageret; Hinc cum eo pacem inire primùm Cæſar cupiens, ubi id non ſucceſſit, M. Agrippæ bellum contra eum gerendum injunxit, ipſe verò in Galliam profectus eſt. Quumque Apollinaribus ludis exhibendis occuparetur Agrippa, Sextus in Italiam tranſmiſit, & tamdiu in ea prædas agendo commoratus eſt, donec Agrippa adveniret, ſub cujus adventum relicto in quibuſdam locis præſidio, in Siciliam revehitur.

Nova inter Anton. & Cæſaré cõventio.

Inita inter Cæſarem, & Antonium nova conventione, rurſuſque Imperii diviſione facta, nec non belli contra Sextum Pompejum ſocietate decreta, quamquam Antonius ſeſe per internuncios Pompejo ad belli conſortium contra Cæſarem dudum obſtrinxiſſet; Pompejus, qui ut ſe Antonio conjungeret, in Italiam venerat, de illorum pactione certior factus Siciliam repetiit, Menamque, ſive Menodorum libertum ſuum, ut hoſtium ditionem infeſtaret, cum claſſe emiſit, qui Hetruriæ oris haud leviter vexatis, Sardiniam adortus, illam Pompejo vindicavit. Quum igitur ex Sardinia etiam aunonæ commeatus eſſet interclusus, ingens fames Romam afflixit;

Menas Sardiniam acquirit Pompejo.

Hinc ad pacem cum Sexto ineundam Antonium, Cæſaremque populus minis adegit. Duxerat Sextus Libonis filiam. Hunc in Sicilia apud generum agentem Antonius per neceſſarios evocavit, ut pacis negotium componeret; Quo ad Ænariam inſulam in anchoris conſtituto, Populus ut illi fidem, ſecuritatemque Cæſar quoque promitteret, multis precibus obtinuit. Annuit hic quamquam invitus, ac Mutiam Pompeji matrem, ut filium conciliaret, in Siciliam inſuper, urgente eodem populo, miſit.

Cæ-

Cæſar & Anton. de pace cũ Põp. agunt.

Cæſar porro, & Antonius Bajas uſque progreſſi ſunt, ut ſeſe Liboni adjungerent; Pompejo autem, ut pacem iniret, alii omnes ſuadebant, Mena ſolummodo repugnante, quaſi fames pro illo eſſet depugnatura, ut fœdera in melius ſuccederent. Menæ Murcus adverſabatur, quem tacitè Pompejus cuſtodiri juſſit, quaſi imperium ſibi adſciſcere quærentem; ob idque conturbatus ille Syracuſas conceſſit, ubi nonnullos ex cuſtodibus ſe ſubſequentes contemplatus, apertè de Pompejo conqueſtus eſt; qui turmæ Ductore, ac Murci Tribuno per fraudem priùs interfectis, ipſum quoque occidi a ſervis occultè juſſit, quos tamen ad tegendum ſcelus crucibus affixos voluit. Subinde Ænariam, ne pacem aſpernari videretur, enavigavit, ac Dicearchiam circa veſperam inſigni pompa, & apparatu, hoſtibus inſpectantibus, tenuit, ortaque luce lignis intra mare fixis, aſſeribuſque appoſitis, ac ſtramentis additis, Cæſar, & Antonius ad ea quæ telluri propria erant, applicuere, Pompejus verò ad id uſque quod adnavigari poterat, ratem firmavit.

Simul ad Miſenũ cõveniũt.

Et variæ quidem circa fœderum conditiones erant primùm Ducum ſententiæ; Mutia demum Sexti, ac Julia Antonii matre compellentibus in agere undique circumfluo convenientes in aliquot fœdera viri tres conſpiravere, quorum præcipua fuere: Bellum inter eos terrâ marique diſſolvere; Negotiatores ubique liberè poſſe commeare; Pompejum ex Italia præſidia educere, ſervos ad ſe fugientes non admittere, neque navibus ulteriùs Italas oras percurrere; Sardiniæ, Siciliæ, Corſicæque imperare, ac aliis, quas tunc detineret, Inſulis, Cæteris Antonio, Cæſareque præſidentibus &c. Quæ, ita inter ſe convenientes, & conſcripta, & ſignis propriis munita Veſtalibus cuſtodienda Romam miſere. Poſt hæc, ſortitò ad invicem ordine, mutuis conviviis ſeſe exceperunt, diviſique, Pompejus in Siciliam contendit, Cæſar, & Antonius Romam rediere. Concordiam hanc diu concupitam ingenti excepere plauſu Romani cives, ac partes utriuſque exercitus; verùm ea diuturna non fuit; quia enim pacem coacti inierant, haud diu ejus conditiones ſervantes, ſtatim iis neglectis, ad diſſidium redierunt; haud dubiè bellum moturi, etiamſi prætextum ejus nullum inveniſſent.

Pacis cõditiones, & fœdera.

Quæ mox diſſolvitur.

Cauſæ autem belli ipſis hæ fuerunt: Menas, ſive Menodorus, quum adhuc in Sardinia Prætoris loco eſſet, Pompejo in ſuſpicionem venerat, vocatuſque ut de frumenti, ac pecuniæ adminiſtratione rationes redderet, dicto audiens non fuit, ſed miſſos ad ſe necavit, præmiſſiſque ad Cæſarem qui de pace agerent, ſe & inſulam cum exercitu, & claſſe ei tradidit. Menam Cæſar libentiſſimè accepit; nam Sextum quoque neglectis pactis conditionibus, fugitivos recipere, naves ſtruere, Caſtella in Italia obtinere dicebat; neque dedidit Pompejo poſtulanti, quin magno inſuper in honore habuit, annuliſque aureis decoratum in equeſtrem adſcripſit ordinem. Pompejus aliunde ne dum hoc nomine Cæſarem poſtulabat, ſed propter Achajam quoque vexatam, vel non ſervatas tum ſibi, tum ſociis ſuis promiſſiones; Menecratem igitur libertum quoque in Italiam miſit, ejuſque operâ Vulturnum aliaque Campaniæ oppida infeſtavit; quo cognito, Cæſar pactorum literas a Veſtalibus repetiit, Antonium & Lepidum accerſit, quorum hic non diu paruit; Antonius autem quum Brunduſium veniſſet ex Græcia, Cæſare ibidem non invento, territus prodigio quopiam, ac ſpecie belli Parthici urgentis uſus ad ſuos reverſus eſt.

Menas Cæſari adhæret.

Antonius in Italiá delatus mox recedit.

Cæſar ad bellũ ſe parat.

Ceſar hinc ab Antonio ſeſe deſertum advertens; ſolus bellum hoc ſubſtinere conſtituit. Pompejus & ipſe rumores ſpargens, Antonium Cæſaris cauſam non probare, majori conatu in rem propoſitam incumbens, ad Italiam tandem enavigavit, ingreſſuſque in continentem damna multa adverſariis intulit, multa ipſe viciſſim accepit. Sub idem tempus navale prælium inter Menecratem, & Sabinum ad Cumam commiſſum eſt, in quo etſi a Cæſaris parte multæ amiſſæ fuerint naves, Menecrates tamen cum Mena, quem maximè oderat, ex contentione congreſſus, letaliterque ſauciatus ſeſe in mare præcipitem dedit, parique calamitate jacturâ ſuâ Pompejum affecit; ita ut neque hic ſibi victoriam vendicaret, & cladis ſuæ Cæſar ob Menecratis mortem compenſationem haberet.

Cæſaris, & Põpeji claſſes cõfligunt.

Is cum multis navibus, ingentique exercitu ex Tarento Rhegium applicuerat, ut Pompejum circa Meſſanam quadraginta tantùm navibus inſtructum, inopinè invaderet, quod & Cornificius ejus Talaſſiarcha, aliique ex amicis ſuadebant, ut ex tempore tanto ſtipatus apparatu hoſti modica adhuc claſſe circumſepto, priuſquam ſocii advenirent, ſubitus occurreret, quibus ille Sabinum opperiri ſtatuens, neutiquam aſſenſus eſt. Demochares interim, qui mortuo Menecrate, claſſis præfecturam ſuſceperat, Meſſanam defertur, cui Pompejus Apollophanem, ut ſuis præeſſent navibus, ſocium adſcivit. Cæſar verò, auditis quæ circa Cumam geſta erant, pontum adnavigare, & Sabino obviam prodire ſtatuit; quod advertens Pompejus ex Meſſana progreſſus, claſſis poſtrema aggreditur, prioreſque naves inſectatus, mox omnibus invectus in pugnam provocat. Illi quamquam ab eo vexarentur, minimè tamen, Cæſare non permittente, ſeſe ad pugnam convertere, tandemque ejuſdem juſſu ad littus concedentes, ibi in anchoris firmant rates, ac ſimul a prora irruentes repellunt. Demochares tunc ad quaſcumque Cæſaris naves, e ſuis duas opponit, illaſque non roſtris tantùm, ſed etiam ignitis jaculis appetens ad petras compellit; hinc per inertiam undis aſſurgentibus impleri, collidique Cæſarianæ ceperunt, hoſtibus nunc ab aſſultu, nunc ab regreſſu eas eludentibus, ac repellentibus.

Pompejus contra Cæſarem ducit.

Cujus naves peſſimè affligit.

Nec longè a periculo Cæſar abfuit, quum navi egreſſus ad rupes evaſit, atque a pelago enatantes ad ſe recipiens, ad montium juga ire monuit. Cornificius verò aliique ejus claſſis prætores ſeſe mutuò adhortantes, naves anchoris exolvunt, & in hoſtes feruntur; utilius arbitrati aliquid potiùs agentes perpeti, quàm per inertiam nullo pacto ab illis opprimi. Singulari hinc fretus audacia Cornificius prætoriam hoſtilem nâvem invadit, Intercipitque, qua ex cauſa Demochares in aliam ſubitò deſiluit; quibus ſic ſe habentibus, Sabinus & Menas a longè navigantes conſpecti ſunt; & quamvis a Cæſaris militibus e terra, aut mari videri minimè poſſent, Pompeji tamen naves liberiori pelago evectæ eas advertere; hinc retrocedere ceperunt, tum enim nox imminebat, nec defeſſos recentibus opponere audebant; iſque caſus reliquas Cæſaris ſervavit naves, ne prorſus omnes abſtraherentur ab hoſtibus, aut immiſſo igne deflagrarent. Orta quàm primùm luce ingentem claſſis ſuæ jacturam Cæſar intuetur; Sabini nihilominus adventu recreatus, illius in aciem conſtitui rates imperat, atque hoſtibus objici; Verùm circa meridiem Notus creber paulatim ſurgens vehementem adeo tempeſtatem excitavit, ut paucis exceptis Menæ navibus, qui in al-

Cæſaris auxiliaris claſſis.

Ingẽti tempeſtate disjicitur.

Digitized by Google

altum ſe ſubduxerat, reliquæ ad ſcopulos illiſæ penè omnes in vaſtitatem abirent. Qua clade accepta, Cæſar Siciliæ potiundæ ſpe abſecta, continentis oram maritimam tueri contentus, incolaſque earum, quæ circa Siciliam ſunt, inſularum ad Pompejum deficientes, Liparenſes præſertim antevertens ex ea inſula in Campaniam tranſlatos Neapoli habitare uſque ad belli finem coegit, ac novæ claſſi parandæ animum adjecit.

Cæſar Liparêſes in Căpaniă transfert.

Tum Pompejus magis elatus animo verè Neptuni filius eſſe creditus eſt, veſtemque induit ceruleam, equoſque, & viros vivos rurſus in fretum conjecit. Incipiente verè Antonius ex Athenis trecentarum navium claſſe comitatus Tarentum pervenit Cæſari auxilia allaturus, ut promiſerat; At hic converſa mente navibus jam fabricatis ſuos intulerat, videbaturque quòd iterum cum Antonio eſſet in contentionem venturus. Verùm adnitente Octavia ſorore, Tarenti uterque convenit, tradiditque Cæſari quidem Antonius naves viginti ſupra centum; Cæſar Antonio biſmille Italos armatos. Interea Menas variis ex cauſis datâ, acceptaque fide, ad Pompejum ſeptem ſublatis navibus fugam arripuit, Calviſio Sabino claſſis præfecto neutiquam advertente. Hinc Cæſar, Calviſio amoto, Agrippam ejus loco navibus præeſſe voluit, quibus ſolemni ritu perpurgatis, Lepidum ex Libya, Taurum ex Tarento Siciliam verſus uno eodemque tempore movere juſſit, ipſe prætoria vectus navi, ingenti claſſe comitatus ex Dicearchia movit; Appio aliis cum navibus claſſis cuſtode poſt eum adnavigante. Pompejus porro Plinium in Lilybœo Lepido ex Africa moventi oppoſuit; ab Oriente in Occidentem Siciliæ maritima omnia, & in primis Liparam, & Coſſiram inſulas cuſtodiis, præſidiiſque munivit; præcipuum verò totius claſſis in Meſſana collocavit, ut quòcumque neceſſitas exigeret, preſtò eſſet.

Antonius cum Cæſare cōvenit.

Cæſaris contra Pomp. apparatus.

Lepido mille onerariæ naves erant, octoginta longæ, legiones duodecim, Numidæ equites quinque millia, ingenſque alius apparatus. Taurus ex Tarento navibus centum circiter inſtructus properabat; tertia autem a diſceſſu die Notus incumbens quamplures Lepidi onerarias naves evertit, impetu tamen ab eodem in Siciliam facto, Plinium in Lilybœo obſedit, pleraſque ex vicinis urbibus ſibi adſcivit; quaſdam vi cepit. Taurus incipiente vento in portum remeavit. Appius circa Athenarum rupes delatus, plures amiſit rates; Cæſar autem in quemdam ſinum inhoſpitum non longè a Palinuro profugit, ſexremi dumtaxat unica amiſſa; Ubi tamen, Libyco ſuſcipiente Notum, ſæviſſima tempeſtate agitatus, ſex graviores, viginti & ampliùs ex levioribus, & Liburnicas aliquot naves attritas vidit; quumque ad claſſem reparandam triginta ſaltem dierum ſpatio videretur indigere, bellum in futuram differre æſtatem decreverat, fame nihilominus urbem perurgente, feſtinandum ſibi eſſe cogitavit, naviumque apparatum rurſus accelerare ſtatuit.

Lepidus in Sicilia urbes ſibi vindicat.

Cæſaris claſſis tempeſtate attrita.

Et jam proxima aderat ſecunda in Siciliam Cæſaris profectio, quum Pompejus hujuſmodi opportunitate neglecta, mari dumtaxat, ac Neptuno peregiſſe ſacra contentus, ratus non ſine Dei auxilio æſtatis tempore bis hoſtes naufragio obrutos, in eos ducere haud æquum putavit. Sperans autem Cæſarem jam claſſem eſſe ſoluturum, ubi eadem æſtate venturum audiviſſet, animo collapſus eſt, quòd cum invicto homine bellum ſe gerere animadverteret. Menam igitur ſeptem cum navibus, quas adduxerat ad Cæſaris apparatum inviſen-

Nova Cæſaris expeditio.

ſendum, atque ad aliquid, ſi poſſet, moliendum ire juſſit. At is jam pridem animo turbatus, quum claſſis præfecturam ſibi nondum redditam doleret, fugam denuo inire ſtatuit, atque ad Cæſarianos devectus, poſtquam levioribus incurſionibus cuſtodiarias illorum naves vexaſſet, Mindio, & Meſſala ſuis olim amicis rem agentibus, Cæſari reconciliatur, qui nullam ei tamen fidem deinceps habuit. Hic porro parato exercitu claſſem confeſtim movit, & ad Hipponium enavigans Meſſalam cum duabus peditum legionibus in Siciliam ad Lepidum tranſire imperat, & ad ſinum, qui ad Tauromenium deducit, caſtra ponere; Taurumque ad Scyllæum promontorium, quod ultra Tauromenium adjacet, ex Tarento adnavigare jubet, quod ille ad pugnam, profectionemque paratus protinus effecit.

Menas ad Cæſarē redit.

Lepidi naves Papias evertit.

Lepido interim ex Libya onerariæ naves reſiduum exercitus adducebant, qnibus ex Pompeji parte ab alto Papias occurrit, eaſque nihil tale timentes penitus evertit; credidere quippe naves a Lepido præmiſſas ad eos adventare. Ex navibus aliæ combuſtæ ſunt, aliæ captæ, quædam diſperſæ, nonnullæ in Libyam renavigarunt; Ex exercitu verò duæ legiones in mari ſubmerſæ, ex quibus nonnullos enatantes, atque ad terram prodeuntes Tiſimanus Gallus Pompeji Prætor interemit, alii ad Lepidum evaſere; Papias ad Pompejum enavigavit. Sed & Cæſar ad Strongylem unam ex Æoli inſulis univerſa claſſe ex Hipponiò pervenit, contemplatuſque in adverſa Siciliæ ora ingentem exercitum, Pompejum ibidem adeſſe credidit, eoque in loco Agrippam bellum gerere præcipiens, ad Tauri exercitum tribus cum legionibus, Meſſala comite, percurrit, Tauromenium invaſurus. Agrippa verò ex Strongyle ad Hieram enavigavit; quam, Pompeji militibus eum non ſubſtinentibus, intercepit, & ſequenti die Mylas ſibi vendicare videbatur. Hinc Demochari quadraginta dumtaxat navibus inſtructo, Pompejus Agrippæ impetu animadverſo, quinque alias ſupra quadraginta ſub Apollophanis præfectura præmiſit, ipſe cum octoginta reliquis ſequebatur.

Cæſar ad Strōgylē venit.

Claſſes ad bellū prodeunt.

Agrippa nocte incumbente ex Hiera dimidium claſſis abducit, veluti cum ſolo Demochare congreſſurus; viſis autem Apollophanis navibus, aliiſque octoginta aliunde prodeuntibus, protinus Cæſari indicat Pompejum magna cum claſſe in altum adventare; ratibuſque gravioribus eductis, reliquas ab Hiera celeri feſtinatione advocat. Erat apparatus utrinque longè ſplendidus, turreſque e navibus a puppe, ac prora eminebant; ubi igitur ſigna elata ſunt, ſe invicem aggrediuntur. Habebat Pompejus perbreves, agileſque naves, Cæſar verò majores, & graviores; Ex militibus Pompejani ad pelagus magis exerciti, illi verò ad bellandum firmiores; hi non aggreſſionibus, ſed circumventionibus longè ſuperantes, majorum gubernacula, tranſtra, remoſque perfringebant, Cæſaris naves illas ex incurſibus utpote breviores concutiebant, aut omnino lacerabant. Poſtquam aliquando dubio marte pugnatum eſſet, claſſem ab Hiera ad Agrippam adventantem intuitus Pompejus, ſigno dato, ſuos cum ordine redire imperat, quod illi nunc inſurgentes, nunc paulatim ſubinde ſe convertentes effecere; Verùm acriùs incumbente Agrippa, fugam protinus arripiunt, non ad littorum oras, ſed quocumque fluviorum vada, quæ in mare decurrebant, paterent, deducentes; Hinc ille majores naves exiguo concredere pelago nolens, in anchoris intra mare ſubſtitit, hoſtes, ſi opus eſſet, etiam per noctem aggreſ-

Naviū, & militū conditio.

Pōpeji naves fugiunt.

greſſurus, amiciſque ſuadentibus, ne inani audacia fruſtra duceretur, neve exercitum labore, ac vigiliâ confectum ulteriùs contereret, quietoque & tranquillo mari, ultra ac fas eſſet, fidem adhiberet, veſpere jam inſtante claſſem retrovertit, & Pompejani triginta amiſſis navibus, quinque ſolùm ex hoſtibus adeptis ad portum deduxere, quum multa neceſſaria perdidiſſent, & ab hoſtibus adempta viciſſim ſubſtuliſſent. Et hic navalis inter Agrippam, & Pompejum pugnæ circa Mylas finis fuit.

Agrippa claſſ é ſubducit.

Pompejus autem Cæſarem ad Tauri exercitum acceſſiſſe, ac Tauromenium aggredi velle intelligens, propere Meſſanam adnavigat, parte ſuorum circa Mylas derelicta, qui præſentis imperatoris ſpeciem Agrippæ facerent; Hic porro exercitu refecto, quantum neceſſitas poſtulabat, Tyndaridem ſe dedentem profectus eſt, ac ſtatim ingreſſus, ſtrenuè præſidiariis repugnantibus, repellitur; adhæſere tamen ei aliæ civitates, cuſtodiaſque admiſere. Jam Cæſar ex Leucopetra ad Scyllaceum adnavigarat, exiſtimanſque Pompejum omnino Agrippam opperiri, vacuumque hoſtibus mare deprehendens, claſſem movit, exercitumque quantum naves caperent, ſecum agens, ad Tauromenium delatus, copias veluti eam urbem ingreſſurus emiſit. Non ſuſcipientibus præſidiariis ultra Onobolam fluvium, Veneriſque templum ad Archagetem curſum dirigit, Deum quaſi vallum eo loco poſiturus, ut Tauromenium ſubinde expugnaret. Erat Archagetes Apollinis ſimulacrum, a Græcis olim primas in Siciliam ſedes transſerentibus conſtitutum. Eo in loco navi egrediens Cæſar lapſus eſt, atque in terram concidit, non exterritus tamen ſacra fecit. Ipſi igitur exercitum conſtituenti Pompejus cum claſſe adfuit; occurrit quoque equitatus per littora tranſcurrens e claſſe ſublatus, ac pedites alio ex loco emicuere, adeo ut hoſtes magnopere in medio trium hoſtilium copiarum trepidarent. Trepidavit & Cæſar, neſcius quo pacto Meſſalam evocaret. Verùm Pompejus belli inexpertus, nec trepidationis, quæ Cæſarianos invaſerat, ſatis conſcius, dubiuſque ne in veſperam pugnare cogeretur, a prælio abſtinuit, ejuſque terreſtris exercitus ad proximos diſſiluit colles. Quod ubi advertit Cæſar, vallum perficere militibus juſſit, qui quum labore, & vigiliâ adeo affecti eſſent, ut ad pugnam inutiles viderentur, per noctem & ipſi quieverunt.

Tyndaridē fruſtra aggreditur.

Cęſar ſub Tauromenio caſtrametatur.

Aderant Cæſari legiones tres, equites quincenti, nullis tamen equis adſiſtentibus, levioris armaturæ mille, ex ſociis ſorte delectis bis mille, exceptis qui ex ordine deſcripti fuerant, nec non maritima omnis potentia. Peditatum igitur omnem Cornificio attribuens adverſus eos, qui terram ingreſſi fuerant, bellum juſſit capeſſere; ipſe priuſquam illuceſceret, mare navibus ingreſſus, dextrum cornu Titinio, ſiniſtrum Carcino attribuit, prævectuſque liburnica ac omnes circumnavigans, prætoriis ſignis utì in periculo depoſitis, ad pugnam hortabatur. Commiſſum ſubinde navale prælium, quod nocte finitum eſt. In eo complures Cæſaris naves captæ, nonnullæ incenſæ ſunt, aliæ Italiam verſus cepere curſum, quas inſecutæ Pompeji rates quaſdam ex poſtremis abduxerunt, nonnullas incenderunt. Si qui ex claſſariis e pelago enatantes in terram emerſiſſent, a Pompeji equitibus aut capti ſunt, aut interempti; Cæſar incertus utrum ad Cornificium, an ad Meſſalam aufugeret, ad Abalam portum forsè fortunâ delatus eſt; atque ad Meſſalam tandem evaſit, præſenſque

Ejuſdē exercitus qualis.

Navalis pugna inter Cęſaré, & Pomp.

que ſibi, liburnicâ ad Cornificium emiſsâ, nunciis âliò deſtinatis ſe ſalvum eſſe admonet; præſidia ad Cornificium afferre imperat; Carrinæ, qui tres legiones ſub Meſſala habebat, ut Liparam adnavigaret; Agrippæ denique, ut Cornificio periclitanti cum exercitu ſub Laronii ducatu occurrat, maturè perſcribit.

Cornificius Mylas cõtendit.

Jam Cornificius ciborum inopià coactus, reliquis, quę ex pugna ſuperarant, navibus combuſtis, caſtriſque relictis, ſuos in aciem educit, hoſteſque ad bellum provocat; Pompejanis autem pugnam cum deſperatis capeſſere detrectantibus, fame coactus ulteriùs progreditur, ac Mylas iter convertit, laceſſituſque per media camporum ab equitibus, ac aſperis præſertim in locis ab leviter armatis hoſtibus, quarta demum die ad inaquoſam tellurem, quam ignis rivum appellabant, ex profluvio nempe Ætnæorum ignium aduſtam devenit; qua ſumma cum difficultate emenſa, ad fontem evaſit, ubi denuo ab hoſtibus impetitur, Pompejo ipſo cum gravis armaturæ militibus ſuperveniente.

Ab hoſtibus in itinere vexatur.

Actum de toto exercitu fuiſſet, ni Laronius tribus cum legionibus ab Agrippa præmiſſus opportunè adveniens feſſos ſublevaſſet. Hunc, an amicus adventaret, Romani primùm clarè minimè advertebant, verùm ſpe ducti, ac ejuſmodi fore ſuſpicati, ad eum deferuntur. Poſtea verò quàm hoſtes fluvium deſerentes, ne in medio clauderentur, deprehendunt, clamore ob ingentem lætitiam elato, reclamante ad eos Laronio, curſu ad amnem ſe recipiunt. Vetabant Duces aquas confertim haurire;

Romani illi auxiliatũ accurrunt.

hinc qui minùs paruiſſent, avidèque biberant, extinguebantur. Pompejus ad hæc tanta celeritate diſceſſit, ipſum adeſſe Agrippam exiſtimans, ut etiam in caſtris partem alimentorum relinqueret, quam Cornificii copiæ occuparunt. Ex inſperato igitur Cornificius, exercitus ſui parte delata, Mylas ad Agrippam pervenit.

Hic autem paulò ante Tyndaridem acceperat, locum commeatu refertum, & ex mari ad bella gerenda accommodum, ad quem Cæſar ipſe equites, pediteſque deduxit. Aderant quippe illi in Sicilia armatorum viginti & una legiones, equites ad viginti millia, levis armaturæ ultra quinque millia; Ad hæc Mylas, & Tyndaridem obtinebat.

Cęſar. & Põp. vires.

Cæterò Peloridem, & maritima omnia Pompejus occupabat, a quo & utraque anguſta locorum circa Tauromenium, & Mylas, Fauces appellant, tenebantur. Exitus inſuper montium mœnibus occluſerat, & Cæſarem e Tyndaride ulteriùs euntem, ne congredi poſset, infeſtabat. Inter hæc rumore exorto Agrippam ad Peloridem navigare, relictis Pompejus circa Mylas locorum anguſtiis, ſeſe proripuit, eaque Cæſar protinus occupavit, & cum his Mylarum & Artemiſii exigua oppida. Fama deinde de Agrippæ profectione ut inani evaneſcente, Pompejus anguſta illa intercepta audiens, Tiſienum cum exercitu advocat. Huic Cæſar occurrere decreverat, cæterùm itinere delapſus, circa Myconium montem ſine tentorio, imbreque deinde vehementiſſimo exorto, utpote autumnali tempore, celtico ſcuto nocte perpetua protectus conſtitit.

Ætnę montis incendia.

Horridi porro Ætnæ fetores, ingentes mugitus, fulguraque circa exercitum ſplendentia milites terruere, adeo ut Germani præ timore e ſtratis exciti in non levem admirationem deferrentur, nec amplius fabuloſa crederent quæ de montis incendiis vulgabantur. Ut Gallus porro Tiſienus Pompejo, ita & Lepidus Cæſari cum copiis acceſſit; qui frumentatum eò devectus fuerat. Et Lepidus quidem, qui ut Cę-

ſaris

ſaris collega omnia æquato imperio adminiſtrare volebat, quum tantùm Cæſar Lepidum utì legatum habere decreviſſet, ad Sextum Pompejum jam inclinare videbatur, quod advertens Cæſar, ne eum palam hoſtem ſibi redderet, ſtatuit quamprimum prælio decernere, priuſquam novi aliqui motus exiſterent. Alimentis quippe, & pecunia Pompejus deſtituebatur, ita ut ſpes eſſet prope diem, poſſe eum citra pugnam coerceri. Pluribus enim per inſulam univerſam leviter inter utraſque partes geſtis præliis, nullo inſigni peracto opere, Cæſar Taurum, qui Pompeji commeatum interciperet, & urbes neceſſaria illi ſubminiſtrantes invaderet, emiſerat. Pompejus itaque & ipſe his maximè exagitatus, majore prælio decertare inſtituerat, veritusque Cæſaris peditatum, quum claſſe longè ſuperaret, ad Cæſarem deſtinat, ut ſecum maritimo bello velit de re univerſa decernere. Hic etſi a maritimis abhorreret, turpe ducens bellum detrectare, conditionem accipit.

Pomp. & Cæſar prælio navali cõfligere ſtatuunt.

Statuta eſt illis dies, in quam trecentis utrinque navibus concurreretur. Terrà quoque inſtructæ acies ſunt, quæ maritimo prælio decertantes ſpectarent. In eo labore ſita utriſque rerum ſumma videbatur, ita ut nihil reliqui ad inſtruendas claſſes omitterent. Ubi itaque dies prælio deſtinata illuxiſset, protinus remigum contentio, clamorque tollitur. Telorum ſubinde partim ex machinis, partim e militum manibus excuſsorum ingens videbatur multitudo; ad hæc lapides, ignemque ferentes machinæ, ſagittæque volitabant; Naves magno impetu in unum delatæ ſimul connectuntur, hæ quidem e latere, aliæ e tignis proram ſuperantibus, nonnullæ roſtris concurrentibus, quo ex loco vehementiores ictus, concuſſiones, & inſultus prodibant; ita ut mare cædibus, armis, naufragiiſque redundaret. Interim pedeſtres copiæ e terra ſpectantes eo in bello propriæ ſalutis ſpem ſitam arbitrabantur; nihil tamen diſcernere poterant, ſexcentis navibus magno ordine a longe conſiſtentibus, exclamationeſque ſolùm, ejulatuſque, qui modo ab his, modo ab illis reddebantur, audiebant.

Ad quod utrique ſe parant.

Prælium committitur.

Agrippa interim plures ex Pompejanis navibus deſeciſse intelligens, ſocios quaſi adeptà victorià adhortatus ad pugnam, nullo omiſso labore fortiter incumbens progreſsus eſt, ingentique conatu hoſtium naves in fugam adigit. Ex his ſeptem ſupra decem celeri curſu reliquas antecedentes in altum deſeruntur; aliæ partim ab inſequentibus repulſæ ſunt, partim inſurgentes confractæ, aut igne abſumptæ; quæcumque verò in mari pugnam ſubſtinebant, quæ geſta erant intuentes, ſeipſas dedere. Sic Cæſaris claſsarii magno clamore victoriæ hymnum in mari concinentes a peditibus viciſſim e terra excepti ſunt; Pompejani autem fletus, ululatuſque ediderunt. Pompejus ipſe ex claſse ſe proripiens Meſsanam confugit, nullà peditum ob conſternationem ſuſceptà curà; qua ex cauſa illos per inducias, Tiſieno Gallo tradente, Cæſar ſuſcepit, quod exemplum Equitum præfecti ſecuti ſunt. Horum defectione Pompejus cognita veſtem immutavit, privatamque induit, atque ad Meſsanam præmiſit, ut quæcumque licuiſset claſſi propere imponerent. Plinium ſubinde ex Lilybœo octo cum legionibus ad ſe ſumma advocat celeritate, quaſi cum illis ſugam arrepturus. Et quidem Plinius ad illum properabat, verùm quum alios ex amicis ad Cæſarem transfugiſse, hoſteſque pontum adnavigare Pompejus intellexiſset, Plinio

Põpejani deficiunt.

Terreſtris Põpeji exerc. ad Cæſ. declinat.

Pōpej. ad Antoniū fugit. non expectato decem & ſeptem ratibus comitatus, uti prædictum, ad Antonium iter dirigit, utpote qui illi matrem jam pridem ſervaſſet incolumem. Plinius, non invento eo, Meſſanam ingreſſus urbem in poteſtatem redegit.

Interea Cæſar in caſtris ad Naulochum remanens Agrippam ad Meſſanæ obſidionem miſerat, cui ſeſe Lepidus addidit. Plinio ob inducias legatos mittente, Agrippa, ut Cæſarem opperiri vellet, ad auroram uſque ſuadebat; Verùm Lepidus, induciis oblatis, Plinii exercitu ſibi adſcito, cum ſuis ad urbem noctu diripiendam conſpiravit; quo audito, Cæſar ſequenti ſtatim die Meſſanam advolavit; *Lepidus Meſſanā diripit.* ubi Lepidum in colle quodam munito caſtra poſuiſſe, ſibique totius inſulæ imperium vendicare velle intellexiſſet, amicus ad illum de injuriis queſtum miſit. Obtendebat Lepidus, quòd prior in inſulam veniſſet, & plures civitates in deditionem acceptas haberet, velle autem Siciliam, ejuſque loco Libyam dimittere. Ob hæc conturbatus Cæſar ad eum venit, ingratitudinis ultro accuſans, minaſque ingerens, adeo ut utrinque irati diſcederent, ac confeſtim diviſis cuſtodiis, naves ex anchoris ſolutæ abirent; increbuerat enim rumor *Cæſar cōtra Lepidū ſe munit.* Lepidum claſſi inferre ignem velle. Quibus ex cauſis milites contriſtati, aliud inire civile bellum veriti, Cæſari adhærere videbantur, cujus virtutem ſummè laudabant, & Lepido negligentiam adſcribebant. Id Cæſar itaque advertens, quæ utilia viſa ſunt clanculum ad ſingulos præmiſit, eos adhortatus; hinc plurimi inter eos corrupti, ac præcipue qui cum Pompejo militave ant, referuntur.

His inſcio adhuc Lepido geſtis, Cæſar equitibus multis circumſeptus ad illius caſtra venit, dimiſſiſque ſociis, cum paucis ingreſſus præſens ad ſingulos milites teſtatur, ſeſe ad bellum invitum cogi. Salutantibus illis qui aderant, veluti imperatorem, primùm Pom*Legiones a Lepido deficiunt.* pejani ad eum accurrunt, veniamque poſtulantes, arreptiſque ſignis, atque ad eum allatis, tabernacula incipiunt evertere. Cognito Lepidus tumultu, ad arma concurrit, quumque accla nationes ubique ederentur, unus ex Cæſaris ſcutiferis occiditur, ipſe in thorace vulneratus, etſi telum haud corpus attigerit, curſu ad equites defertur, quorum præſidio caſtellum quoddam Lepidi aggreſſus evertit, ac aliud ſubinde eripuit. Poſt hæc alii & alii nocte a Lepido digreſſi ad Cæſarem venerunt, quorum exemplum reliqui ſecuti, poſtremi equites ab eo diſcedentes quemdam miſere a Cæſare ſciturl an Lepidum illis jam minimè imperantem occiderent, quod ille renuit. Sic Lepidus præter cunctorum fidem ex tam ſublimi for*Lepid. uti privatus ad Cæſarē venit.* tuna, tantiſque copiis ſolus brevi decidit, mutatoque ad Cæſarem habitu procurrit, cæteris veluti ad ſpectaculum quoddam inſequentibus. Cæſar advenienti aſſurrexit, & ad genua procumbere volentem prohibuit; verùm habitu quo venerat indutum Romam privatum miſit, ubi virum deinceps inglorium egit.

Pompejum porro Cæſar neutiquam inſecutus eſt, nec aliis ut inſequeretur injunxit, ſive quòd in Antonii principatum manum efferre dubitaret, ſive eventum rei, & quæ moliretur ille opperiri mallet. Erant tunc Cæſari in Sicilia degenti peditum legiones quinque & quadraginta; equitum millia viginti quinque, levis armatu*Cæſaris exercitus in Sicil.* ræ, ultra equites in ſextuplo, ſeptem ſcilicet & triginta millia; naves longæ ſexcentæ, onerariarum multitudo ingens, quarum non indigus dominis demitti juſſit. Exercitum victoriæ præconiis ornavit,

non-

nonulla pollicens, quædam actu attribuens, coronas & honores omnibus exhibuit, veniam denique Pompeji ducibus impendit. Tam grandi nihilominus florenti gloria fortuna invidiſſe viſa eſt; Nam ejus exercitus vel maximè familiaris, ac domeſticus in ſeditionem exarſit, a militia diſſolvi poſtulans, & præmia iis æqualia, qui in Philippis depugnaſſent, ſibi præberi exigens. Cæſar id prælium haud par huic fuiſſe ajebat, pollicituſque eſt ipſis condigna traditurum cum iis, qui ſub Antonio meruerant, ubi idem acceſſiſſet, Non auſcultantibus illis, poſt multa, antiquioribus denique, qui in Philippis, & Mutinæ meruerant, miſſionem depoſcentibus ultro conceſſit, & ad viginti millia ſacramento liberatis, ex inſula eduxit, ne cæteros ad diſſentionem, tumultumque excitarent. Præſentes deinde laudibus proſecutus, quàm ocyſſimè a militia pollicitus diſſolvere, ac divites effecturus, actu quincentis drachmis unumquemque donavit; Quam ut exolveret ſummam mille & ſexcentorum talentûm tributa Siciliæ impoſuit; Prætores ad hæc Libyæ & Siciliæ declaravit exercitu in utraque diviſo; Naves ab Antonio ſuſceptas Tarentum remiſit; reliquarum copiarum partem in Italiam claſſe deferri juſſit, partem ex Inſula ipſe enavigans ſecum duxit. Hæc ſumma Siculi belli inter Octavianum Cæſarem, Sextumque Pompejum Magni filium fuit, quod a Dione curſim, atque ab Appiano enucleatiùs deſcribitur. *Militū ſeditione turbatur.* *Quos tandem compeſcit.*

§ 4. DE REBUS IN SICILIA GESTIS A CHRISTI DOMINI ORTU AD GOTHORUM INVASIONEM.

Devicto Antonio Cæſar, receptâque in ſe omni Reipublicæ cura, populo ac Senatu confirmante, negavit ſe velle omnes obtinere provincias, infirmiores idcirco, ſive pacatiores eidem Senatui attribuit, quas inter Sicilia enumerabatur; Potentiores verò, & quæ plus periculi oſtenderent, ſibi retinuit. Ex his duas Conſulares, decem Prætorias eſſe decrevit. Illæ Africa, & Aſia, ex reliquis una Sicilia fuit. Annuos magiſtratus ex Senatorii ordinis præfectos voluit, qui non accincti gladio, nec militibus ſtipati, ſed habitu, & cultu ejuſdem ordinis procederent. Proconſules etiam appellari placuit, latiùs vocis ſignificatione extenſa, ut non modo hos, qui ex Conſulatu provincias ſortirentur, ſed Prætores etiam, qui eorum loco haberentur, vox illa comprehenderet. Hinc tot Siciliæ Prætores poſt Auguſtum Proconſules in tabulis legimus, hinc Dio proconſularem provinciam fuiſſe Siciliam ſcribit. *Auguſtus Provincias ordinat.*

Anno ejuſdem Auguſti Cæſaris circiter quadrageſimo, ab inito ſcilicet ejuſdem principatu poſt C. Julii Cæſaris cædem, JESUS CHRISTUS Dei, & hominis filius mundum adventu ſuo piiſſimo conſecravit; quo ſanè tempore ejuſdem Principis opera, pace terrâ marique parta, univerſus orbis ſumma tranquillitate fruebatur; reſque in Sicilia poſt deletum Seleurum pacatiſſimæ erant. Veneris Erycinæ templum tunc corruiſſe deducta a majoribus fama noſtri nihilominus tradunr. Diodori enim ævo, qui Auguſto rerum potiente vivebat, integrum celebre id veteris ſuperſtitionis monumentum *Sub eo Chriſtus Dñus naſcitur.*

erat, collapſum verò, ac deſolatum Strabo memorat; qui Tiberio imperante ſcripſit; orbemque ſub Auguſto peragravit. Ex his autem non improbabilis ſub id temporis templi ruina colligitur. Hinc Segeſtani apud Tacitum lib. 4. temporum injuriâ ac vetuſtate delapſam Veneris ædem ad Erycem montem reſtaurari a Tiberio poſtularunt, qui opus fortaſſe aggreſſus, ad perfectionem minimè deduxit; paucis enim elapſis annis Claudium ex ærario Populi Romani reficiendam illam ſanxiſſe narrat cap. 25. Svetonius; quod Marcellus Donatus in notis ad Hiſ. Aug. Scriptores advertit. Tulit tunc Sicilia celeberrimum Hiſtoricum Diodorum Agyrinenſem, qui libris XL. Bibliothecam ſuam confecit, reſque omnes totius terrarum orbis complexus, ex innumeris penè ſcriptoribus integrum univerſalis Hiſtoriæ corpus reliquit. Sed ex libris illis XL. vix quinque ſupra decem integri, ingenti ſanè jactura, ſuperſunt.

Veneris Erycinæ tēplum inſtauratur.

Diodorus Sicul. Hiſtoricus.

Moriens Auguſtus, quoniam ſiniſtrâ fortunâ Cajum, & Lucium filios ſibi eripuerat, ſupremis tabulis, ut Liviæ uxori morem gereret, Tiberium Claudium hæredem dixit, quem mox Senatus callida cunctatione reſpuentem Auguſtum nominavit. Sub ejus imperio Chriſtus Dominus Crucis mortem ſubſtinuit, ut ſempiternæ vitæ humanum genus aſſereret, exurgenſque die tertia a mortuis legem Gratiæ diſcipulis ſuis evulgandam commiſit. Tunc ad Neptuni collis in Sicilia radices vallis abrupta, uti parentum traditione finitimi evulgant. Tyndarim quoque urbem prærupta rupi ad Tyrrhenum mare impoſitam mediam diſciſſam nonnulli credunt; Ut enim tenebras per univerſam terram factas Domino expirante conſtat, ſic & inſolitos motus eamdem pertuliſſe colligunt; Quumque & alibi ſub eodem temporis articulo factas montium, ac rupium diſciſſiones alii docent; noſtri etiam Scriptores gentici ſuffragante illis veteri fama, id idem in Sicilia accidiſſe memorant. Cæterò Apollonius apud Phlegontem de Mirabilibus, Aſiam, & Siciliam terræmotu devaſtatas Chriſti Domini anno circiter XIX. tradit; incertum hinc erit, quo potiſſimum tempore hujuſmodi caſus acciderint.

Mors Chriſti Dñi, & Reſurrectio.

Terremotus in Sicil. & Aſia.

Poſt Tiberium Cajus Caligula Reipublicæ regimen invaſit, quod moribus, maliſque actibus fœdavit. Hic in Siciliam ſemel iterumque delatus, primò Haſticos ludos Syracuſis exhibuit, ejuſque mœnia & templa reſtituenda curavit; irriſis hinc in Deorum contemptum nonnullis miraculis, quibus Inſula abundat, alicubi obſervatis, ubi Ætnæ fumum vidit, mugituſque, ac tonitrua perſenſit, Meſſanæ repente ſolvens, noctu paveſactus profugit. Caligulam Claudius excepit, cujus imperii anno primo Apoſtoli Pauli appulſum ad Mamertinam oram Meſſanenſes adſtruunt, ſubindeque ad eos Virginis Deiparæ Epiſtolam datam ex antiquiſſima traditione promunt. Conſulendi de his Inconſer Beliius, Reina, Morabitus, aliique non pauci recentiores. Nec diu poſt felicior Sicilia evaſit ob invectam per Apoſtoli Petri diſcipulos Pancratium, Martianum, & Beryllum, propagatamque in ea Sanctiſſimam Chriſti Domini Religionem. Pancratium Petrus ipſe Tauromenii inviſit, alioſque per inſulam Verbi divini propagatores deſtinavit Bacchilum, Philippum, Libertinum, ſingulâ ex præcipuis urbe eorum cuilibet adſignatâ, Bacchilo ſcilicet Meſſanâ, Philippo Panormo, Libertino Agrigento. Martianum quippe primùm Syracuſanis addixerat, Beryllum ſubinde Catanenſibus. His ſtrenuè adlaborantibus, brevi per inſulam penè univerſam

C. Caligula, in Sicilia.

Siculi Epiſcopi Apoſtolici.

Cre-

Credentium in Chriſto numerus adeo excrevit, ut ſolicitudinis ſuę partibus facere ſatis idem Apoſtolorum Princeps enixè ſatagens, iter ſecundum in Siciliam inſtituerit. Sed hæc traditionibus innixa, grę-cisque ut plurimum ſcriptoribus probata, illuſtrandæ veritati haud omnino faciunt. Singula admittere non auſim, nonnulla inter dubia verſari, pauca certocertiùs affirmari poſſe putaverim. *Divi Petri appulſus in Siciliam.*

Jam verò Neronis anno VI. Paulus, quum vinctus Romam duceretur, ex naufragio primùm Melitam, Syracuſas ſubinde venit, oramque Siciliæ orientalem circumlegens, Rhegium Calabriæ appulit. Et Syracuſis quidem triduò manens, quòd, Martiano dudum ibi Epiſcopo conſtituto adjutore, Verbi Dei prædicationi inſtiterit, noſque Chriſti fideles in veritate confirmaverit, non ambigo; Quumque lentè navigando, alicubi deſcendere fortaſſe contigerit, non inanis quorumdam inſulanorum traditio erit, qui Paulum a ſuis olim hoſpitio exceptum evulgant. Eodem Nerone primam in Chriſtianos perſecutionem movente, quòd Romani incendii ab ſe excitati authores illos falſò rumore obtruſerit; complures in Sicilia ſæviſſimis pro veritate ſuppliciis affecti, vario mortis genere interempti ſunt; quorum, ut nomina ita & martyrii locus ignorantur. Annus a Chriſto nato nonus & ſexageſimus tres in Republica Principes ſuſpexit, Sergium Galbam, Othonem, & Vitellium, quod Siculum ſub idem tempus monſtrum præmonſtravit: Syracuſis enim non ignobilis mulier filium peperit, cui triplex erat caput, tria colla ex uno eodemque corpore prominentia. Portentum hoc interpretantes nonnulli, Siciliam, quæ Trinacris dicitur, quòd tribus promontoriis conſtat, perituram dicebant; niſi in unum conſpiraverit. Tunc enim Civitates complures inter ſe mutuò diffidebant. Alii Typheum, qui & ipſe pluribus fingitur capitibus præditus, res novas, ajebant, Siciliæ minitari. Verùm Apollonius magicæ artis callentiſſimus, qui Syracuſis tunc verſabatur, Damide quodam ad ſe vocato ſingillatim de monſtro ſciſcitatur; quo triceps ipſum & maſculum eſſe referente, ſociis convocatis Apollonius: Tres, inquit, erunt Romani Imperatores, nec eorum quiſquam imperio perfectè potietur, ſed alii ipſa in Urbe, alii circa finitima loca poteſtatem adepti mox peribunt. Vitellio proin a militibus imperii menſe octavo, ob impios mores interfecto, Veſpaſianus orbis regimen ſuſcepit; Huic verò decimo poſt anno Titus filius, humani generis deliciæ meritò appellatus, ſucceſſit, qui aliquando e Paleſtina redux Siciliam inviſit. Expugnatâ enim, deletaque Hieroſolymâ, in Italiam feſtinans, Meſſanam appulit, ſubinde Rhegium, mox Puteolos, unde Romam pervenit. *S. Paulus Syracuſis verſatur.* *Monſtrum triceps in Sicilia.* *Tres Romanos Principes prę-monſtravit.*

Tito mortuo, Domitianus ejus frater omnium nequiſſimus faſces obtinuit. Sub eo ſævior Chriſtianorum ſtrages; lętiori hinc germine per omnes Siciliæ urbes erupiſſe Chriſti Domini religionem non inaniter conjecto, pluresque Siculos martyrio coronatos in hac Domitiani perſecutione licet ſuſpicari, quorum definiri geſta, aut nomina vix poſſunt. Poſt Domitianum Nerva optimus princeps Romani imperii clavum tenuit, quem non diu Roma meruit; Poſt hunc Trajanus obtinuit. Eo imperante crudelius in Chriſti fideles bellum indictum circa ſæculi ſecundi initium, anno ſcilicet CIX. ut Pagio, & Baronio arridet, noviſque triumphis Sicula Eccleſia decorata, illuſtri præſertim S. Pancratii Tauromenitani Pontificis martyrio, quem ad hæc uſque tempora ſuperſtitem ſingulari Dei providentia Nicephorus teſtatur, quod idem de Beryllo non pauci tradunt. *Martyres in Domitiani perſecutione.*

Adrian. Ætnã conſcendit

Adrianum Trajani ſucceſſorem cupido inceſſit magnam orbis terrarum partem peragrandi, omnia enim, quæ legerat de locis orbis terrarum præſens addiſcere voluit. Socias hinc urbes atque imperio ſubditas multò plures, quàm ullus unquam Imperator vidit. Hinc ex Achaja in Siciliam delatus montem conſcendit Ætnam, ut Solis ortum arcus ſpecie, ut ajunt, varium videret. Nummi tunc in Sicilia cuſi dicuntur cum epigraphe: *Adventui Auguſti Sicil.* ſpectaturque in illis ſpicis coronata Ceres, ac ipſe Adrianus ante tripodem veluti ſacra faciens. Adrianum excepit Antoninus cognomento Pius, ſub quo Thermas majores Achillianas Catanæ conflagraſſe vetus græca docet inſcriptio, atque a Q. Luſio Laberio Siciliæ Proconſule inſtauratas latina alia epigraphe teſtatur. M. Aurelius Itinerarii, ut tradunt, Author, Antonini ſucceſſor, antequam regimen capeſſeret, in Siciliam venit; in eo enim opuſculo iter ſuum Aurelium deſcripſiſſe nonnulli credunt. Eo imperante res Chriſtiana, quæ felici incremento altas egerat radices denuo turbata. Nec felicior ſub filio, ac ſucceſſore Commodo fuit; cujus ineunte regno Pantænus Siculus omni humanitatis literatura præſtantiſſimus, Philoſophorumque, qui Stoici ſunt appellati, diſciplina inſtitutus Alexandriæ Chriſtianorum ſcholæ præfuit. Plures poſt Commodum ſubrogati Principes, qui per menſes adminiſtrarunt, Septimio Severo locum ceſſere; Hic dum in Sicilia Proconſulem ſub Commodo ageret, quaſi de Imperio Vates, Chaldeoſque conſuluiſſet, reus apud Præfectos Prætorio factus eſt; mox verò Commodi rebus in pejus ruentibus abſolutus, acto in crucem calumniatore, non inane fuiſſe præſagium demonſtravit. A Septimio ad Decium nil habuit Sicilia illuſtre, quod faſtis inſeratur.

M. Aurelius Ant. Siciliam inviſit.

Septim. Severus Sicil. Proconſul.

Imperavit Decius Chriſti anno ccxlix. ſtatimque in hujus affeclas debacchatus Fabianum Romanorum Pontificem e medio ſuſtulit. Vacante hinc ſede, Urbis Clerus ad Siculos literas dedit, earumque exemplar ad Cyprianum Carthaginienſem Epiſcopum miſit, ubi de lapſis in Eccleſiam recipiendis, ac coercendis nonnulla perſcripſit, uti ex contextu Epiſtolæ ad eumdem Cyprianum eruunt Eruditi. Præerat tunc Inſulæ Proconſul Quintianus, ac Catanæ degebat, ubi eximiam, caſtiſſimamque Virginem AGATHAM generis nobilitate illuſtriſſimam, eadem in urbe ortam, Chriſtianæ religionis titulo comprehenſam poſt acerbiſſimos cruciatus morte affecit. Paſſos cum Agatha complures alios tradunt Agiographi; & ſæviſſimam quidem tunc temporis factam Chriſti fidelium lanienam in Sicilia arguunt, tum Decii decreta, tum efferata Proconſulis crudelitas, quam demum in Agatha totam exercuit, adeo ut ad repentinam vindictam Deum provocarit, præcepſque in Symæthum dejectus meritas luerit pœnas. An ſub Quintiani ſucceſſore, quem Tertullum fuiſſe autumant, tres inclyti fratres Alphius, Philadelphus, & Cirinus fuerint apud Leontinos martyrio conſummati, anceps Scriptorum opinio eſt. Illos enim Tertullumque præfectum in aliud ævum nonnulli amandant.

Cleri Rom. ad Siculos Epiſt.

Agatha ſub Quintiano Catanæ paſſa.

Varios poſt Decium in Romano imperio motus fuiſſe conſtat, quòd intra quadriennium Principes quatuor ſibi mutuò regnum proripuerint, donec Valerianus ab exercitu ſalutatus rerum ſumma anno ccliv. potiretur. Hic filium Gallienum Cæſarem dixit, qui ſolus poſt Patris captivitatem regimen tenuit, ſuâque ignaviâ, ac negligen-

Gallienus Imperator ſalutatus.

Porphir. Philoſophus in Sicilia verſatur.

Iſagogē, & de Ætna Hiſtoriā ſcribit.

gentiā ſedavit. Tunc a triginta Tyrannis Reſpublica peſſimè affecta; nec ſuis caruit malis Sicilia a latronibus undique vexata, qui egrè tandem ſunt milite deleti. Sub Gallieno Porphyrius celebris philoſophus in hanc inſulam defertur, ut Probi Lilybœtani Philoſophi doctrina frueretur, quumque ei Cryſagorius nobilis juvenis æquè ac dives ſciendi cupidiſſimus adhæſiſſet, hanc nactus occaſionem, ut Ætnæ incendia, eorumque indolem coram ſcrutaretur, montem conſcendit. Reperit interea temporis Cryſagorius Ariſtotelis Categorias, quarum aſſequi mentem neutiquam poterat. Quapropter Porphyrio rem ſignificans peregrè tunc degenti, rogat, ut ſi incendii naturam exploraſſet, domum redeat; ſin minùs ut Iſagogem quamdam ſcribat, cujus ope libri ſenſum aſſequeretur. Quumque Porphirius nedum redire poſſet, ſcripſit ei brevem librum, quem fermè a verbo ad verbum ex Platonis ſententiis collegit. Exaraſſe Porphyrium de Ætnæo igne hiſtoriam, obſervant Eruditi ex Ammonii verbis in Iſagog. Comm. Plotinumque Porphyrii præceptorem, Lilybœum quoque cum diſcipulo Probi inviſendi gratiā, divertiſſe tradunt.

Syracuſę a pyrat. diripiuntur.

Diocletiani perſecutio

Octavo poſt occiſum Gallienum anno M. Valerius Probus imperium tenuit. A Claudio enim Gallieni ſucceſſore ad Florianum, cui Probus ſucceſſit, res Siculæ quieverunt. Sub eo Syracuſas a Pyratis prædā cædibuſque direptas legimus. Francos hoſce fuiſſe nonnulli tradunt, Flavius Vopiſcus Syracuſanus in Probi vita Vandalos appellat. M. Aurelio Caro & filiis, qui Probum exceperant, Diocletianus ſubrogatus Orbi Chriſtiano & Siciliæ cumprimis infenſiſſimus evaſit ob teterrimam, immanemque perſecutionis procellam in fideles motam, quam Galerius Maximinus ex Africa Lilybœum aliquando devectus ſuā præſentiā auxit. Hac detonante, Vitus & ſocii ſub Valentiano Proconſule, Magna illa celebriſque Virgo Lucia Syracuſis ſub Paſchaſio, Euplus Catanenſis Diaconus ſub Calviſiano ſatis ſua paſſione inſignis, aliique penè innumeri Siculos faſtos glorioſā martyrii memoriā implevere.

Cōſtantini in Eccleſiā merita

Cōſtātii in Catholicos bellū.

Quievit ſub Conſtantino Eccleſia, qui ſacris Baptiſmi undis ablutus plures ſacris Romanis ædibus attribuit facultates, terraſque per Siciliam, quæ Maſſæ nomine apud Anaſtaſium Bibliothecarium veniunt. Idem Chreſto Syracuſano Pontifici præcepit, ut ſui muneris conſortes ſecum ad Synodum Arelatenſem deferret, utque illis iter agentibus Rhedæ publicæ miniſtrarentur Latroniano Siciliæ Correctori indixit. Celebratum ſubinde, eodem Conſtantino agente, Concilium Generale Nicenum, in quo aſſediſſe Siculos etiam Epiſcopos, ac inter eos Capitonem Athanaſio vel maximè memoratum, non ambigunt Agiographi; quin & ſuam provincialem Synodum, in qua Nicæna fides acclamata, eos habuiſſe ex eodem Athanaſio, & Baſilio eruunt. In Sardicenſi quoque poſt Conſtantini mortem habito noſtri adſtitere, quidquid Pyrrus obtendat, uti ex D. Baſilii, Hilarii, & Athanaſii ſcriptis alii clariſſimè evincunt. Decedens Conſtantinus tribus filiis imperium diviſit, noſtraque Inſula Conſtanti obvenit, eoque mortuo Conſtantio paruit, qui Arianas ſectatus partes, Siculos etiam orthodoxos, Evagrium præ cæteris incertæ ſedis Epiſcopum variè afflixit.

Poſt Conſtantium Julianus Apoſtata orbis regimen aſſecutus blandum, ſed eò perniciosius in Chriſti fideles bellum indixit, quem Sy-

Terremotus in Sicilia.

cuſis aliquando diverſatum dicunt. Ejus ætate plures atque inſigniores Siciliæ urbes terræmotu corruiſſe notat Libanius Sophiſta, magnamque annonæ penuriam univerſam pene terram devaſtaſſe. Tunc autem temporis magnus ille Hilarion Anachoretarum antesignanus mundanæ gloriæ impatiens, Oriente relicto, in Siciliam ad Pachynum promontorium delatus, ingreſſuſque mediterranea diu latuit; verùm ſignis ac prodigiis brevi agnitus, rurſus ſe proripiens, in Dalmatiam migravit. Monaſticam hinc diſciplinam ea occaſione in Siciliam invectam tradunt, quin & Monachorum colonias ex eodem oriente deductas ad hanc ætatem revocant. Floruit quoque eodem ævo multigenæ literaturæ gloriâ inſignis in Sicilia Julius Firmicus Maternus, qui ex Ægyptiorum, atque Babyloniorum obſervationibus de Aſtrorum indiciis non indiligenter tractavit, & de prophanarum Religionum erroribus libros conſcripſit, quos Conſtantino Juniori Magni filio nuncupavit. An idem fuerit Mediolanenſis Pontifex dubitatur. Cajetanus, qui affirmat in Iſagoge, ex monumento Patrimonii, & prædiorum, quæ ſæculo VI. in Sicilia Mediolanenſis Eccleſia poſſidebat, id conſtare ſibi facile perſuadet. Julio Firmico Mamertinus ſummus Rhetor annectendus, qui patriâ Meſſanenſis, Juliano ob virtutem chariſſimus evaſit, & Conſulatum meruit.

Hilariō ad Pachynū venit. *Julius Firmicus Maternus Siculus.* *Mamertinus Rethor, & Coſul.*

Periit Julianus biennio nondum regiminis exacto poſt quem Jovinianus optimus princeps menſibus octo obtinuit. Huic in occidente Valentinianus ſtudio in Fidem Catholicam commendandus, in Oriente verò Valens vitiis, crudelitate, atque Arianâ perfidiâ celebris ſucceſſores deſignantur anno CCCLXIV. Sequenti ſecundum Provinciale Concilium in Sicilia coactum reponunt, cujus hæc occaſio memoratur: Lampaſceni Concilii Legati ad Liberium venerant fidei Nicenæ libellum omnino conformem offerentes, & communicatorias, ut ajunt, ad orthodoxos orientales Epiſcopos literas viciſſim ab Romano Pontifice acceperant; quibus muniti in Siciliam devecti, Præſulum provinciæ convocata Synodo, coram illis ſimiliter Filium Patri conſubſtantialem profeſſi, fidei Nicenæ formulam ratam habuere; obtentiſque a Patribus Siculis literis Pontificiæ conſonis; illas ad ſuos retulerunt, moxque eaſdem in Tianenſi Conventu publicè lectas, ad cæteras orientales Eccleſias tranſmiſere. Jam Terræmotus ingens Urbem, & Siciliam rurſus, teſte Paulo Diacono, adeo concuſſit, ut mare littus prætergreſſum, oppidaque innumera ſolo æquata non paucam populi multitudinem abſumpſerint. Sub Valente Theodorus, & Procopius generis claritate conſpicui inter Siculos facilè principes, neci traditi leguntur. Ille pulchritudine, & magnitudine corporis, nec non authoritate apud Imperatorem omnibus præſtans, qui ea poterat, quæ familiarium interiorum nemo, proſperam illam fortunam non moderatè ferens, domino ſuo inſidiatus, & deprehenſus, miſerrimè capite plexus periit. Quamvis Valenti inviſum alii dicant, eo quod Theodori nomen illi eſſet. A Magis quippe Valens audierat, ſibi ſucceſſorem futurum, cujus nomen initiales haberet literas Theod. unde præcipuos quoſcumque viros juſſit interficiendos, hujuſmodi nomine, aut ſimili nuncupatos. Jam Procopius Juliano Imperatori ſanguine junctus, militum, ac plebis favore ad regnum adſpirabat, ſed a ſuis deſertus, atque in fuga captus Valenti ſiſtitur, & capite truncatur. Ambroſii cujuſdam Siculi Symmachus meminit Epiſt. ad Auſonium ex Provinciæ proceribus

Provinciale Siculū Concilium II. *Theodorus, & Procopius viri principes, Siculi.* *Ambroſius Siculor. legatus.*

ibus, ejuſque nomine ad Imperatores legati, ut de bono Siculorum publico coram illis ageret, quem virum optimum appellat. Domnus denique Siciliæ Conſularis memoratur in Codic. Theod. lib. 29. ad quem anno CCCLXVIII. extat eorumdem Principum Epiſtola. *Domnus Sicil. Conſularis.*

Valentiniano mortuo, & Valente a Barbaris in fuga occiſo, Gratianus, & Valentinianus Junior illius filii ſubrogantur; quibus rerum ſumma potientibus, Occidentis provinciæ, atque in primis Sicilia ſæva contagione depopulatæ. Gratianus porro oneri impar Theodoſium regni ſocium ſibi adſcivit, in quo uno tandem ſumma poteſtas coaluit uſque ad anni CCCXCV. initium, quo Arcadius & Honorius ejus filii ille Orientis, hic Occidentis regimen ſunt nacti, ſtatimque ad Euſebium Siciliæ Conſularem mandata expediunt, ut tertia pars redditum Reipublicæ reparandis publicis operibus, & Thermarum ſubuſtioni impenderetur. Per hæc tempora Urſus Ràvennas, & Baſſianus Laudenſis Epiſcopi ambo Siculi ſumma nominis celebritate efflorueruut. Ab illo princeps ſacra ædes Ravennæ fundata Urſiana ad hæc ipſa tempora dicitur; Alter S. Ambroſii commilito non injurià eſt appellatus. Anno ab inito imperio tertio Honorius lege undique lata cultum Idolorum graviſſimis indictis pœnis damnavit, diruique illorum delubra præcepit. Tunc celebrem Palicorum aram, ac templum, atque alibi alias paſſim per inſulam Dæmonum ædes ſolo æquatas tradit Caruſius lib. 9. quarum aliquot ſacrificio, cultoribuſque prophanis deſtitutæ, Chriſtiano ritu initiantur. *Euſebius Sicil. Conſularis.* *Urſus, & Baſſianus Epiſc.*

Inſequens ſæculum orbi, ac Siciliæ infauſtum; parum quippe abfuit, quin Pelagiana hereſi, quæ altas ubique egerat radices, tota inſula inficeretur. Melania ſenior in Siciliam cum nepte, ejuſque ſocru tranſgreſſa, bonis, quæ in inſula obtinebat, divenditis, pretium Hieroſolymam in pios uſus erogandum tranſmiſerat; Junior verò diſtributis in pauperes Galliæ, & Hiſpaniæ prædiis, quæ in Sicilia, Campania, & Africa habebat, ſibi reliquit, unde monachis, egeniſque ſuppeditaret. Rufinus Aquileenſis presbiter cum Melania eò etiam delatus Pelagianæ hæreſeos virus effundere, incautoſque decipere, jam ſibi propoſuerat; quum ipſe Pelagius, Romà faceſſere juſſus, ac Cœleſtius ejuſdem aſſecla, & ſocius Syracuſas appellunt, ſuos ibi errores diſſeminaturi; Et turbata quidem plebs chriſtiana eorum falſis dogmatibus videbatur. Ubi autem Hilarius Auguſtini diſcipulus hæc ipſa dogmata magiſtro examinanda detulit, Magnus ille doctor ſummo verborum pondere Hilario reſcribens, erroribus profligatis, author fuit, ut Pelagius & Cæleſtius inſula excedere cogerentur. Hinc Divus Proſper carmine de Ingratis: ſumma fide Trinacriam agmen vipereum propriis exegiſſe oris memorat. *Melania, & Rufinus in Sicilia.* *Pelagius, & Cœleſtius Syracuſis.*

Pelagiana hæreſi in Sicilia ipſo ſub ortu oppreſſa, atque extincta, ab Alarici Gothorum Regis minis, ac barbarorum incurſionibus non ſine prodigio ſeſe liberam inſula vidit. Gothi ſub eodem Alarico per Campaniam, Lucaniam, Brutiumque debacchati, Rhegium pervenerunt, in Siciliam transfretare cogitantes, navibuſque conſcenſis, ubi trajicere parant, naufragium perpeſſi plures ſuorum amittunt; Alaricus inter hæc, dum quid ageret, deliberat, morte ſublata apud Coſentiam defunctus eſt. Photius in Bibliotheca ex mente Olympiodori rem ita enarrat: *Rhegium Metropolis eſt Brutiorum. Ibi hoc pacto refert Hiſtoricus Alaricum, dum in Siciliam trajicere parat, territum fuiſſe. Statua enim, inquit, inaugurata ibi ſtans* *Gothi Sicil. invadere parati pereunt.*

Fabula de Statua apud Rhegium.

trajectum vetabat. Fuerat verò hæc, ut fabulantur, ab Antiquis inaugurata, tum ut Ætnæ montis ignes averteret, tum ut maris tranſitu barbaros prohiberet; altero enim pede perpetuum ignem, altero verò perennem aquam præmebat. Quæ ſanè ab Olympiodoro ex vana gentium ſuperſtitione conficta omnino cenſentur.

DE GOTHIS SICILIAM OCCUPANTIBUS, ET POSTMODUM EXPULSIS.

CAPUT TERTIUM.

Romani Imperii caſus.

ROmanum Imperium, per arma omnium in orbe maximum; dum ingenti conſenſu, virtuteque ſummum attigiſſet culmen; ſubinde ceu ſenio per diſcordiam, ignaviamque confectum declinavit. Porro capto a Perſis maximo cum totius Imperii dedecore Valeriano, univerſa ſeptentrionis barbaries in Romani imperii ſuppreſſionem conſpiravit. Quæ licèt magna vi aliquoties retuſa fuerit, evicit tamen, ut dum Romani Principes vel inertiâ torperent, vel Principatus ambitione confligerent; Perſæ Aſiam, Gothi, & Hunni Thraciam, atque Pannoniam, Veſegothi Hiſpaniam, & Suevi Gallias, & Gothi tandem Italiam, & Siciliam ſibi occuparint.

Hunnorū Rex Attila.

Venetiæ fundata.

Gothi Italiam invadunt.

Sed libet hujus rei ſeriem paulò altiùs repetere. Anno Archadii orientalis, & Honorii occidentalis Imperatorum tertio, cum Hunni Pannoniæ Regem Attilam Honorii Imperatoris generum creaſſent, eo duce, toto ſeptentrione potiti orbis imperio etiam inhiabant. Imperante ſubinde Theodoſio juniore, Genſericus Wandalorum Rex Carthagine occupata, Siciliam etiam, atque urbem Romam invaſit, afflixitque, (1) nec multò poſt Attilas cum Hunnorum immenſo exercitu Europam excurſionibus, Italiamque vexandam ſuſcipit. Quo tempore (qui annus ſalutis tum erat circiter 450.) Venetiæ urbs, neceſſitate urgente, mediis in aquis habitari cepta eſt. Valentinianus verò tertius, qui Theodoſio ſucceſſit in imperio, cum permagnas externarum gentium copias adverſus Attilæ terrorem comparaſſet, Etii ductu rem fœliciter geſſit. Sed cum Etium intereniſſet, ipſe a ſuis in homicidii vindictam confoſſus periit, anno imperii, & ætatis 30. (2) Cæſo Valentiniano, & poſt ignobiles aliquot Imperatores, Auguſtulo Oreſtis filio Occidenti, & Zenone Iſaurico Orienti imperantibus, Odoacer inter Italos Oreſtis armiger, Gothorum, aliorumque barbarorum, quos Valentinianus in Italiam adduxerat, auxilio, Italiæ Principatum, & Tyrannidem annos 14. abrogato Auguſtulo, ſibi vendicaverat.

Per

Per id quoque tempus Gothi, qui ſub Theodorico Veronenſi Duce Thraciam Zenonis permiſſu incolebant, adverſus Romanos arma ſuſceperant. Erant Gothi non unius populi appellatione coacti, ſed Teutones ex Godlandia inſula, qui Livoniæ, & Lituaniæ partem occuparunt, quæ cum Godlandis ex adverſo per mare ſitæ ſint, non abſurdè inde Gothos, Cimmerios, & Getas aliqui appellant. Zeno igitur utriſque motibus prudenter conſulens Theodorico ſuaſit, ut in Italiam tranſiens, ab Odoacro occupatore ſibi, Gothiſque eam ſibi aſſereret. His munitus Theodoricus Italiam ingreſſus primùm non procul ab Aquileja Odoacri duces fœdè profligavit; mox apud Ravennam ipſum pluries victum triennio obſedit. Odoacer dura obſidione preſſus, deſperatiſque rebus Theodoricum tandem Dominii conſortem ſibi aſcivit, a quo ille non multò poſt ad cœnam invitatus, inter epulandum occubuit. Ita Theodoricus Odoacre interfecto, conſultori etiam Zenoni rebellis Italiam adipiſcitur. Quam cum ſæviori dominio annis pluribus tenuiſſet, quo regni Italici fines ampliaret, Siciliam magna claſſe adortus, eam tandem cum circumjacentibus inſulis ſuo adjecit imperio. (3) Qui poſtmodum cum inſula præſidiis munita, Panormum arcem ſibi conſtituiſſet, anno regni ſui 37. apud Ravennam abſque legitima virili proie deceſſit, cui Athalaricus ex filia Amalaſuenta nepos puer cum matre in regnum ſucceſſit.

Gothi unde origine cognoſcunt.

Theodoric. Odoacrē ſuperat.

Siciliam ſibi vindicat.

Interea mortuo Zenone, Anaſtaſius primùm, mox Iuſtinus, & poſt hunc Juſtinianus imperium ſunt adepti. Hic imperii initio per Belliſarium genere Græcum virum ſtrenuum, & impigrum, orientem Perſarum Regibus laceſſitum, & ab Hunnis, & Sarracenis turbatum (hoſtibus devictis) pacatum reddidit. Quod ubi Amalaſuenta cognovit, puero Athalarico metuens Juſtiniani amicitiam ſibi conciliavit. Poſt hæc Beliiſarius Imperatoris juſſu Wandalos, qui Africam nonagintaquinque annos proſcriptione tenuerant, ejecturus, a Methone cum claſſe ſolvens Zacynthum venit. Subinde leni vento diebus ſexdecim in Siciliam delatus, littoralia Ætnæ montis attigit. Unde Procopium, quem apud ſe tum velut oneris Imperatorii adjutorem habebat, clam ſciſcitatum mittit, an hoſtes inſidias contra ejus claſſem vel in Sicilia, vel in Africa paraſſent. Ipſe verò interea cum claſſe Caucanæ portum Pachyno ſuccedentem navigat.

Belliſarius in Sicil cum claſſe delatus.

Procopius cum Syracuſas adveniſſet, amicè a Gothis, qui tunc Sicilia potiebantur, receptus eſt, & ab Amalaſuenta, omnibus fermè Juſtiniani rebus ob fœdus cum eo initum favente, commeatum quantum claſſi ſuæ ſufficeret, pretio redimendum obtinuit, ibique præter ſpem Syracuſanum quemdam offendit amicum, eorum, quæ maritimæ expeditioni neceſſaria erant, præfectum, a quo nullas Wandalorum neque in Sicilia, neque in Africa paratas eſſe inſidias edocetur. De Africa verò ſe per ſervum ſuum, qui tertia jam ante die Carthagine redierat, inſtructum dixit Gilimatem Wandalorum tunc Regem nihil hoſtilè metuere, ſed, relicta Carthagine, locisque maritimis, apud Hermionem mediterraneam urbem a littore quatuor dierum itinere diſtantem, abeſſe. His Procopius acceptis, amici ſervum dexterà apprehendens, per Arethuſæ littus deambulabat, a quo cum omnia accuratiſſimè ſciſcitando, explorandoque cognoviſſet, & ad locum portus magni, ubi navim reliquerat, cum eo perveniſſet, paratam ſtatim navim ſecum ut aſcenderet, induxit,

Wandalorum vires explorat.

ac velis datis Cauconam appulit. Belliſarius viſo ſervo ; ab eo coram ſingula cognoſcere ſtudet, & inde ſolvens, Gaulon, & Melitam inſulas navigat, ac demum Africam ; ubi parvo labore expugnata Carthagine, & Gilimeræ Wandalorum Rege capto, ejus gentem delevit. Partâ victoriâ, milites quoſdam in Siciliam miſit, qui Lilybœum, quod Wandalorum adhuc erat præſidium, caperent. At cum Gothi, cognitâ Gilimeris capturâ, illud præoccupaſſent, Romani Lilybæo ſunt fruſtrati. (4)

Belliſar. Wandalos in Africa delet.

Verùm non multò poſt Athalaricus cum decem annos rerum potitus eſſet, decimo octavo ætatis anno fato functus eſt. Tum Amalaſuenta Theodatum conſobrinum connubio ſibi junxit, & in Regni conſortium adſcivit. At ille non diu poſt beneficii immemor, & perfidus, quò ſolus regnaret, in Vulſini lacus inſulam uxorem in exilium egit. Ubi eam per emiſſarios ad internecionem etiam coegit. Theodati hæc in Reginam perfidia, adeo Gothorum pleroſque duces turbavit, ut vix ſe a ſeditione continerent. Quæ cum Juſtinianus cognoviſſet, tempus idoneum ratus Italiæ ſimul, & Siciliæ liberandæ, mentem, animumque ad has partes convertit. Invitabat inſuper eum proſperitas imperii, quòd paulò ante & de Perſis, Duce Belliſario, jam bello victis triumphum egerat, & a Wandalis ſubactis Africam abſtulerat. Nec ferendum amplius ſibi exiſtimabat, ut contra decus Imperii Italiam, & Siciliam a Barbaris occupari pateretur.

Amalaſuenta, Goth. Regina.

His itaque de cauſis per legatos a Theodato reſtitui ſibi Italiam, & Siciliam poſtulat, offerens in eorum compenſationem dignitates alias, quæ ad æquitatem ſufficerent ; quòd ſi non annueret, bello ſe eas repetiturum minatus eſt. At cum Theodatus, legatis auditis, poſtulata recuſaſſet, non ultra cunctandum ratus, Belliſarium in Siciliam cum exercitu mittere decrevit. Inter hæc Gothi, creſcente in Regem ſuum ſeditione militari, Vitigini ſibi Regem creant, & cum eo Theodatum occidunt. Ita turbatis Gothorum rebus, Belliſarius cum claſſe, in cujus tamen apparatu non in Siciliam, ſed in Africam profectio ſimulabatur, in Siciliam navigavit. Habebat autem peditum delectorum copias ſatis magnas, quibus præerant Conſtantinus, Beſſas, & Herodianus ; equitibus verò etiam numero ſatis validis Valentinus, Innocentius, & Magnus, quibus omnibus ipſe facienda in bello imperabat. Proinde ſecutus Juſtiniani imperium, cum ſe Carthaginem petere confingeret, Siciliam in tranſitu applicuit ; neque ibi quicquam hoſtile ab initio molitus eſt, ſed quaſi reficiendorum militum cauſâ in eis locis alia, atque alia diſſimulans, tanquam inde exercitum in Africam trajecturus tempus terebat.

A Theodato Goth. Rege Sicil. repetita.

Belliſarii bellicus apparatus.

Subinde opportunitatem nactus, Catanam urbem ex inopinato adortus, ſuperatis Gothis, qui ibi præſidio erant, occupat. Mox copias oſtentans, non alienam perſonam gerebat, ſed apertè ad Siciliam ſe a Gothorum ſervitute liberandam veniſſe fatebatur. Deinde non multos poſt dies Syracuſas petiit, quas parvo labore, dedentibus ſe civibus, cepit ; quas ſecutæ plurimæ civitates certatim quodammodo in ejus poteſtatem venere. Accedebat ad hæc, quòd Gothi cum nullos per Siciliam belli apparatus feciſſent, ſubita Belliſarii invaſione, ac civitatum deditione attoniti, fugâ potiùs, quàm defenſione ſalutem metiebantur. Panormus urbs ſola, cui Sindericus Gothorum Dux cum validiſſima militum manu præſidio præerat, obſi-

Catanâ occupat, & Syracuſas.

Panormû obſidet.

obſidionem non ſolùm expectavit, ſed & hoſtes velut contemnens; per ludibrium miſſis nuntiis, deceſſum imperabat. Belliſarius verò & ſuis, & fortunæ viribus confiſus, mari eam adoriri ſtatuit. Cumque portus tunc temporis uſque ad mœnia veteris urbis pateret, & quibuſdam in locis mœnia adeo depreſſa eſſent, ut a navium malis ſuperarentur, claſſem intra portum confeſtim deſerri juſſit. Ubi jactis anchoris, & navibus in tuto firmatis, naviculas quaſdam ſagittariis implet; ſublataſque uſque ad mali faſtigia ſuſpendit; unde ex eminenti Gothi ſagittis undique icti, & inſtanti periculo in ſegnem, imbellemque formidinem acti, ſine mora Belliſario urbem dediderunt, anno 18. (5) poſtquam Siciliam ſibi occupaverant. *Tandemq. vi expugnat.*

Recepta Panormo, Belliſarius Syracuſas, quæ Siciliæ adhuc metropolis erat, reverſus, ludos magnificos edidit, atque numiſmata in multitudinem diſperſit. Sed cum a Juſtiniano, ad quem præceps hujus victoriæ fama pervenerat, ut in Italiam tranſiret, & Neapolim, & urbem Romam imperio reſtitueret, vocatus eſſet, dimiſſo Syracuſis, & Panormi militum præſidio, cum reliquis copiis Meſſanam venit, trajectoque freto, Rhegium petiit. Inde per Brutios, & Lucanos pedeſtri itinere Neapolim uſque exercitum duxit; claſſem verò per littus navigare fecit. Cumque non longè ab urbe conſiſteret, eam vallo cinxit, paucíſque diebus in obſidione tritis, per aquæductum noctu urbem invaſit; ubi tam Gothis, qui aderant, quàm Romanis bellantibus trucidatis, Neapolim pleno jure recepit, atque inde paulò poſt urbem Romam magnis copiis aggreſſus, ea facilè potitus eſt, ita ut intra pauci temporis ſpatium Juſtinianus, duce Belliſario, Perſiam, Africam, Siciliam, Neapolim, & Romam receperit. *Syracuſis triúphū celebrat.* *Neapolim ſibi vendicat, & Romam.*

Poſt hæc Gothi, interfectis intra biennium duobus Regibus; Totilam regali ſanguine clarum, quippe cujus pater Ildovadi regis frater germanus fuerat, in imperium elegerunt. Hic exercitu comparato Romam venit, (6) eàque vi captà, Romanos proceres aliquot, quòd ad Græcos deſeciſſent, atrociſſimè objurgatos interfecit, urbem ipſam, ejuſque palatia, ac mœnia partim diruit, partim incendit, (7) atque inde ſelecto cum exercitu Siciliam petiit; ſed ubi ad fretum pervenit, antequam in Siciliam trajiceret, Rhegii præſidium pertentat, cui tum præerant Teremundus, & Imereus a Belliſario conſtituti, qui, Gothis depulſis, partes ſuas fortiter defenderunt. Sed Totilas cum neceſſaria cognoviſſet obſeſſis deeſſe, dimiſſa ibi ad cuſtodiam exercitus parte, ipſe, tranſmiſſis in Siciliam copiis, Meſſanam adortus eſt. Cui mox Domentiolus, qui ejus urbis, & Romanorum militum Præfectum agebat, extra muros occurrens, certamine inito, hoſte nihilo apparuit inferior. Sed cum intra urbem deinde ſeſe recepiſſet, ibique intentus cuſtodiæ quieſceret, Gothi, nemine extra urbem deinceps obviam prodeunte, Siciliam ferè omnem populantur, cumque minora quædam oppida vi, quædam pactione in poteſtatem redegiſſent; tandem Totilas magno cum exercitu Syracuſas petit, eamque terrâ & mari obſidet. *Totila Gothor. Rex Romá recaperat.* *In Sicil. delatus Meſſanam fruſtra tentat.*

Inter hæc cum Teremundus, & Imereus, & cæteri Romani in Rhegio circumſeſſi, rerum intolerabili inopia premerentur, hoſti ſe ſimul, & oppidum tradiderunt. Quæ omnia cum Juſtinianus accepiſſet, contractis mox claſſe, & exercitu non contemnendis, Liberium Ducem univerſis præfecit, & quàm celerrimè juſſit, ut in Si- *Rhegiū ſe illi tradit.*

ci-

ciliam navigaret, eamque jam periclitantem obnixè ſervaret. Verùm paulò poſt Liberio, ut effœtæ ætatis viro, reique bellicæ imperito revocato, Artabanem & claſſi, & cohortibus a Liberio recipiendis ſuffectum in Siciliam tranſmiſit. Liberius interea de revocatione nondum certior factus, Syracuſas applicuit a Gothis tum fortè obſeſſas, impetuque in Barbaros facto, Gothis, qui in portu ſtationem habebant, ingreſſum prohibere nequaquam valentibus, in portum deſcendit, unde cum univerſo exercitu quamprimum urbem eſt ingreſſus. Artabanes interea paucis cum copiis Siciliam verſus navigabat. Verùm ubi Calabriæ appropinquavit, ſubita tempeſtate plures ex ejus navibus in littus impegere, pleræque in hoſtium manus venere; reliquæ remenſo curſu Peloponneſum, unde profectæ fuerant, redierunt; ea verò, qua ipſe vehebatur, malo ex tempeſtate diffracto, fluctibus lata Miletum applicuit, atque hoc pacto ex inſperato incolumis evaſit.

Liberius Syracuſas opitulatū venit.

Artaban. claſſis tempeſtate agitatur.

Liberius interim, qui Syracuſas ingreſſus fuerat, cum neque in Gothos obſidentes, quibus impar ad decertandum videbatur, irrueret, neque commeatum haberet, veritus rerum neceſſariarum defectum, quem exercitus ingens in urbe obſeſſa brevi minabatur, e Syracuſis cum iis, quos ductabat, abire conſtituit, ſubitoque receſſu hoſtem fruſtratus, paucis diebus cum ſua claſſe Panormum ſe contulit. Totilas verò, Gothique pluribus Siciliæ locis depopulatis, atque equorum, pecorum, armentorumque omnis generis ingenti numero abacto, & frumento ex inſula tranſvecto, & majoris pretii rebus in naves impoſitis, Siciliâ deſtitutâ, celeri Italiam navigatione, novo Romanorum ibidem apparatu perurgente, repetunt, quatuor ex Ducibus ſuis Præfectis, & quibuſdam Gothis militibus in inſulæ præſidiis relictis. (8) Poſt hæc Liberius per Imperatorem revocatus, Bizantium rediit. Artabanes verò e Melita in Siciliam properans, ubi Romanas copias, claſſemque ab eo ſuſcepit, principio ſuæ provinciæ potentior per Siciliam factus, Syracuſas, pulſis Gothis, ab obſidione liberat, Gothoſque, qui in præſidiis Siciliæ ſe tuebantur, ſtatim obſidet, quorum plures, qui extra oppida ad dimicandum exierant, ſuperat; cæteroſque omnes ad deditionem compellit, atque ita propere inſulam Gothorum faucibus eripit, & Juſtiniano reſtituit. (9)

Liberius Panormum ſe cōfert.

Gothi Siciliâ excedunt.

1. WAndalorum in Siciliam incurſum Caſſiodorius in annum CCCCXL. rejicit, alii quadriennio præponunt. Ab illis maritimæ urbes piratico more depopulatæ, ac Panormus præ cæteris diriſſima obſidione preſſa. Caſſiodorio autem ſeniore duce, Barbari majori ex parte armis deleti, actique in fugam, reliqui cum Genſerico eorum Rege in Africam ad propria tuenda ſunt revocati. Nec diu iterum redeuntes poſt biennium omnia hoſtiliter diripuere, tandemque ſancitis fœderibus receſſerunt. Extat Paſchaſini *Lilybœtani* Epiſcopi epiſtola ad Leonem I. Rom. Pont. qua ſuam conqueritur nuditatem, atque Eccleſiæ jacturam, amariſſimæ captivitatis occaſione. Maximinus enim Afer Epiſcopus Arianorum anteſignanus in Siciliam delatus, Catholicos homines ad Arianas partes adducere conabatur. Hinc Synodo coacta, Siculi Epiſcopi peſtem illam finibus ſuis expulerunt. Apud Genſericum itaque de injuria expoſtulans noſtros Maximinus, exarſit ille, atque ad Ariani dogmatis confeſſionem minis, exilio, clade illos compellere ſtuduit, quorum nonnulli declinarunt; aliqui in fide conſtantes conſumma-

vere martyrium; Plures, inter quos Paſchaſinus, captivi ſunt in Africam adducti; unde rebus compoſitis in Patriam rediere.

Quoniam verò celebris hujus viri mentio hùc incidit, reliqua, quæ ad eum ſpectant, ac Siculam concernunt Eccleſiam non abs re erit expendere. Fuit Paſchaſinus ſacris & philoſophicis ſcientiis imbutus, ac Græci idiomatis calleatiſſimus. Eum idem S. Leo Pontifex de Paſchatis ſupputatione ſæpiùs conſuluit, ſuumque ad Chalcedonenſe Concilium Legatum voluit; Eidem hinc Concilio Paſchaſinus præfuit. Conſortes habuit in Epiſcopali dignitate Bachylum, Domninum, Eulalium, Juſtinum omnes ſanctitate, ac doctrinà illuſtres, ad quos binæ Leonis laudati Epiſtolæ datæ ſunt. Prima pro ſolemni ſacri Baptiſmatis collatione ad ſtatos dies revocanda, Secunda pro bonis Eccleſiæ non alienandis. Conſule de his Pirrum, de Angelo, & Mongitorium.

2. A morte Valentiniani Genſericus, ſpreta pacis religione, ad Siciliæ prædam rurſus animum adjecit, Veriſque tempore longas fecit prædando, aut populando nunc in Siciliam, nunc in Italiam excurſiones; urbes inſuper partim diripiendo, partim ſolo æquando. Ubi verò omnia delevit, ad Orientis converſus Imperium, Illyricum omne ſimul, & Peloponneſum, hiſque adjacentes inſulas cum reliqua Græcia invadit. Ad Italiam verò, Siciliamque revertens, ſi quid erat reliquum diripuit. Motam tunc in Orthodoxos rurſus perſecutionem tradunt, qua lectiſſima Virgo Panormitana Oliva e patria abducta, atque in Africam deportata, ibi martyrium ſubiit. Anno CCCCLXI. auſpiciis Severi in Occidente Imperatoris Marcellinus Patritius in Sicilia Wandalos fugavit tanta quidem ſtrage, ut penitùs deleverit. Verùm coaleſcentibus denuo illorum rebus, Flavius Ricimer ad Agrigentum, ſub Antemio, Genſericum cædit, fugavitque. Subinde Occidentis Imperio in Auguſtulo extincto, Genſericus Odoacri, qui latè in Italia obtinuerat, Siciliæ inſulam vendidit, causà ſibi in antiqui dominii ſpecimen reſervatà, in partibus fortaſſe Lilybœtanis, unde a Beliſario poſtmodum ejectos Wandalos legimus. Alii Wandalos, pace impetrata, Siciliam tandem infeſtari deſiiſſe ſcribunt, ex quibus ad Gothos tranſiit. Et hic finis dominii Wandalici in Sicilia fuit.

3. Caſſiodorii Junioris Siciliæ præfecti ſub ipſis Theodorici Regis initiis mentio in 3. & 4. Epiſtola lib. 1. ejuſdem habetur; qui ſuà prudentià, & authoritate Provinciam aliquando moderatus in fide continuit, turbaſque excitas ſedavit. Tunc Catanenſis Magiſtratus, ut ex vetuſtiſſimi Amphitheatri ruderibus urbis ſuæ mœnia penè collabentia repararet, ab eodem Theodorico impetravit, uti ex lib. 3. Epiſt. 49. clariſſimè eruitur. Floruit per id tempus Fortunatus Catanæ Epiſcopus, quem Hormiſda Romanus Pontifex cum Ennodio Ticinenſi viro clariſſimo ad Anaſtaſium Orientis Imperatorem legatum ſuum tranſmiſit. Elpis quoque Severini viri conſularis uxor, Sicula nobiliſſima fœmina, virtute, ac ſcientia ſingularis inclaruit.

4. Extat apud Procopium Beliſarii ducis ad Gothos Epiſtola, qua conqueritur Lilybœtanam arcem ab iis injurià occupatam ſuis militibus minimè reddi; bellum idcirco minatur, quo non modò Lilybœum, ſed quidquid ſibi uſurpaverant repeteret. Gothi ad Beliſarium reſcribentes Juſtinianum Auguſtum controverſiæ arbitrum conſtituunt, qui ad Amalaſuentam hæc dedit: *Lilybæi caſtellum, quod noſtrum eſt, injuſtè vi captum retines, necdum placuit remittere Barbaros, quos a me transfugas accepiſti; per ſummam quoque injuriam damna graviſſima intuliſti Gratianæ meæ. Quò tandem hæc erupeura ſint tuum eſt cogitare.* Quibus Amalaſuenta multis reſpondet, quodque ſuppetias illi in Africana expeditione miniſtraverit, exercitui & claſſi annonam, ſecurumque in Siciliam receptum dederit, amicè exprobrat; hinc Lilybœum muneris loco filio Athalarico debitum aſſerit.

Digitized by Google

5. Quum ab anno ccccxciii. Inſula ſub Gothis fuerit, atque in dxxxv. Beliſarii victoriam rejiciant. Gothorum in Sicilia dominium annis fermè duobus ſupra quadraginta coaluit. In idem tempus Coloniæ Benedictinæ familiæ, Placido duce, in Siciliam deductio reponitur, ac Tertulli Placidi Patris facta de prædiis, quæ in Sicilia habebat, Caſinenſi Cœnobio donatio. Quinquennio elapſo, a Manuca Pyrata Placidus eiuſque ſocii in portus Meſſanenſis littore martyrio affecti, primi ex eadem Benedictina familia Inſulam conſecrarunt, Æræ vulgaris anno dxli.

6. Obſedit Romam Totilas anno Belli Gothici a Procopio Synchrono authore deſcripti nono, ac duodecimo tandem expugnavit. Dum porro obſidio protraheretur, Juſtinianus ob varias in Eccleſia excitas turbas, quæ ab Romana ſede complures Orientalium abalienaverant, Vigilium Rom. Pont. Conſtantinopolim enixis precibus invitavit; hicque viciſſim diuturnæ obſidionis incommodo pertæſus, ac ſimul periclitanti Eccleſiæ laturus opem Româ abſcedens, primò in Siciliam venit, ſuâque præſentiâ Catanam nobilitavit; atque ex patrimonio, quod ſatis pingue in hac inſula Romana habebat Eccleſia, ſuis fame laborantibus ſuccurrendum ratus, complures frumento onuſtas naves ad illos ſubmiſit, Ampliato Presbitero, & Valentino Sylvæ candidæ Epiſcopo, qui vices ſuas in Urbe gererent, cum iiſdem navibus ablegatis. Hic manſit ſubinde eadem in urbe, ac decimo menſe novos Diaconos, Presbiteroſque de more promovit. Vigilium vi Byzantium perductum Anaſtaſius aliique tradunt, ſed falli eos Critici adſtruunt.

7. Poſt captam Urbem vario marte cum Beliſario Totilas pugnavit, arces urbeſque per Italiam integro biennio modò amittens, modò recuperans, nunc victor, nunc profligatus, Direptâque rurſus Româ anno Belli Gothici xv. Chriſti verò dl. ad invadendam Siciliam properavit.

8. De hoc inopinato Totilæ a Sicilia receſſu ita Procopius lib. 3. cap. 40. *Tum equorum, aliorumque pecudum abacta ingenti vi, frumento ac cæteris omnibus frugibus ex inſula convectis, cunctis denique opibus ſanè maximis in naves impoſitis, inopinatò exceſſit, atque Italiam repetiit, hac cauſa ad id impulſus. Non ita pridem Romanum quemdam Spinum nomine, ortu Spoletinum Totilas Quæſtorem ſuum creaverat. Hic vir dum in urbe Catana mœnibus exuta moraretur, caſu quodam in manus hoſtium venit. Liberandi illius cupidiſſimus Totilas captivam nobilem fœminam Romanis pro ipſo obtulit. Negarunt Romani virum Quæſtoris dignitate inſignem bené cum fœmina commutari. Hinc veritus Spinus, ne ab hoſtibus neci daretur, Romanis promiſit ſe ſtatim Totilæ perſuaſurum, ut relictâ Siciliâ, univerſum Gothorum exercitum trajiceret in Italiam.*

9. Totâ Siciliâ, ne relictis præſidiis, Gothi exceſſere Chriſti anno dli. Græciſque Imperatoribus Belli Gothici anno xvii. tota Inſula pacificè obvenit.

DE

DE REBUS IN SICILIA GESTIS SUB GRÆCIS IMPERATORIBUS.

ANnus Belli Gothici XVIII. Vulgaris Æræ DLIII. Narſetis Eunuchi Juſtiniani Imperatoris ſtrenuiſſimi ducis, qui Totilam acie victum in fuga obtruncaverat, celeberrimâ de Theja Totilæ ſucceſſore victoriâ clauditur. Hinc per italiam cum Gothis debellatum, quievitque etiam Sicilia in Provinciam Græci imperii redacta, ac per Prætores rurſus directa; Prætorium, quippe ſummum ejuſdem magiſtratum Juſtinianus dudum decreverat: *Habeto Sicilia Prætorem, qui & res civiles tractet, & curam gerat militaris impenſæ.* Uti in authen. de Sicil. Præt. coll. 10. conſt. 104. Per idem fermè tempus Conſtantinopoli ſecunda Oecumenica Synodus celebrabatur, cujus inter Patres Gregorius Agrigentinus vitæ ſanctitate, eloquentiâ, & veritatis doctrinâ præ omnibus emicuit. Non diu poſt, anno ſcilicet DLV. Vigilium Rom. Pont. Byzantio reducem Sicilia denuo inviſit, mortuumque Syracuſis ex calculi dolore mox ingemuit. *Narſes de Gothis triúphat.* *Sicilia Prætoria declaratur.* *Vigilii Rō. P. mors.*

Juſtiniano decedente Juſtinus ejus ex ſorore nepos regnum capeſſit; quo imperante inguinaria lues Liguriam primò, mox Italiam univerſam, & Siciliam corripuit. Vix peſte extincta, Langobardorum incurſionibus eadem Italia vaſtatur; hinc plures ejuſdem incolæ illorum rapinis, ac crudelitate perculſi in Siciliam migrantes, inſulam noſtram tantis tunc malis expertem, frequentiſſimam reddiderunt. Sub idem tempus Gregorius ex matre Sicula, Summus dehinc Pontifex, ſex in Sicilia Monaſteria ſub S. Benedicti regula ædificavit. Ea Pirrus intra Panormitanos fines claudit; Cajetanus verò cùm Syracuſis, tùm alibi conſtituta adſtruit. Juſtinum XIII. Imperii anno mortuum Tiberius Conſtantinus excepit, vir ab lenitate, juſtitiâ, munificentiâ, ac religione celebratus, ſub quo Siciliæ Prætorem agebat, Leo quidam in Epiſtolis Pelagii Rom. Pont. ad Catanenſem Clerum ab optima adminiſtratione commendatus. *Gregòrius Magnus Monaſter. in Sic. erigit.*

Quarto Imperii anno Tiberius fato ceſſit, Maurltio virtute, & rei militaris peritiâ clariſſimo ſucceſſore accepto. Ejus ſub regimine Gregorius Magnus ad ſupremam Eccleſiæ cathedram evectus, Petrum Subdiaconum in Siciliam ad Romanum patrimonium adminiſtrandum delegavit, eique vices commiſit ſuas, ut ſemel per annum aut Syracuſis, aut Catanæ Epiſcoporum Synodum cogeret, ubi quæ ad ipſius provinciæ utilitatem pertinerent, ſive ad pauperum, oppreſſorumque neceſſitates ſublevandas, congrua moderatione diſponerentur. Extant ejuſdem Sancti Pontificis epiſtolæ, & benè multæ, ex quibus univerſam Eccleſiæ Siculæ ſacram politiam deprehendere quiſque poterit; nec non complurium prætorum Juſtini videlicet, Libertini, Alexandri, & Leontii; Tum præſulum, atque urbium Epiſcopalium nomina innoteſcunt: Victoris nempe, & Joannis Panormitani, Felicis, & Doni Meſſanenſis, Maximiani, & Joannis Syracuſii, Leonis Catanenſis, Gregorii Agrigentini, Secundini Tauromenitæ, Lucidi Leontinenſis, Theodori, & Decii Lilybætani, Euthichii, & Benenati Tyndarienſis, Petri Triocalitani, Agathonis Liparenſis, Lucilli, & Trajani Melitenſis; ad quos omnes variæ Gregorii Epiſtolæ variis ex cauſis exaratæ leguntur. *Ad Rōm. ſedē ſublimatur.* *Epiſcopi Siculi eorūq. nomina.*

Phocas, qui a militibus Auguſtus ſalutatus, Mauritium unà cum filiis interfici mandaverat, Imperium inter hæc peſſimè adminiſtrabat; hinc tyrannici dominii inſimulatus ab Heraclio octavo regni anno interficitur. Regnavit Heraclius annos triginta ſupra unum, viditque impii Maomedis inſana dogmata pullulantia. Poſt Heraclium Conſtantinus, & Heracleones menſibus circiter decem obtinuerunt, quibus ſublatis, Conſtans Conſtantini filius regnavit Patri per omnia diſſimilis, ob crudelitatem, libidinem, avaritiamque meritò execratus. Hic ſuo Typo, ideſt nova fidei profeſſione Martino primo Rom. Pont. oblata Lateranenſi primo Concilio occaſionem præbuit. Interfuiſſe eidem Siculos omnes Epiſcopos, Catanenſi, & Syracuſano exceptis, quòd fortè ſedes illæ vacuæ eſſent, ex Synodicis actis benè colligunt Eruditi. Rejecto a Patribus Conſtantis Typo Monothelitis erroribus referto; in Eccleſiam hic, ſacroſque viros deſævit. Hinc Romà, atque Italià furore barbaro expilatis, per Siciliam cædibus, rapinis, & ſacrilegiis eſt debacchatus, ſextoque poſtquam in Italiam deſcenderat anno, Syracuſis, ubi imperii ſedem ſtatuerat, operà cujuſdam Andreæ, authore autem Mazetio Tyranno in Balneo Daphneo Situlo ipſius capiti graviter impacto, occiſus eſt, Conſtantino filio ſucceſſore relicto.

Maomedes ſua dogmata vulgat.

Conſtantis typus in Concil. rejectus.

Syracuſis Imp. occiditur.

Patrem hic minimè imitatus, poſtquam Siciliam a Mazetio poſt Conſtantis mortem occupatam armis ſibi vindicaſſet, Tyrannumque, qui faſces etiam aſſumpſerat, ſubſtuliſſet, ad ſacra converſus Concilio Œcumenico ſexto indicendo operam navavit. Tum inſulam noſtram graviſſimis oppreſſam tributis, quæ dudum Conſtans inſtituerat, liberatam tranquillitati reſtituit; Quam tamen brevi Saraceni ex Alexandria turbarunt. Ingenti enim claſſe per Siciliæ oras prædabundi excurrunt, & Syracuſas vi capiunt; unde evadentes incolæ fugà in montes, ac munitiores arces ſibi conſuluere, divitiis, ac omni ſupellectile neglectis, quibus onuſti Barbari in Ægyptum remigrarunt. Hanc primam per Saracenos direptionem nonnulli dicunt; verùm alii ab anno DCL. ſub Conſtante incendiis, rapinà, captivitate ab illis Siculos paſſim habitos tradunt. Tunc etiam Syracuſas occupatas, ſubindeque ab Olympio Italiæ Exarco oppreſſos barbaros adſtruunt; uti libro ſequenti fusè Fazellus enarrat.

Siciliã Conſtãtinus reſtituit.

Saraceni diripiunt.

Agatho Siculus per idem tempus ſupremam Romæ ſedem moderabatur, de cujus patria Panormitani cum Catanenſibus decertant. Coegit Sanctus Pontifex antequam Conſtantinopoli generalis Synodus celebraretur ex Epiſcopis Italiæ, & adjacentium inſularum Romæ conventum, ubi Sergii, Pyrrhi, aliorumque Monothelitarum errores proſcripſit. Siculorum Præſulum nomina habes poſt Concilii acta a num. 40. ad 48. Agathonis in Eccleſiam ingentia penè merita in ſacris annalibus recenſentur. Poſt Agathonem Leo II. & ipſe Siculus græcè, ac latinè doctus, eximiaque vitæ puritate conſpicuus ſufficitur. Hunc patrià Catanenſem nonnulli, Herbitenſem alii, complures Meſſanenſem evulgant; malè Calabri inter ſuos enumerant. Conſtantino Imperatori Juſtinianus filius ſucceſſit anno DCLXXXV. qui crudeliter præfuit. Sequenti Conon Summus Pontifex inauguratus brevi mortem ſubiit. Hic in Sicilia ab juvenili ætate degens, ibique literis & optimis moribus imbutus non injurià noſtris accenſetur. Illum Sergius ex patre Tiberio, Panormi in Sicilia ortus, excepit, qui impiis Conſtantini conatibus ſeſe opponens, variè ab eo exagitatus, ineunte demum ſæculo terram cum cœlo commutavit.

Agatho Rom. Pont. Siculus.

Leo II. Rom. Pont. Siculus, Conon, & Sergius.

Interim Leontius Conſtantinum exauthoratum in Cherſoneſum relegaverat, Leontium Tiberius poſt triennium pepulit; uterque verò ab Juſtiniano decimo exilii anno in imperium reſtituto perimitur, mox & ipſe a Philippico occiſus. Hic in gerendis rebus infelix, ab Saracenis pluribus affectus damnis, factione demum inimicorum excæcatus carceri addicitur. Iuſtiniano imperante Summus Eccleſiæ Paſtor Conſtantinus Byzantium profecturus ab Tueodoro Patricio Siciliæ Prætore Syracuſis excipitur, magnoque in honore a Siculis eſt habitus; mox enim ac inſulam tenuit, nobilem virum morbo laborantem ſigno crucis ſanitati reſtituit, aliaque ſanctitatis ſuæ monumenta exhibuit. Jam verò poſt Philippicum Anaſtaſius obtinuit; poſt quem Theodoſius princeps optimus adminiſtravit, eoque renunciante, Leo Iſauricus imperavit. Huic in Sicilia Tiberius quidam ſe oppoſuit, qui & Auguſti nomen Sergii Protoſpatarii fretus auxilio, milite deferente, aſſumpſit, brevi tamen cum ſuis periit.

Variæ Imperii viciſſitudines. *Conſtantinus Rom. Pŏt. in Sicilia.* *Tiberius in Sicilia rebellat.*

Hinc ſacris Imaginibus, Leo, viriſque orthodoxis bellum movit infenſiſſimum; ſub quo Jacobus Catanenſis Epiſcopus fame ac ſiti afflictus animam in cruciatibus reddidit. Jacobum an alii fuerint comitati, incertum. Id liquet ſæviſſimam, in Monachos præcipuè, per Siciliam decretam a Leone lanienam complures Martyres cœlo peperiſſe. Ejuſdem Principis lege Romana Eccleſia uberrimo in hac inſula patrimonio privatur; Hinc maſſæ Siculæ ab Imperii adminiſtris deinceps occupatæ, quæ tria auri talenta cum dimidio pendebant, ſi Theophani credimus, cujus hæc ſunt verba: *In furorem actus Dei ille hoſtis Leo Imper. Arabico ſenſu imbutus auctiora Siculis, & Calabriæ populis parte tertia tributa in ſingula hominum capita impoſuit. Patrimonia verò, quæ dicuntur Sanctorum & Coryphæorum Apoſtolorum, qui in veteri Roma colantur, tria nimirum cum medio auri talenta eorum Eccleſiis ab antiquo aſſignata, expenſa in publicum ærarium conferri juſſit. Inſpici inſuper, atque deſcribi maſculos infantes, qui naſcerentur, quemadmodum olim Pharao Hebræorum pueros, mandavit.* Veroſimilis idcirco erit Caruſii Hiſt. Sic. Pagii & aliorum conjectura, aſſerentium per hæc tempora paulatim ab Rom. Pont. immediata ſubjectione Siculas Eccleſias receſſiſſe, & ſub Conſtantinopolitano Patriarchatu conſtitutas diu perſtitiſſe ad Saracenorum nempe expulſionem, ac Northmannorum adventum.

S. Jacobus Catan. Ep. Mart. *Rom. Eccl. Patrimonio in Sicilia privatur.* *Siculæ Eccl. a Roman. recedūt.*

Anno DCCXLI. in demortui Leonis locum Conſtantinus ejus filius Copronymus dictus, imperium arripuit, quod peſſimis moribus deturpavit. Sub eo Hiſtulphus Langobardorum Rex Italiæ Exarchatum, Ravennâ expugnatâ, delevit. Tunc Siculos inter Præſules Sabinus Catanenſis ſanctitate, ac doctrina celeberrimus effloruit, quem Leo patriâ Ravennas excepit, Thaumaturgus ab inſigni prodigiorum multitudine appellatus. Hic Heliodorum celebrem magum Catanenſibus infeſtiſſimum ſecum in ingentem detractum rogum meritâ pœnâ mulctavit, ipſe incolumis ex igne proſiliit. Extat de Heliodoro Lucil Siciliæ Præfecti ad Leonem, & Conſtantinum Auguſtos Epiſtola, qua ejuſdem exponit præſtigia. Leo hic, Copronymus & ipſe appellatus, poſt Patrem obtinuerat, ſibique filium Conſtantinum VI. in Regni conſortium adſciverat, mortuuſque exacto vix quinquennio, eumdem filium ſub Irenes matris tutela hæredem re-

Ss. Sabinus & Leo Epiſcopi. *Heliodorus Magus.*

Elpidius Prætor rebellat. reliquerat; ſub cujus imperii initia Elpidius in Siciliæ præfectura Lucii ſucceſſor, quum nova moliri Saracenorum fretus auxilio auderet, Theodori Patricii operâ, provinciæ militibus coadjuvantibus pulſus, fugatuſque eſt.

Eadem Irene agente, penes quam regiminis ſumma ſtabat, Generale Concilium Niceæ coactum ad ſacrarum imaginum cultum reſtituendum ab impio Iſaurico, & ſucceſſoribus abrogatum. Sacra hinc divalis ejuſdem Irenes, & Conſtantini ad Adrianum Roman. Pont. per Leontinenſem Epiſcopum tranſmiſſa legitur, qua Byzantium idem Pontifex evocatur, ac Siciliæ Stratego cura deducendi eum honore condigno committitur. *Theodorus Catane Epiſc. & Epiphan. Diaconus.* Cunctante Adriano, Strategus Theodorum Catanenſem præſulem cum Epiphanio ejus Diacono Romam deſtinavit, qui rurſus Irenes Auguſtæ pia vota exponerent; Pontifex nihilominus varia cauſatus, legatos ſuos ad Concilium deſtinavit. In eo agmen Siculorum Præſulum Theodorus duxit; Epiphanius verò Sardiniæ Archiepiſcopi locum ibi, viceſque tenuit. Hujus extant Actione ſexta ad Pſeudoconcilii ſeptimi articulos reſponſiones, ac ſermo laudatorius ad Patres & Auguſtos, quo fuit Synodo finis impoſitus, in Actis ejuſdem ex integro relatus. Ab hoc tempore in Theodorum, ejuſque ſucceſſores Metropoliticam dignitatem derivatam cenſent ſacri Scriptores Siculi. *Alii ejuſd. ævi Epiſcopi.* Memorantur in ejuſdem Concilii Actis Joannes Tauromenites, Conſtantinus Leontinenſis, Theodorus Panormitanus, Gaudioſus Meſſanenſis, Conſtantinus alter Carinenſis, Joannes Triocalitanus, Stephanus Lilybœtanus, & Stephanus Syracuſanus; quin etiam quarta Seſſione *Galatho presbiter ex perſona Stephani Archiepiſcopi Siciliæ* ſubſcribit. Quòd hic fuerit Syracuſanus præſul alibi ſubſcriptus, affirmant nonnulli, nec incongruè; refragantur alii jure, an injuriâ Eruditorum eſto judicium.

Pace Eccleſiæ parta, res Imperii exorta inter Irenem & Conſtantinum filium diſſidia non parum perturbarunt; & matri quidem abrogato dominio, Conſtantinus annis ſeptem ſolus regnavit; *Occidentis imperiũ reſtitutũ.* ſed ambitionis impatiens bona alioquin mulier filio per inſidias capto, atque excæcato, ſola imperavit. Dum hæc in Oriente agerentur, Imperii occidentalis dignitas poſt annorum 324. interſtitium meliori Chriſtiani orbis fato revixit in Carolo Magno Pipini Galliæ Regis filio anno DCCC. quem e Paleſtina reducem Sicilia vidit, ſi Viterbienſi Gothifredo fides. Panormi ſiquidem Siculi Exarchi filium e ſacro fonte levaſſe Carolum tradit, igneſque e ſummo montis Ætnæ cratere exundantes non ſine grandi terrore ſpectaſſe. *Siculi hujus temporis Epiſcopi.* Sub idem tempus Catanæ ſedem S. Severus ſumma vitæ integritate, eximiiſque virtutibus illuſtrabat; Panormi verò Eccleſiæ clavum tenebat Alcherius; Agrigenti S. Ermogenes moribus & innocentia præcipuus. Cætera ad Siciliam ſpectantia uſque ad Saracenorum irruptionem habes apud Fazellum ſequenti libro.

FR.

FR· THOMÆ FAZELLI SICULI,

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE REBUS SICULIS.

POSTERIORIS DECADIS

LIBER SEXTUS.

DE SICILIÆ A SARRACENIS INVASIONE, ET OCCUPATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Sarracenorum irruptiones.

COnſtantio imperante, & Vitelliano hujus nominis primo Romanæ ſedis Antiſtite ſedente; anno ſalutis fere 650. Sarraceni quinquageſimo regni ſui anno ab Alexandria ſolventes, Rhodum Romani tum imperii inſulam venerunt, eâque captâ, Coloſſum famâ celeberrimum demoliti, nongentos ære camelos onerarunt, & per Ægeum mare delati, pari clade Cycladas affligunt. Profecti inde in Siciliam, primò littoralem oram populantur; pervagati deinde in mediterranea ferro, & igni omnia fœdarunt. (1) Sed quoniam de Sarracenis, eorumque oppidis pluries deinceps verba ſum facturus, non alienum ab inſtituto, ſed jucundiſſimum fore ſum arbitratus, ſi eorum initiis, atque progreſſu recenſitis, quo pacto eorum Africæ regna, quæ contra Siciliam ſunt ſita, coaluerint, deſcripſero.

Saraceni unde appellati.

Sunt Sarraceni iidem, qui Hiſmaelitæ, diverſa tamen ratione appellati, Sarraceni a Sarra uxore Abrahæ, Hiſmaelitæ verò ab Hiſmaele filio ejuſdem viri ex Agar ancilla ſuſcepto, a qua & Agarenorum eis cognomentum etiam acceſſit. (2) Quæ nomina perdiu uniuſcujuſque authoris poſteri retinuere, donec paulatim ampliatis finibus, in ampliorem appellationem omnes conſentientes, ſine confuſione Sarraceni nuncupari voluere, tametſi opinio hæc nobilitatis falſa eſſe videatur: quippe quòd ex Sarra natus eſt Iſaac, a quo Jacob, atque ex hoc Judas; unde Judæorum, & non Sarracenorum deductum eſt nomen. Sed quemadmodum aliis in multis, ita & hac in re Sarracenos errare non iniquo animo patiamur. Ejus gentis nomen vix notum reperitur vetuſtis vel Græcis, vel Latinis rerum ſcriptoribus, ſed per eccleſiaſtica monumenta ad noſtras manus pervenit.

Antiquis Hiſtoricis incogniti.

Primæ illorum ſedes.

Tenuerant Sarraceni primùm (teſte Ptolem.) tres regiones, unam in Arabiæ fœlicis locis mediterraneis non procul a regione Sabæa; alteram ad Ægipti partes, quæ ab arcto quidem Idumæa, ab ortu verò Petræa Arabiæ dirimitur. Tertiam in orientali Syriæ plaga ſub Alſadamo monte non procul a Traconitidis Arabibus, & a regione Bataneorum. Fines deinde ſuos paulatim egreſſi cum Arabibus, atque aliis circum finitimis populis confuſi mirè concrevere, ſuumque nomen multis poſtea gentibus indiderunt. Ex rapto ſemper id hominum genus vixit, quippe qui ex propriis exceſſerant ſedibus, quò invaderent, ſibique occuparent alienas. Verùm anno

ſalu-

Maomethi ortus, & progreſſus. ſalutis circiter 600. ſub Heraclio Romanorum Principe ſimulatque Maomethus in Arabia fœlice ex eorum gente exortus eſt; Sarraceni ejus ſuperſtitionibus illecti, eum ſequi cœperunt. At ille etſi Regio titulo non ſit uſus, rerum tamen proſperitate elatus, ut legiſlator, & author ſalutis, ac vates & profeta ſupremus haberi voluit. Duceſque ſuos magna cum militum manu frequenter ad Chriſtianorum urbes vicinas invadendas miſit, atque ita ventum eſt ad arma, quibus ejus ſuperſtitioſa religio, & violentum imperium maximè coaluere. Eo namque impulſore invaſerunt, & in ſuam poteſtatem redegerunt vicinos Chriſtianos Perſas, Syros, Aſſirios, & Ægyptios.

Provinciæ a Maomet. ſubactæ. Ex Perſide in Mediam, & Parthiam, & Carnaniam. Ex hac in Indiam. Ex Syria in Ciliciam, & ad cæteras minoris Aſiæ Provincias, indeque in Sarmatiam, atque ad alias multas ad Aquilonem ſitas Regiones. Ex Ægypto non ſolùm meridiem verſus ad multas Æthiopum terras, ſed verſus occidentem etiam ductantes exercitus, per Africam, quæ una eſt trium orbis terræ partium, quantum patet in longitudine, Chriſti nomine abolito, hujuſmodi ordine imperium propagaverunt. Nam & vivente Maometho, eoque apud Meccam fœlicis Arabiæ urbem defuncto, & ſuccedente Calipha, invaſis vaſtatiſque, ac ſuæ ditioni ſubactis compluribus Aſiæ uſque ad Nilum regionibus, ex variis victoriis ſuperbiores, audacioreſque, & ad rapinas, violentiamque quàm ad æquitatem promptiores facti, ipſum quoque Nilum tranſmiſerunt. Mox totam perdomuerunt Ægyptum, Ægyptiamque Alexandriam, & quicquid eſt Libyæ
Damaſcus Regni ſedes. uſque ad Cyrenen. Ubi conſtituta apud Damaſcum Regni ſede, quinque annis eorum Duces quieverunt, diſtributis locis, ubi copiæ interim commorarentur.

Ordinatis intra id tempus Arabiæ, Ægypti, ac Libyæ, Cyrenarumque rebus, juncto cum eis Ægyptiorum exercitu, ex Arabia Deſerta, regnante Hutmeno filio Hafel tertio Pontifice, ulteriùs progreſſi occidentem verſus, miſſis cum Duce Hucobo Hibnu Nafic viro ſtrenuo octuaginta Arabum millibus, in Africam tranſeunt, ferro, atque igne obvia quæque vaſtantes. At cum ad nemus quoddam 36. paſſuum millibus a mari mediterraneo, & a Carthagine 120. diſtans Hucobus veniſſet prædà onuſtus, ibi caſtrametatus eſt,
Caruenū Maom. condunt. atque urbem condidit, quam a re ipſa Caruenum appellavit, quod latinè exercitus propugnaculum ſonat, eamque muris lateritiis cinxit. Unde Sarraceni fœliciſſimo victoriæ curſu progreſſi, multas ſuſtulerunt urbes. Et poſtmodum Carthaginem adorti, eam parvo negotio ceperunt, ac funditùs diruerunt. Nam etſi tertio Punico bello Carthago a Scipione Juniori deleta fuerit, ſecundo tamen ſupra centeſimum poſtea anno (Svetonio referente) ab Auguſto aliquantò tamen quàm fuerat, demiſſior, refecta eſt. Quæ cum deinde perſeveraſſet annos ferme octoginta ſupra ſexcentos, a Sarracenis eo
Carthaginem diruunt. tempore exciſa eſt. Cujus ingentes hoc tempore aquæductus, ac plura alia monumenta cernuntur. Quam eò ſtare ulteriùs non ſunt paſſi, quod in fatis eſſe vates eorum vaticinarentur, ut ex ea urbe olim conſurgerent, qui Maomethanum everterent imperium.

Deleta Carthagine, Hucobus cum exercitu (paucis ejus militibus Tunetum exile ſanè, etſi vetuſtiſſimum oppidum 15. paſſuum millibus a Carthagine diffugiens, & lacui maritimo imminens, incolentibus) Caruenum eſt reverſus. Is, mortuo Hutmeno Pontifice,

æ, a Muchavia illius ſucceſſore, Caruæni Gubernator, ac exercitus Dux confirmatus fuit. At poſtmodum Qualidas, qui ſucceſſit in Pontificatu, propagandi imperii cupidine ductus, Muſeum virum militiâ præſtantem, magnis cum copiis Caruenum miſit. Qui occidentem verſus movens, uſque ad Atlanticum Oceanum victricibus armis cuncta populando excurrit, & mox retroflexus, ſubactâ Mauritaniâ, adjunctoque ſecum Taurico viro ſtrenuo, trajecto freto Herculeo, Bethicam, quam Granatam hodie appellant, ſubjecit, ubi Rodoricum Gothorum Regem ſibi cum exercitu ſatis juſto occurrentem acie vicit, profligatiſque Gothis Caſtellæ Regnum ingreſſus, Toletum expugnavit, & relicta ibi exercitus parte, immensâ prædâ ditatus Caruenum eſt reverſus. *Mauritaniâ; Bethicâ, Granatâ ſubjiciùt.*

Quo cognito, Qualidas auri cupidus Muſeum ad ſe cum præda evocat. Cui Heſcianus Pontificis germanus frater, qui ad Pontificatum inhiabat, auri fratre appetentior occurrens, illud ne Qualidæ jamjam morituro deferret, fruſtra hortatus eſt. Pontifex theſauro accepto, vix triduum vixit. Cui cum Heſcianus ſucceſſiſſet, ſtatim abrogato Muſeo, Jeſulem Carueni, & copiarum Ducem inſtituit. Huic filius, & illi Nepos, & pronepos ſibi per manus in Carueni principatu, quouſque Qualidæ propago eſt extincta, ſucceſſerunt. Tum Laglebus Damaſci Pontificatu, & Carueno cum ſua ſtirpe per annos 170. potitus eſt. Quo tempore Mahdi, pulſo ultimo Laglebi ſucceſſore, & occupato ſibi Sarracenorum Pontificatu, & Carueno, urbem ad ejus oram, ad peninſulam curvi littoris in ſui munimen Mahdiam a ſe dictam, quam Africam hodie appellant, condidit, eamque craſſis ac munitiſsimis mœnibus, quæ ad ætatem uſque meam viſebantur, cinxit. *Carueni Principes.*

Sed ad Sarracenos principes redeo. Qui elati majoribus ob tantos ſucceſſus animis, poſt Qualidæ mortem claſsibus in cæteras Hiſpanias trajicientes, omniaque armis, & multitudine infeſta facientes, ad extremum tam nobiles, & ampliſſimas regiones cum adjacentibus inſulis ſuo adjecere imperio. Superatis prætereà Pyreneis montibus, quaſdam Galliarum partes in poteſtatem redegerunt. Interjecto deinde tempore, trajecerunt etiam in Italiam, primùmque oram Liguſticam excurrentes, Genuam petierunt, ſubitaque vi urbem adorti, eâ direptâ, atque ingenti onuſti prædâ, inde diſceſſere. Nec multò poſt invaſerunt Romanum agrum, & omnia igne, & ferro vaſtaverunt. Aliquot poſt annis tam claris elati victoriis ipſam urbem Romam adoriuntur, factoque agmine ingreſſi, eam totam intra biduum diripuere. Per idem ferme tempus Sardiniam quoque, & Siciliam, ut paulò infra memorabimus, eorum domino ſubjecerunt. *Hiſpanias ſibi vindicant.* *Romá diripiút.*

Oram deinde fere totam ſuperi, atque inferi maris plurimum perdiuque infeſtaverunt. Diu quoque poſſederunt Lucaniam, & quicquid u bium, atque oppidorum ſitum eſt ad mare, a Lucania ipſa uſque ad Gargani montis loca, quæ mari Adriatico imminent. Nec prætermiſerunt oram Dalmatiæ, Illirici, Epiri, Peloponneſi. Ingreſſi ſunt etiam Helleſponti fauces, & quicquid eſt in ora tum Europæ, tum Aſiæ, ad Thracium uſque Boſphorum infeſtum fecerunt. Cycladas quoque, Cyprum, & Cretam inſulas magna vi invaſerunt. Tam formidabile enim erat per ea tempora Arabum, & Sarracenorum nomen, ut vel ingenti multitudini vel armis, vel perditæ audaciæ, & animis hujuſcemodi nationis, neque Itali, neque Græci, *Alias occupát regiones.*

no-

neque Hiſpani, neque Afri, neque alia quævis natio obſiſtere auderet, ſed deſperatâ prorſus victoriâ ſtatim eis cederent.

Caliphard ſeries. Imperii ſedem, mortuo Maometho, Saraceni Damaſcum urbem delegerunt. Succeſſit Maometho Caliphas. Cui Accalis, & huic Alis. Qui cum ultra modum ſuperſtitioſus videretur, novum ei Ducem Calipham nomine ſubrogarunt, a quo Caliphatum principatum appellaverunt. Quo defuncto, Maomethus alter, qui imperavit annos octo, ſuffectus eſt. Poſt quem Alis alter. Cui Abraamus. Et ne ſim longior in texenda Principum ſerie, qui Saracenis in Ægypto, Sultani Chaldeo poſtea nomine, quod Regem ſive Ducem nobis ſignificat, imperaverunt; proditum eſt eorum literis, ab hoc Abraamo, qui

Illorum ultimus Gazeles. octavus a Maometho dominatus eſt uſque ad Gazelem ultimum Sultanorum ducem, qui apud Damaſcum a Solymano Decimo Turcarum Rege, anno ſalutis 1520. Syria, atque omni imperio ſubactus, acieque victus, interfectus eſt, fuiſſe centum & triginta tres principes, qui per octingentos ferme & quadraginta annos, ordine ſuccedentes regnaverunt, & a Maomethi ortu uſque ad annum ſalutis 1557. annos fluxiſſe 965.

Sed ad Africam redeo, ob cujus Mediterranei maris oram Siciliæ oppoſitam, unde & nobis tot clades advenerunt, & utinam finem habuerint, deſcribendam, hunc laborem aſſumpſi. Saraceni proceſſu ævi Africam, quæ Barbaria hodie dicitur, in quatuor Re-

Africana Maiorci. Regna. gna diviſerunt; quorum primum Regnum Marocci ultra fretum Herculeum ſitum eſt. Alterum Feſſæ. Tertium Teleſinum. Quartum verò Tunetenſium eſt. Primum Regnum in ſeptem regiones eſt diviſum ampliſsimas, quæ ſunt. Hea, Sus, Guzula, Marocci regio, Duccala, Hazcora, & Tedle. Nomen habet a Marocco maxima urbe, ab Atlante monte 14. paſſuum millibus diſtante. Saracenorum etenim moris eſt, ut Reges, & Regna denominentur ab urbe, quæ

Marocci Regni, & urbis, ejuſq. Reges. eſt Regni Metropolis. Hanc urbem Joſeph filius Teſfin Regis Longunæ condidit, qui primus omnium in ea factus eſt rex. Cui Hali filius ſucceſsit. Huic Abraamus ejus filius. Quo Regno pulſo, Elmael regnavit. Et hoc decedente, Abdul Mumen. Cui Joſeph filius. Poſt quem Jacob Almanſor, qui a Meſſa urbe, quæ in regione Sus ſita eſt, uſque ad Tripolim in longitudinem, nonaginta dierum itineris, in latitudinem verò ad meridiem quindecim, ejus filius dominatus eſt. Potitus quoque in Hiſpaniis eſt, Bethicæ, Portugaliiæ, & Valentiæ regnis. Quo defuncto, Maomethus Enaſir ejus filius ſucceſsit, qui a Chriſtianis victus Valentiam, & Murſiam amiſit; Decedens liberos decem reliquit, qui cupiditate regnandi, ſeſe mutuò interfecerunt. Extincta hac familia, Regno potita eſt Marin propago, quæ multos regnavit annos. Muſmudi populi juxta Atlantem ad partem ejus occidentalem, & meridionalem, ac etiam Mauritaniæ montes, & cæteras hujus regni regiones habitant.

Feſſa urbs, ejuſque Regnum. Alterum Regnum eſt Feſſæ, quod ipſum quoque ſeptem habet regiones, nempe Temezenem, Feſſæ regionem, Azagarum, Elabathum, Serriſi, quæ & hac ætate Regni titulum habet; & Garethum, & Elcanzam. Hoc regnum incipit a flumine Omirabili, qua in occidentem vergit, terminaturque ad fluvium Mulviam orientem verſus. Nomen habet a Feſſa urbe metropoli ab amne prælerlabente nomen adepta, quæ poſt Maomethi ortum anno octuageſimo quinto ſupra centeſimum a quodam ſeditioſo, regnante Aaron eorum Pontifice, condita eſt.

Teleſini Regni ejuſq. fines.

Tertium Teleſinum regiones habet tres, Montes, Tenex, & Elgeber, incipitque ab occaſu ad fluvium Mulviam, & terminatur ad ortum ad fluvium Majorem, & Za. & ad meridiem ad deſertum Numidiæ; ad Aquilonem verò ad mare mediterraneum. Hoc regnum Latinis Cæſarea eſt, Romanorum olim provincia. Nomen habet a Teleſina urbe metropoli, cujus originem annales Maomethani non referunt. Habet ad oram mediterranei maris urbes Oranum, & Gezeir, quam Hiſpani Alger, veteres verò Mezganam appellant; opponitur autem Balearibus inſulis, quibus eſt vicina. Unde & nomen Saracenicum ei provenit; Gezeir etenim Saracenicé Inſulas Latinis ſonat.

Regnum Tunetenſe, & ejus provinciæ.

Quartum regnum Tunetenſe eſt, quod quatuor habuit regiones, nimirum Bugiam, Conſtantinam, Tripolim, & magnam Numidiæ partem, quam Saraceni Ezzab vocant. Nomen habet a Tuneto urbe, quæ hoc ordine coaluit. Deleta Carthagine, Arabum plerique, qui ſub Hucobo meruerant, labore feſſi ad Tunetum eo tempore parvum oppidulum, erectis tuguriis, incolendum cum ſe contuliſſent, a Duce poſtea hortati, Tuneto relicto, cum eo Caruenum ſunt reverſi. At verò cum Caruenum poſt trecentos quinquaginta annos ab Arabum exercitu oppugnaretur, principes ejus civitatis viri ad Bugiam urbem ſalutem ſibi quæſierunt; plures verò ex eis Tunetum habitarunt, in quo veluti principes dominati ſunt. At cum poſtmodum Abdul Mumen Rex Marocci cum magno Muſmudorum numero Mâhdiam, quæ & Africa eſt urbs, a Rogerio Siciliæ Rege priùs occupatam, Guilelmi primi Siciliæ Regis tempore per deditionem recepiſſet, in regreſſu Tunetum veniens, pulſis principibus, nullo labore oppidum recepit, quod deinceps ſub imperio ipſius Abdul Mumen Regis Marocci fuit, & eo mortuo, ſub Joſeph ejus filio, ac deinde ſub Jacob Almanſore Marocci etiam Rege, qui Gubernatores, quos Xecos Saraceni appellant, Tunetum mittebant.

Tunetani Regni decrementa.

Tuneti Urbs reſtituta.

Interea Arabes, qui ante ab Abdul Mumen pulſi fuerant, reverſi Tunetum obſident. Quo Jacob Almanſor cognito, claſſem viginti onerariarum militibus inſtructam cum Habdul Vahidi duce ſtrenuo eò miſit. Habdul ubi Tunetum cum claſſe appulit, Arabes ejecit, atque urbem ab eiſdem ferme populatam reſtituit, atque ab univerſa regione tributa compoſitis rebus exegit. Huic ſucceſſit Zecherias filius, qui patre ingenio, & facundia ſuperior Arcem, & Templum erexit, & Tripolim uſque, atque eò longiùs, meridiem verſus tributa exigendo excurrit. Interea mortuo Jacob Almanſore, cum ei Maomethus filius ſucceſſiſſet, & huic Joſeph germanus frater, qui poſtea a militibus Regis Teleſini cæſus fuit, ob eamque cauſam Marocci Regnum diminutum eſſe, Abrahamus Zecheriæ filius, qui patri defuncto in Tunetenſi Principatu ſucceſſit, Regi Marocci ſubjici amplius noluit; quinimo audentior factus, magno exercitu comparato, Teleſini urbem Regiam aggreſſus expugnavit, ac ſibi tributariam fecit; & cum Marin, qui Maroccum urbem tum obſidebat, fœdus pepigit, Tunetumque reverſus totius Africæ Rex ab omnibus ſalutatus, Regio Diademate eſt inſignitus, ac Mulei nomine, quod Regem latinè ſonat, appellatus. Quo regnante, urbs ipſa maxima ſuſcepit incrementa.

Tuneti Rex totius Africæ dicitur.

Mulei Aſſen ſedi ſuæ reſtitutus.

Reges in Africa minore.

Huic ſucceſſit Mulei Belabes. Cui Mulei Buſares. Poſt quem Manſtaſar regnavit; poſtque hunc Ottomenus, cui Jeſajes. Quo defuncto, Abedel Mumen, & deinde Zecherias ſecundus, ac poſt eum Maomethus ſecundus; cui Mulei Aſſen in Regno ſucceſſit. Is cum regno ab Ariadeno Barbaruſſa Othomanicæ claſſis Præfecto, ac Alger Principe pulſus eſſet, in ſedem rurſus a CAROLO QUINTO CÆSARE anno ſalutis 1535. eſt reſtitutus. Sed paulò poſt cum annos regnaſſet decem & octo, ab Ameth filio oculis, & regno orbatus eſt. Quo caſu Mulei Abdimelech ejus germanus frater menſe uno rerum potitus eſt. Quo mortuo, Maomethus Abdimelech filius menſes quatuor præfuit. Sed hoc a Patruo Regno pulſo, Ameth ipſe, qui patrem viſu privaverat, regnum adipiſcitur, quod adhuc tenet. Poſt horum autem quatuor regnorum inclinationem, plura in Barbaria, & alia minora Regna a Tyrannis nomen ex urbibus ſortita, ut Hipponæ, Fecis, Bugiæ, Tripolis, Biſertæ, Conſtantinæ, & pleraque alia ad oram Siciliæ oppoſitam ſuo ordine ſita, evecta ſunt; unde & nobis maximæ clades provenere. Sed his ſatis ſuperque memoratis, tribuſque aliis Africæ partibus, nempe Numidiâ, Libyâ, ac Terrâ Nigrorum meritò omiſſis, ad inſtitutum meum, unde nimis exceſſi, redeo.

Olympius Saracenos e Sicilia abigit.

Saraceni igitur, Conſtantio imperante, Siciliæ non modò littoralia, ſed mediterranea etiam occupantes, cuncta fœdo vaſtarunt incendio. Qua clade Conſtantius cognita, Olympium Ducem, qui eo tempore in Italia ejus erat Exarchus, contra eos miſit. Olympius navali prælio cum Saracenis congreſſus, adeo cruentam eſt victoriam adeptus, ut propior victo, quàm victori, hoſtibus abactis, inſulam ſit ingreſſus, atque mox laborioſâ pugnâ defatigatus, paucis diebus poſtquam ægrotare cœpit, defunctus ſit. Pulſis Siciliâ Saracenis, ac Olympio mortuo, Conſtantius exercitum comparavit, quo Italiam a Langobardorum ſervitute vendicare poſſet. Proinde antequàm Byzantio diſcederet, Conſtantino filio in imperii ſocietatem aſcito, ſecundo vento in Italiam delatus, plurima Apuliæ oppida diripuit, direptaque ferro, & igne vaſtavit, ac diruit.

Conſtantius Imper. Romam ſpoliat.

In Siciliâ veniens Syracuſis ſubſiſtit.

Poſtea Neapolim, ac deinde Romam petiit. Cui venienti viâ Appiâ ad ſextum lapidem Vitellianus Romanus Pontifex cum Clero, & magna parte populi obviam prodiit. At Conſtantius urbem ingreſſus, quinque diebus auguſtiſſima urbis templa accuratiſſimè inviſendo, ac omnem eorum apparatum tacitis luminibus luſtrando conſumptis, ad eam ſpoliandam convertitur; ubi quicquid antiqui operis ex ære, & marmore fuit, & quicquid oculos delectare potuit, ſublatum, aut vi revulſum ad naves deferri juſſit, ut plus ornamentorum unus ſeptem dierum ſpatio urbi detraxerit, quàm per ducentos & quinquaginta octo annos Barbari diripuerint. Urbe deinde hoc pacto deformata, Pantheonis verticem argento, quo templum erat coopertum, ſublato, plumbo veſtivit, ac duodecimo diè poſtquam Romam venerat, illinc digreſſus, Neapolim primùm, deinde Siciliam tranſiit, ſubſtititque Syracuſis eo animo, ut Conſtantinopolim inde trajiceret, atque eâ omnia Romana ornamenta ſimul & ingentem Siculorum prædam illuc aſportaret.

Syracuſis cum ſextum annum ageret, & avarè, nec majorum more, aut juris formâ, ſed tyrannicè ex Siciliæ urbibus tributa exigeret, multi non ſolùm fortunis, ſed etiam uxoribus, & liberis

ſunt

ſunt ſpoliati; qui obærati a parentum complexibus divellebantur. Unde in odium civium meritò traductus, dum molliter, & libidinosè in Balneis Daphnes lavaretur, ſaponeque Gallico deliniretur, ab Andrea Troyli filio, cæteriſque ſuis domeſticis ferventi ſitula in verticem ejus injecta excerebratus occubuit, anno ſalutis 670. Eo interfecto, & ſepulturæ ibidem tradito, exercitus Mezentium genere Armenium, qui diu ſub Conſtantio militaverat, & mortis quoque ejus author fuerat, ſuffecit, Imperatoremque ſalutavit. At Conſtantinus filiorum Conſtantii natu maximus, qui Byzantii eo abſente Imperium adminiſtrabat, morte patris audita, confeſtim ad opprimendum Mezentium in Siciliam magna claſſe venit. Ubi non diu moratus, ſua humanitate non tantùm copiarum, quæ illic tunc erant, verùm etiam omnium civitatum animos in ſui amorem convertit. Deinde ſexto vix ab occupato Imperio menſe, Mezentium, qui ad conciliandos ſibi militum animos impigrior fuerat, cum ſupervenientibus ex Africa, & Italia copiis adortus, interficit. (3) Occiſo Mezentio, & omnibus paternæ cædis conſciis, Auguſti nomen apud omnes promeruit. Poſtmodum compoſitis Siciliæ, & Italiæ civitatum rebus, Conſtantinopolim cum Romanis ornamentis rediit. Ubi quia imberbis in Siciliam profectus, barbatus rediiſſet, Pagonatus eſt appellatus.

Ibidè in balneo occiditur.

Conſtantinus Imp. Siciliam componit.

Interea Saraceni, qui Ægyptum incolebant, cognita Conſtantii morte, claſſem occultè comparant, Thraciam, & Græciam invaſuri. Sed cum ibi omnia pacata comperiſſent, conſultò in Siciliam Conſtantii, & Mezentii adhuc motibus agitatam navigant. Syracuſas igitur perpetuo curſu delati, ſubita vi, nulloque præſidio munitam urbem capiunt, cædem maximam edunt, Syracuſanam, omnemque etiam Conſtantii gazam in naves imponunt, atque ita opimâ prædâ onuſti Alexandriam, unde diſceſſerant, repetunt. Nam in Sicilia tutò eſſe ob Italiæ propinquitatem, & Ægypti diſtantiam non confidebant.

Saraceni Syracuſas diripiunt.

Subinde Imperante Leone Iſauro, Sicilia Sergii Præfecti operâ a Leone deſcivit, quam non multo negotio ipſe ad officium retraxit. Verùm non magno poſt interjecto tempore, Carolus Magnus Leonem tertium Pontificem Romanum a populo, & Principibus Romæ pulſum cum in urbem reſtituiſſet, & a Pontifice ipſo Imperii diademate cum aſſenſu, atque applauſu populi Romani donatus eſſet, atque ita occidenti ſummi imperii dignitas, quæ trecentis & triginta antè annis fuerat amiſſa, & jam nimia vetuſtate obliterata, velut poſtliminio reſtitueretur, pacem ab Irene Imperatrice Conſtantinopolitana ante præſcriptam cum Nicephoro cognomento Thoxia Conſtantinopolitano Imperatore renovat. Cui diviſo in duas partes imperio, Sicilia omnis cum Calabria, & Appulia; reliqua verò Italia Carolo ceſſit, ad annum ſalutis uſque circiter octingenteſimum. Quo fere tempore Saraceni quatuor tum primùm Principes, quos Admiratos vocabant, habere cœperunt. Quorum unus Ægyptum, & Africam occupavit. Duo Hiſpanias inter ſe partiti ſunt; quarto Paleſtinæ, ac Syriæ loca obvenere.

Imper. Occid. reſtituitur.

Saracenorum Amiræ quatuor.

Poſt mortem Nicephori Sicilia Stauratio, & eo decedente, Michaeli Curopalato, ac deinde Leoni Armenio Conſtantinopolitanis Principibus paruit. Quibus Michael, cui ob linguæ vitium Balbi cognomen obtigit, ſucceſſit anno ſalutis ferme 812. (4) Hoc impe-

Saraceni Siciliam invadũt.

rante. Saraceni, qui Africam tenebant, novarum rerum avidi conferti︎ſſima claſſe contra Siciliam movent, primùmque littoralia omnia vaſtant, atque incendunt. Panormum urbem occupant, atque inde mediterranea etiam complura oppida populationibus quotidie agitabant. Qua de re dum ab incolis ultro citroque miſſis Legatis, Principes Chriſtiani inter ſe de ſuppetiis conſultant, Bonifacius Corſicæ Comes ingentis vir ingenii Siculorum damnis obviaturus, cum Fratre Bertario, & auxiliis quorumdam Etruriæ Comitum, ultro educta claſſe in Africam trajecit eo animo, quo olim Agathocles, & Scipio Libyam pervaſere, ut videlicet dum ipſe hoſtes domi laceſſeret, illi relictâ Inſulâ, labanti patriæ ſuccurrere cogerentur, ne dum alienis inhiant, ſua deſeruiſſe viderentur. In Africam itaque delatus, Uticæ, ac Carthaginis agros primùm rapinis, & incendiis percurrit. Ad cujus facti nuntium cum Saracenos innumeros ad obſiſtendum obvios haberet, eos impetu ferociſſimo fudit, fugavitque. Cumque illi quater bellum reparaſſent, quater inter Carthaginem, & Uticam cum eis congreſſus, tantam hoſtium edidit ſtragem, ut eorum Rex ſuos, qui Siciliam occupaverant, ad ferendam Africæ laboranti opem revocare compulſus ſit. Eoque modo Saraceni, Panormo, & totâ fere inſulâ deſertâ, domum rediere. Bonifacius verò cum claſſe victrici, & ingenti præda onuſtus, conſilii ſui eventu lætus, victor in Corſicam rediit.

Bonifacius Corſicæ Comes.

Saracenos in Africa fundit.

Michael Imperator recepta Panormo, & Saracenis paſſim omnibus inſulâ pulſis, Siciliam magno militum, quibus Euphemium genere Græcum, virum & militiâ, & nobilitate inſignem præfecit, præſidio munivit. Rerum verò adminiſtrationi alium quemdam prudentiâ, juſtitiâ, aliiſque egregiis virtutibus decoratum, cujus nomen ſcriptores Græci non exprimunt, Exarchum conſtituit. Anno verò proximè ſequenti ſedatis domi motibus, & quiete ſubitò ab armis parta, Saraceni rurſus cum numeroſa claſſe Ducem Sabbam contra Siciliam expediunt, eámque multa cum obſidione cingunt. Michael nuntio novi tumultus audito, confeſtim & ipſe claſſem contrà parat: cui Theodoſium Præfectum dedit. Hic copiis, quas e Græcia adduxerat, non adeo confiſus, ad Venetos ſe contulit, a quibus ſexaginta alias triremes impetravit. Quibus auctus, erectiori etiam ob copiarum fiduciam animo, in Siciliam navigat.

Sicilia Grecus Imper. recipit.

Sabba cum primùm Theodoſii claſſem Adriatico mari emenſo, in ſinum Tarentinum flectere cognovit, ſive metu ductus, ſive quia rebus ſuis conducibilius id judicavit, a Sicilia ſolvens, ad Crotoniatarum littora celeri curſu claſſem duxit; ibique ad certamen tandem vel inviti duces concurrere. Ubi fractæ ſunt eo prælio, & fugatæ Chriſtianorum copiæ; Venetorum verò naves fere omnes vel merſæ, vel captæ. Theodoſius, ſuis etiam, quas e Conſtantinopoli adduxerat, triremibus amiſsis, vix ſalutem fugâ ſibi ſoli reperit. Sabba tam celebri elatus victoria in Dalmatiam propinquam exercitum duxit. Auſtenſe oppidum vi captum diripit. Naves Venetorum plures mercibus onuſtas e Syria reduces fortè fortuna ibi inventas intercipit, hominéſque omnes in eis repertos ad unum trucidat. Poſt hæc Anconam vi expugnat, ſpoliat, & incendit. Atque inde tot victoriis clarus, prædiſque ditatus, neglectâ Siciliâ, in Africam reverſus eſt. Sed non hic ideo Siculorum calamitatum finis fuit. Eodem namque Michaele imperante, eadem illa Saracenorum colluvies gra-

Grecorũ claſſis cũ Saracenica congreditur.

Saracenorum victoria.

graviori longè, ac deliberatiori vi Siciliam aggreſſi, eam totam ſibi armorum ſævitiâ ſubjugarunt. Quam poſtea triginta ferme ſupra ducentos annos cum magno noſtrorum dedecore tenuerunt. Quæ quibus initiis, quove ordine geſta ſint, hortatur locus, ut exploſo priùs falſo tantæ rei geſtæ rumore, recenſeamus. *Siciliam Saraceni occupant.*

Fabuloſa planè, ac ridicula quædam opinio multis antè ſæculis continuata Siculos habuit, Georgium Maniacem Conſtantinopolitani Cæſaris in Sicilia Præfectum per proditionem a fide abductum, Inſulam ſibi occupaſſe, & in ea omnium primum Barones, ac Comites creaſſe, cujus ut perfidiam Cæſar ulciſceretur, ſe mortuum mentitus, uxorem, ut ad novas nuptias Maniacem invitaret, effinxerit, unde Maniaces imperii potiùs, quàm uxoris cupidine allectus, Conſtantinopolim conceſſerit, filium interim in Sicilia Præſidem hac inſtructum cautela relinquens, ut ſi fraus ſubeſſet, Saracenis, qui ſunt in Africa inſulam ſtatim dederet, atque ita Maniacem apud Conſtantinopolim captum proditionis pœnas luiſſe, filium verò, ut imperatum ſibi fuerat, confeſtim aſcitis magno numero ex Africa Saracenis, Siciliæ imperium eis tradidiſſe. *Fabula de hac occupatione.*

Hæc opinio adeo vulgata apud Siculos, in omnium animis ita altè radices egit, ut ſi quis eam convellere conetur, Æthiopem priùs dealbaturus ſit, quàm eos a ſententia abducat, præſertim quòd eam antiquiſſimis annalium monumentis, & Capitulorum Regni authoritate confirmatam habeant, quæ non imperitos tantùm, ſed & me ipſum diu hoc errore ſuſpenſum tenuere, donec veritatis perveſtigatione intenſior, apud Egnatium primò inveni, Saracenos, Michaele Balbo imperante, Siciliam invaſiſſe; Georgium verò Maniacem poſt multos a Michaele annos ſub Conſtantino Monomacho floruiſſe, atque Saracenos e Sicilia pepuliſſe, primùm inveni. Cujus ſententiæ cum diligentiùs inhærerem, quòd ſolus hic contra Siculorum opinionem diſſentire videretur, auxit meam dubitationem plurimùm, quod Scriptorum tam Græcorum, quam Latinorum, qui Cæſarum vitas memoriæ prodiderunt, nullus reperiretur, qui hanc de Maniace, Imperatore, & Imperatrice à Siculis relatam hiſtoriam referret. *In Regni Capitula relata.* *Nullibi apud Scriptores deſcripta.*

In ea igitur hæſitatione diu verſatus, cum anno ſalutis 1552. apud Netum eſſem, eam Joanni Deodato Frigentini Domino totius antiquitatis ſtudioſo aperui. Is non modò mihi adhæſit! ſed adjecit, Antonium Minturnum Græcæ, & Latinæ eruditionis præſtantiâ inſignem, Meſſanæ ſibi librum Græcæ ex Salvatoris cœnobio tranſcriptum oſtendiſſe, cujus author de geſtis Maniacis uberrimè diſſerebat. Hæc ubi accepi, incredibili affectus ſum lætitia, quòd haberem unde veritatem inveſtigare poſſem. Meſſanam itaque petii, & cum fruſtra in bibliotheca Salvatoris librum inveſtigaſſem, Joannis Vegæ Siciliæ Proregis, aliorumque procerum epiſtolis, a Minturno, qui tum Neapoli cum Duce Montis Leonis agebat, libri exemplum incaſſum etiam popoſci.

Demum cum diutiùs ingens illud deſiderium meum ſufferre non poſſem, ad induſtriam me converti, qua tandem Minturnus quicquid ille author de occupata a Saracenis Sicilia, & Maniacis rebus geſtis in eo volumine congeſſerat, e Græco in linguam Italicam mihi vertit, tranſmiſitque. Quod ad manus meas cum delatum eſt, ſtatim vidi, & legi; & quidem ſimul omnia adeo cupidè, ut priùs ad calcem uſque illud perlegerim, quàm repoſuerim. Ubi & *Vera Hiſtoria ex Græco codice.*

que

quæ Egnatius paucis de Maniace attigit, & Siciliam non duce Maniacis filio a Saracenis occupatam fuiſſe, author ille (cui Joannes Curopalatus eſt nomen) pluribus memorat. At cum de ipſo ſonte hiſtoriam cuperem, rurſus Minturnum rogo, ut totum volumen græcè mihi tranſcribatur, ſed votis meis cum ille non reſpondiſſet, mira tum anxietas animo meo inſedit.

Græci Curopalatis exemplar.

Interea anno ſalutis 1551. cum ad propugnacula urbis Meſſanæ exſtruenda Salvatoris Cœnobium deletum eſſet, & Sacerdotes illius intra mœnia cum ſacra ſupellectili ad ædem Miſericordiæ ſe recepiſſent, Fratri Bartolo Myli priori Dominicano ſcripſi, ut diligenter inſpectâ Salvatoris bibliothecâ, ſi græcum codicem aliquid de Sicilia tractantem reperiret, me certiorem redderet. At ille inter vaſa ipſa ſacra ingens volumen græcè ſcriptum, ac formis rerum geſtarum auroque ornatum, quadringentorum aureorum pretii, in quo plura de Sicilia memorabantur, reperit. Quod cum ego accepiſſem, etſi neque libri authorem, neque res geſtas, quæ in eo ferrentur, pro comperto haberem, quaſi divinarem, reſcripſi, ut reperto Græco librario, totum mihi volumen, (quodcumque illud eſſet) exſcriberetur. Quo ſex menſium ſpatio exarato, & ſcriptori pretio perſoluto, ac demum ad me delato, perſpectoque hujuſcemodi illius titulo:

Ejuſd. titulus, & materia.

Compendium hiſtoriarum a morte Nicephori Imperatoris uſque ad imperium Iſacii Commenii conſcriptum a Joanne Curopalato filio Magni Druſgarii villæ Ciliciæ, ſtatim cognovi, eum ipſum eſſe librum, quem deſiderabam; unde & Minturnus opuſculum, quod mihi tranſmiſerat, & Egnatius ſuam epitomen excerpſerat. Quod adeo meum implevit animum, ut in ejus lectione multorum dierum operam collocarim, ubi & Siciliæ a Saracenis occupationem, & Maniacis veras res geſtas, ac Siculorum fabuloſam de illo opinionem liquidò cognovi. Fuit autem Joannes Curopalatus Druſgarius Villæ Ciliciæ, quæ dignitas eſt. (5) Floruit autem ætate Pſelli philoſophi, & Iſacii Commenii.

Cauſa cur occupata fuerit Sicilia.

Habet igitur Sicilia ſuæ occupationis a Saracenis, & Maniacis veram ſuo ordine hiſtoriam Græcis jam pridem commendatam literis, noſtriſque hominibus hucuſque incognitam, ſed poſtliminio meâ induſtriâ, ac labore reſtitutam, quæ eſt hujuſmodi. Euphemius, quem Michael in Siciliam poſt pulſos inde Saracenos, cum magna militum manu (ut præmeminimus) Præfectum miſerat, rerum ſucceſſu, quæ plerumque mortalium mentes ab honeſto, veroque divertunt, ad libidinem proclivior, virginem quamdam non ignobilis proſapiæ ſacris dicatam eſflictim deperibat. Quam cum ad libitum habere nequiret, e periſtylio rapere decrevit. Animos illi ad ſacrilegum facinus Michaelis exemplum faciebat, qui veſtalem & ipſe virginem Byzantii ex æde ſacra raptam ad ſtuprum ſibi pertraxerat. Quocirca carere ſe culpa exiſtimabat, quòd Imperatoris æmulatione commiſiſſet. Itaque aſſumpto protervo, audacique ſuorum militum ſatellitio, ſacrum invadit, ac contemptis legibus, puellam reluctantem ad obſcœnos voluptatum ſuarum ignes explendos extraxit.

Euphemii facinus in ſacrá Virginem.

Erant huic virgini germani fratres duo. Hi viſâ ante oculos tam deteſtandâ ſuæ ſtirpi illatâ injuriâ, non tacitis gemitibus, ſed editis vocibus, bacchantibus ſimiles, in fori conſpectu Hexarchi fidem ac jus, populique auxilia implorant, ut violatam pudicitiam, publicam injuriam, ac Dei Opt. Max. contemptum ulciſcantur. Quorum

A virginis fratrib. accuſatur.

rum querelæ tametſi Hexarchi, ac plebis animos èx ſe ad vindictam ſatis proclives juſtitiæ acceſſione, quæ quæſtionem manifeſtam condemnabat, magis accenderent; tanta tamen erat Euphemii potentia, ut neque Exarchus jus dicere, neque populus irruere in eum auderet. Germani ea impunitate deſperati, Conſtantinopolim advolant, Michaeli ſceleris immanitatem proponunt, legum conculcatarum pœnas a nocente depoſcunt. Michael etſi pari impietate fœdatus eſſet, ad ſeveritatem tamen, fœdæque æmulationis ultionem propenſior, acerrimo, funeſtoque ſupplicio ſtuprum vindicandum Siciliæ Hexarcho committit, nimirum ut Euphemius in vincula coactus, primùm naribus præciſis tota urbe traducatur; mox ſic compoſitus, ac deformis fœda etiam morte plectatur.

Damnatus in Cæſaré rebellat.

Reus ubi pro facilis veniæ ſpe excandeſcentem Michaelis in ſe animum, exitiumque decretúm, nec ullam evadendi ſupplicii viam, niſi in ſolis armis ſibi repoſitam per amicorum literas cognovit, contra Cæſarem iniqua proditionis cornua erigere, & Siciliam ſibi occupare, hoſtemque tollere, quàm ultorem experiri maluit. Itaque militibus, quorum animos benevolentià ſibi multò ante devinxerat, ad concionem vocatis, Michaelis Cæſaris, Præſidiſque contra eos inſidias confingit, quibus in odium pertractis, Tyrannum ut occupent, ac publicam libertatem communibus armis vendicent, hortatur. Nec verò difficilem ſe ad ſeditionem milites præbuere, ſed repentino in Exarchum impetu feruntur; At ille ubi ſe ab exercitu concluſum vidit, periculo ſeſe, quod vitare non poterat, per medios hoſtium globos ferro ſeceſſum molitus, erumpens aufugit, ſalutemque extra Siciliam quæſivit. Fugato Exarcho, Euphemius protinus ab exercitu Imperator ſalutatur, Siciliamque, paucis tantùm urbibus contradicentibus, ſibi occupat.

Imperator ab exercitu ſalutatur.

Cũ Saracenis paciſcitur.

Cæterùm cum vires ad bellum, quod ſibi a Michaele, (ut par erat credere) parabatur, ſuſtinendum non ſufficerent, Scythamarcharum conſilio a Saracenis, qui Siciliæ proximi Caruenum urbem eo tempore præpotentem incolebant, quando Tunes tunc parvum oppidum nondum Regni titulum habebat, auxilia petere ſtatuit. Regnabat eo tempore in Carueno urbe Abraamus Halbi, cujus origo, ut Annales Saracenorum produnt, ad Elagleb per 170. quibus ejus propago in Carueno regnaverat annos, refertur. Ad hunc igitur Euphemius nuntios ad petenda belli ſubſidia hac lege miſit, ut ipſe Græcorum, qui Romæi eo tempore nuncupabantur, Imperator, Saracenus verò totius inſulæ Rex eſſet. Placuit Abraamo Euphemii legatio. Quocirca nihil cunctatus, claſſem ingentem quadraginta Saracenorum millibus inſtructam, cum Halcamo Saraceno viro militià ſtrenuo, in Siciliam miſit. Is e Suſa maritimo Carueni Emporio ſolvens, proſpero vento Siciliam non longè a Mazara poſt triduum applicuit. Ubi cum ſine hoſtium obſtaculo armatos ad littus expoſuiſſet, claſſem combuſſit, ut Saraceni, ſublata ſpe in Africam redeundi, ſtrenuè, fortiterque pro ſe, ſuiſque contra Siculos pugnarent. Selinuntem igitur, quam Saracenicè Biledel Bargoth, quod terram pulicorum latinè ſonat, (ſed qua cauſa incertum) appellarunt, primùm omnium adorti, non multo labore expugnarunt, ac oppidanos captos, quo metum cæteris Siculis incuterent, æneis vaſis igni ſuppoſitis coxerunt. Cujus immanitatis famâ adeò Siculi ſunt deterriti, ut ad deditionem faciendam ultro plures civitates, mortis metu prævenire hoſtem feſtinantes, confluxerint.

Qui in Siciliã devecti magnã edunt ſtragem.

Digitized by Google

Alcamū arcē condunt. Subinde Halcamus, iis initiis fœliciter geſtis, ut haberet quo ſe a Siculis aliquando tueri poſſet, locum naturâ munitiſſimum ad ſui munimentum deligens in monte excelſo, ac undique præciſo (cui Bonifato nomen eſt) oppidum, & arcem (ut Annales Maomethani, & Joannes Leonis in ſua Africa teſtantur) condidit, ſuo illi indito nomine, quod adhuc Alcamus appellatum extat. Verùm cum paulò poſt Siculi reſumptis viribus Halcamum ducem, & oppidum durè obſiderent, Abraamus Carueni Rex ingentem Saracenorum exercitum coegit, cui Aſed Benforat virum ſtrenuum ducem præfecit, atque in Siciliam ad ſuis auxiliandum miſit. Qui Siciliam *Novis auxiliis auctis.* trajiciens, Alcamum petiit, quod non ſolùm ab obſidione liberavit, ſed permultas inſulæ urbes fœlici victoriæ curſu adeptus eſt. Euphemius interea Græcorum Imperator ab omnibus (præter paucas) urbibus ſalutatur: Porro affuit illi non multò poſt gravis ultio. Nam cum Imperatoriâ inſignitus inſulâ terreſtri itinere magnam Siciliæ partem tranſcurreret, Syracuſas, quæ urbs cum aliquot paucis in fide adhuc Michaelis ſe continebat, venit. Ubi exercitu non procul ſimul & milite, quo ad tutelam ſui corporis ute- *Euphemius Syracuſas venit.* batur, dimiſſis, cum civibus ſumma adeo familiaritate colloquium affectavit, ac ſi nihil unquam Siciliæ, aut Siculis nocuiſſe videretur, inſidiarumque, ac fraudulenti conſilii metu prorſus ſolutus, urbis ingreſſum, ac Imperialis tituli confirmationem tantummodo expetiit.

Erant eo tempore Syracuſis germani fratres duo militiâ, & nobilitate inſignes, cum quibus antea etiam neceſſitudinem habuerat. Hi occaſionem velut cælitùs datam amplexi, ſacrilegium, ſeditionem, ac Chriſtianæ religionis, Michaeliſque injurias tanquam commune probrum ulciſci, ipſumque flagitioſiſſimum hominem de medio tollere conſtituunt. Firmato itaque inter ſe mutuo conſilio, cum ab eo poſtridie & ipſi cum aliis familiariùs ad colloquium exciti, *A civibus obtruncatur.* hominis cupiditatem, preceſque ſceleribus indignas, atque perfidas pollicitationes diſſimulantiùs excepiſſent, petentiſque ſtudium collaudantes, Euphemium, qui eorum promiſſis, ac fictis acclamationibus plus ſatis confidens in eorum complexus corruerat, inter ipſa blandientis verba ejus cæſarie apprehenſa, ſtricto ferro confoderunt, ac ſubinde exanimem, cruoreque manantem obtruncant, caputque in urbem prope regreſſi palo fixum per vicos traducunt, corporis reliquiis inter equorum calcantium pedes deſertis. Ita Syracuſana virtus de Sacrilego tandem pœnas ſumpſit; cujus cervicem poſtea Conſtantinopolim ad Michaelem Balbum in patratæ ultionis ſignum tranſmiſere.

Saraceni Sicilia potiuntur. Interfecto Euphemio, Saraceni coactis viribus Siciliam omnem, præter Syracuſas, & Tauromenium, (6) quæ nec ad deditionem induci, nec vi ita facilè expugnari poterant, ſibi facilè ſubjecere. Sergius Romanus Pontifex famam tantæ cladis miſeratus Ludovicum ſecundum occidentis Imperatorem ad Saracenis in Sicilia occurrendum hortatur. Ille vel quòd gentis efferæ vires expaveſceret, vel quòd parùm Orienti faveret, in Michaelem, cujus Sicilia erat ditionis, omne expeditionis onus rejecit. Michael interea a Venetis *Michael Imp. a Venetis ſuppetias obtinet.* amicis auxiliares copias ad Siciliam repetendam petiit. Juſtinianus Venetorum Dux Michaeli gratificaturus cum Senatu egit, ut claſſis valida pro ejus ſuppetiis ſtrueretur, quæ poſtquam cum Theophilo Balbi

Balbi filiò in Siciliam appulliſſet, Saracenis in Sicilia mirum in modum prævalentibus, Veneti temerè congredi recuſavere, atque ita re infecta, imo intentata, Venetias unà rediere.

Defuncto poſt octavum ſui imperii annum Michaele, Theophilus filius in Imperium ſuffectus, cum annos duodecim rebus præfuiſſet, biſque cum Saracenis Aſiæ provincias vaſtantibus congreſſus, bis ab eis in prælio victus, caſtriſque exutus fuiſſet, Siciliam ulteriùs repetere nequiit; ſed paulò poſt & ipſe vivere deſiit. (7) Quin & Michaele ejus filio infante, quem Michelottum appellabant, ſub tutela Theodoræ matris, & Principum virorum relicto, Imperio ſuccedente, Tutores animum ad Saracenos Græcià & Sicilià expellendos fruſtra applicuerunt. Michelottus cum quatuordecim annos regnaſſet, quorum tres cum Theodora matre, quam monaſterio poſtea incluſit, abſolverat, Baſilium Macedonem conſortem Imperii aſcivit, a quo mox occiſus eſt. (8) Baſilius verò caeſi Michelotti in Imperio ſucceſſor, quo Saracenos Sicilià & Græcià abigeret, fœdus cum Rege Francorum, & Romanorum Pontifice iniit, claſſem ingentem inſtruxit, cui Nicetam patritium cognomento Oriſam virum genere & militià præclarum præfecit.

Theophilus a Saracenis bis vincitur.

Fœdus contra Saracenos initum.

Is cum pluries jam antea cum Saracenis, qui ex Creta excurrentes Peloponneſum, vicinaſque inſulas populationibus vexabant, dimicando ſuperior extitiſſet, eos etiam, qui Barum Appuliæ urbem tenebant, ſtrenuè ſuperavit, atque urbem ab eis recepit. Inſuper & Saracenorum Præfectum, quem Sultanum appellabant, ardentiſſimo curſu inſecutus cepit, eumque catenis vinctum Regi Francorum miſit. Qui cum ſingulari prudentia eſſet præditus, a Rege benignè exceptus, inter acerbiſſimos rerum caſus clementiſſimam ejus humanitatem expertus eſt. Verùm etſi tantis apud Regem honoribus eſſet exceptus, ſervitutem abhorrens, fraude Punica præparatam fugà libertatem ſibi quæſivit.

Nicetas bis illos ſuperat.

Baſilius poſt hæc Naſarem bello clarum contra Saracenos, qui Græciam populabantur, magna claſſe inſtructum deſtinavit. Is cum hoſtes victos, fugatoſque Peloponneſo expuliſſet, in Italiam contra eoſdem venit. Ubi cum Procopio Protobeſtiario, & Leone Apoſtypa terreſtrium Baſilii copiarum Ducibus, junctis viribus claſſem Saracenorum, quæ tunc ex Africa eò trajecerat, vicit, fugavitque, & plura Calabriæ, & Appuliæ oppida, multaſque arces hoſtium præſidiis munitas recepit, partàque victorià, Conſtantinopolim repetiit. Quo diſcedente, cum Procopius, & Leo contra Saracenos fortiter pugnarent, & Leo, qui dextro claſſis cornu præerat, victor evaſiſſet, Procopio, qui ſiniſtrum ductabat, ſuccumbenti ob veteris invidiæ, ac priſtini odii memoriam, cum poſſet, non ſuccurrit. Quocirca licèt ille ſtrenuè ſe defenderet, tandem occubuit. At cum Leo ſui ſceleris immanitatem, novo aliquo egregio facinore apud Baſilium abolere vellet, Tarentum urbem a Saracenis occupatam magna vi cepit, diripuitque. Non tamen Baſilius eà fortunà adduci potuit, quin tanti criminis debitas pœnas victori irrogaret, eòque non ſolùm eum Præfectura privavit, ſed & in exilium perpetuum miſit.

Naſares dux eoſd. fundit.

Leo dux Tarentū expugnat.

Poſt hæc Saraceni cum res Italiæ, & Siciliæ Baſilio ſubjectas immunitas, expugnatuque faciles cernerent, nec ullam Baſilius claſſem paratam haberet, claſſem illi ingentem in Africa extructam mi-

Saraceni Syracuſas obſident.

litibuſque completam contra Syracuſas urbem mittunt; ignominioſum ſibi fore arbitrati, ſi ad reliquam jam fere Siciliam a ſe conquiſitam Syracuſas urbem eo tempore Regiam non adjungerent. Itaque eorum claſſis littori Syracuſano appulſa militem omnem in terram exponit, qui agros omnes incurſando, populando, incendendoque vix tutum in ipſa urbe incolatum fecerat. Baſilius per ſuum ibi Ducem de hoſtium claſſe certior factus, naves & ipſe contrà parat, omnique commeatu inſtructas Adriano viro patritio committit in Siciliam ad Syracuſas tutandas devehendam. Sed Adrianus Conſtantinopoli ſolvens Peloponneſum proſpero vento ad Hieracis portum applicuit. Ubi cum quieto mari poſſet remis in Siciliam trajicere, auram ſecundam expectans, diutiùs moratus eſt.

Cives ſtrenuè ſe defendunt.

Interea Saraceni terrâ & mari Syracuſas primùm obſident, deinde urbem invadentes ſumma vi oppugnant. Syracuſani contrà acerrimè pro ſe nitebantur, hoſtemque a mœnibus propulſabant; Saraceni pro præda, pro Imperio, Syracuſani pro vita, pro libertate, pro religione certabant; omnis ætas, omnis ordo, ſacri, prophanique, fœminæ, pueri, ſenes tela miniſtrabant, lapides, ignes, ſulphur, oleum incendiarium, picem liquefactam in Saracenos mœnia ſubeuntes præcipitabant. Ubi Hucobus Saracenorum Præfectus ſtrenuè pugnans cum multos Chriſtianorum interemiſſet, tormento ipſe trajectus occubuit. Cujus Saraceni morte in furorem potiùs, quàm terrorem verſi, nube telorum injecta, Syracuſanos paulatim loco ſubmovent. Subinde in ſuprema muri evadentes, cum loco ſuperiores eſſent, ſaxa ibi magno aggere acervatim inventa in Syracuſanos ſubeuntes projiciebant. At illi vulnerum obliti, & ne mortis quidem memores, adeo in tela ruebant, ut cum neque muri, neque ſupereſtantes Saraceni armati arcere eos valerent, gladiis comminus ad bellum devenerint. Cumque Saraceni numero, & viribus ſuperiores eſſent, ſtrictis puglonibus temerariè incurrentes transfodiunt, plures in ſubter patentia mœnia dejiciunt, totoque revulſo agmine, tandem urbis portas infringunt, in urbem irrumpunt, ſtragemque ingentem per domos, & vicos non ſine miſerabili mulierum, puerorumque incolarum undique ploratu, edunt. Ipſi verò ſpe prædæ, & victoriâ alacres, cum immenſo ſtrepitu armorum, cantu, ululatuque patrio, eò ferociùs in obviorum Chriſtianorum corpora ſæviebant, quo civium fletus audiebant. Mox e claſſe portum ingreſſa, milites accedentes quod reliquum erat urbis, miſerè direptum, populatumque demum ferro & igni conſumunt. Ita præclara, atque inſignis illa civitas multos per annos Barbaris dominata corruit, & in Saracenorum Imperium Adriani ignaviâ ceſſit.

Urbem hoſtes invadunt, & diripiunt.

Captæ urbis notitia ad Græcos ſtatim delata.

Capta urbe, Saraceni collectis ſuorum cadaveribus, Hucobo magnificè parentarunt, atque cœnotaphio illi inſigni dicato urbem ſibi munierunt. Captæ urbis eodem ferme die tantæ cladis ad Adrianum, dum ſatis nimis in Hieracis portu præter diligentis Ducis officium temerariè ſibi indulgeret, miro hoc modo notitiam permanaſſe Græcorum monumentis traditur. Eſt locus in Peloponneſo Hieraci portui vicinus Elos græcè, quod Palus eſt latinè, dictus, ubi & claſſis Adriani in ſtatione ſtabat. Ibi ejus regionis paſtores nullo nuntio accepto, pridie Syracuſas urbem a Saracenis captam, ac dirutam palàm prodiderant. Quos cum Adrianus, unde id reſciſſent, interrogaſſet, atque a Dæmonibus in ea palude habitantibus ſe cogno-

Græca claſſis ro infecta, redit.

gnoviſſe reſpondiſſent, cum paſtoribus ipſe ad paludem acceſſit, coramque quod relationi non crediderat, propriis auribus per paſtores rurſus percontatum ex Dæmonum reſponſo accepit. Nec diu poſt Græcorum nonnulli, qui fugâ cladem evaſerant, navigio Peloponneſum appulſi rem omnem, diemque cum prodito a Dæmonibus indicio confirmaverunt. Quo perculſus, ſtatim inde ut venerat, Byzantium regreſſus, verituſque Baſilii iram, ad templum maximum, veluti ad aſylum profugit. Unde extractum, & flagellis cæſum, in exilium Baſilius tandem eum relegavit. (9)

Panormũ Sarac. Regiam conſtituunt.

Saraceni captis incenſiſque Syracuſis, jam tota Sicilia, præter Tauromenium, potiti, liberè per inſulam diſcurſantes, quicquid urbium, oppidorum, locorumque in Sicilia repererunt, incendiis, præter Panormum, fœdarunt. Ea namque urbs quòd deliciis affluat, ab eis in Regiam eſt delecta. Ex quo tempore præclaris & intra, & extra mœnia ædificiis, quorum quædam ſpectatu digna adhuc extant, regiiſque opibus aucta, fuit deinceps tota Sicilia populi frequentiâ, & Regum præſentiâ non ſolùm maxima, ſed Princeps, & Regia. Inde poſtmodum Saraceni & terrâ, & mari excurrentes non modò Siciliam omnem, ſed & Calabriam, Apuliamque ad Peloponneſum uſque deprædantes populabantur.

Græcus Imper. contra Saracenos ducit.

Porro Baſilius eorum inſolentiam reprimere ſtudens, magnam militum manum ex Macedonia, & Thracia delectam, Duce Stephano Mazentio, contra eos emiſit. At Stephanus otio deditus, & voluptati, trajectoque in Venerem ſtudio, cum nihil ſtrenuè eo bello peregiſſet, Præfectura privatus eſt. Cujus loco Nicephorus Phocas genere nobilis, & bello clarus Nicephori Imperatoris avus a Baſilio ſuffectus, ſpecioſiſſima ſibi contra Saracenos victoriarum monumenta, ac titulos peperit. Nam cum primùm eos ſuperatos Italiâ depuliſſet, Manteam, Tropeam, Sanctam Severinam, ac plura alia oppida vi militari ab eis recepit. Et cum pluries foris eos bello profligaſſet, ac domuiſſet, in Sicilia velut relegatos eos vivere, ejuſque terminos ſine diſcrimine non exire compulit. Huic ab Apulis, quod non a Saracenis modò, ſed ab exteris etiam conductitiis militibus, qui in ſeditionem acti, multos in Apulia vi captos in ſervitutem redegerant, ſecumque ad Iſiridem evehere decreverant, eos liberaverat, tantum magnificentiæ tributum eſt, ut ei templo extructo, divinos etiam honores perſolverint.

Nicephorus Phocas Dux præclariſſ.

Saraceni Tauromenium capiunt.

Perſeveravit in Italia hæc, eo authore, cum Saracenis quies uſque ad Conſtantinum Leonis filium, & Baſilii nepotem cognomento Porphyrogenetum. Defuncto Baſilio, cum Leo ejus filius in imperium patri ſucceſſiſſet, Saraceni in Sicilia magna vi Tauromenium aggreſſi, dura aliquandiu obſidione cinctum, maxima demum civium ſtrage, ac calamitate capiunt. (10) Leone decedente, & Conſtantino ejus filio ſeptenni, quòd per ætatem tantæ rerum moli non videretur idoneus, ſub tutoribus cum Zoe matre imperante, Saraceni ingenti claſſe ſolventes, Italiam iterum; nullo obſiſtente, igne, & ferro fœdiſſimè vaſtarunt. Quod ubi Conſtantinopoli nuntiatum eſt, cum jam tum in Bulgares bellum renovatum eſſet, cognoſcentes non poſſe ſe uno tempore orientalibus ſimul, & occidentalibus Saracenis obſiſtere, cum Sicilienſibus pacem inire ſtatuerunt.

Præerat eo tempore in Calabria Conſtantini nomine Euſtathius ex aulicis Imperii unus, vir impiger animo, & ad res componendas

daſ maximè idoneus. Huic negotium pacis cum Saracenis committitur. Quam ille jurisjurandi firmitate, ac annuo viginti duorum millium aureorum tributo Saracenis a Conſtantino perſolvendo facilè impetravit. Pace compoſita, Joannem Mazalonem virum domi nobilem Conſtantini tutores Calabriæ præfecerunt. Qui cum avarè, ac crudeliter provinciam ſuſceptam adminiſtraret, a Calabris occiſus eſt. Quo interempto, Calabri Landulfum Langobardorum ducem, & principem non armis modò, ſed & liberalitate, clementiaque conſpicuum, qui tunc temporis Capuà, Benevento, & pluribus aliis Samnitibus, ac Apulis urbibus præerat, ſibi dominum (ſpreto Conſtantini pueri Imperatoris imperio) elegere.

Pax inter Saracenos, & Græcos.

Interea Lecapenus nomine & origine Romanus, licèt ſordido loco natus, Leonis olim claſſis Præfectus unus tutorum Conſtantini, datâ puero Helenâ filiâ in uxorem, & Zoe matre per arma, domumque ejecta, imperii ſocius a Conſtantino per vim aſciſcitur. Igitur imperii initio contractis viribus, & frequenti copiarum robore terrâ & mari comparato, amiſſæ Calabriæ injuriam non in Landulphum modò, verùm in omnes Langobardos ulciſci ſtatuit, priùs tamen prudentia uſus, Coſmam Theſſalonicum virum patritium, & titulis etiam apud Landulphum celebrem ad eum mittit, qui ad Calabriæ reſtitutionem, & fœdus ſecum ineundum Principem hortetur, ni hoſtiles vires in ſuam perniciem experiri velit. Landulphus etſi primùm nonnihil rem detrectare videretur, paulò poſt Coſmæ conſiliis acquieſcens, & Calabriam reſtituit, & pacem cum Conſtantino, & Romano habuit.

Græci a Langobardis Calabriâ vindicant.

Poſt hæc Simeon Bulgarorum Princeps, qui pluries ex Conſtantinopolitanis victoriam retulerat, fœdus per nuntios cum Fatlo Saracenorum Africæ Principe contra Imperium orientale tentat, ut claſſem Fatlus ingentem contra Conſtantinopolim inſtruat, dum ipſe terreſtri exercitu per Thraciam Græciam pervaderet; atque ita terrâ, & mari urbem duriſſimè obſiderent; qua capta, diviſiſque inter ſe ſpoliis, imperium penes Saracenum eſſet, & ipſe ad propria victor remearet. His conditionibus illectus Fatlus aſſenſum præbuit, fœdus cum Simeone iniit, quod ut firmaretur, plures ex nobilibus Saracenis cum Bulgaris nuntiis domum redeuntibus ad Simeonem mittit. Hi verò dum mare Siculum eo animo trajiciunt, a Græcis, qui littoralem Calabriæ oram cuſtodiebant, intercepti Conſtantinopolim ad Romanum Imperatorem mittuntur.

Fatlus Africæ Rex contrà Græcos.

Romanus ut ætate, ita & prudentiâ, & maturitate ſenex, veritus ne ſi fœdus inter Bulgaros, & Saracenos miretur, ipſe in maximas difficultates prolaberetur, beneficiis, ac muneribus iu pace Saracenos ſecum continere decrevit. Quocirca in carcerem conjectis Bulgarorum legatis, Saracenos regio more donatos ad Fatlum eorum Principem, & præclara quoque munera eidem per ſuos oratores ferenda remiſit, imponens, ut ſuo nomine reverſi Principi dicerent: Imperatorum hunc eſſe morem hoſtibus dona mittere; excuſarent proinde Romanum ob non penſum hactenus tributum. Cujus ratio non a voluntate, ſed a rerum turbinibus, qui ipſum circumdederant, provenerat. Hæc omnia ubi Fatlus accepit, adeo erga Romanum grati fuit animi, ut & dimidium debiti tributi ei in perpetuum remitteret, & nihil in Conſtantinopolim deinceps acerbius tentaverit. (11) Ita pacato Saraceno, res inter Græcos, & Saracenos in Italia diu quieverunt.

Illû Græci ſibi conciliant.

Tributum ei remittit.

Magna annonæ caritas in Calabria.

Cumque poſtea in Calabria Crinitus Chaldus rebus ab Imperatore præfectus Saracenos in Sicilia, & Africa per nimiam annonæ caritatem inediâ affligeret, avaritiam hominis, cupiditatemque abhorrens Romanus, & Præfecturâ, & re quoque omni pecuniaria ipſum privavit. Porro eò temporum vitio cum plurimi Carthaginenſes Saraceni fame ſuperati ultro in ſervitutem apud Græcos tranſiiſſent; quos Africæ Principes veriti, ne Chriſtiani, ob importunitatem, vitæ neceſſaria eis denegarent, non modò non repetiiſſent, ſed neque tributi rationem exigerent; ubertate tandem terræ reddita, & ultroneos ſervos, & tributa Saraceni repetere cœperunt. Quæ cum potentibus non redderentur, primam violandi fœderis occaſionem præbuere. Quocirca Saraceni e Sicilia quotidie moventes, multam Calabriæ partem emenſi infeſtis armis depopulabantur, ruſſuſque poſt editas latè ſtrages, vaſtatoſque hoſtiliter agros, prædâ onuſti domum recurrebant.

Saraceni Calabriæ infeſti.

Porro Conſtantinus, qui jam Romano ob impietatem in exilium pulſo, ipſe ſummam Imperii ſolus adminiſtrabat, ſoceri veſtigia non imitatus, non tam de pace renovanda, quàm de vindicta fuit ſolicitus. Eòque Malacenum patricium virum impigrum cum maximis copiis pedeſtribus, & cum claſſe Macrum Joannem Præfectos in Calabriam miſit, ut cum exercitu Paſchalis Calabriæ Ducis juncti, bellum Saracenis, Carthaginenſibus, & Siculis inferrent. At enimvero hi ita juncti, tot damnis ſuos affecerunt, quot hoſtes Saraceni nunquam intuliſſent. Interea Fatlo defuncto, Bulchar Saracenus Rex, quem Admiratum appellant, in Sicilia ſucceſſit; is ubi Græcorum apparatum cognovit, contractis ſuorum copiis ad bellum, & victoriam adeo efficaciter eos eſt hortatus, ut conſerto bello, ſuperiores Saraceni, Græcis omnibus profligatis, eorumque ducibus in extremum vitæ diſcrimen adductis, Calabriam mox, & Apuliam ingreſſi, omnem eam Italiæ oram a ſtrictioribus Calabrorum, & Hidruntinorum promontoriis in ampliorem terram inter ſuperum, ac inferum maria ſemper ſe extendentem, uſque ad Garganum montem ceperint. Unde Italiam multis poſtea temporibus miris calamitatibus afflixerunt. Quod ubi Conſtantinus animadvertit, ne ulteriùs ea rabies ſerperet, miſſo Joanne Aſicreto cognomento Pilato, pace n,fœderaque a Saracenorum Rege petiit. Cui ille libenter annuit, aſſerens, Saracenos victoriis non adeo extolli, quin victores pacem etiam cum victis amplecterentur.

Græci contra Saracenos.

Bello conſerto Saraceni vincunt.

Induciæ inter utroſque.

Initum igitur ad certum tempus, firmatumque eſt fœdus. Quo elapſo, denuo novis Saraceni excurſionibus Calabriam aggreſſi, cuncta immitiùs ſolito deprædabantur. At Conſtantinus reſumptis viribus, terrâ & mari contra eos aciem mittit. (12) Claſſi Præfectos Carbeam, & Moroleonem viros ſtrenuos, belloque expertos, exercitui verò Marianum Argyrum virum patritium præfecit. Hi cum Hidrontum applicuiſſent, paratis omnibus, quæ ad bellum neceſſaria videbantur, in Siciliam navigaverunt. Quod ubi Saraceni, qui in Calabria erant, reſciverunt, tantæ claſſis formidine perculſi, ſolutis ordinibus, e Rhegio Meſſanam & ipſi trajecerunt. Unde Panormum verſus deſtinato curſu navigantes, repentina maris procella abacti, omnes prope fluctibus ſunt abſorpti. Quo naufragio conſternati, pacem cum Græcis inſtaurarunt, quæ uſque ad Nicephorum Phocam Imperatorem duravit.

Saraceni naufragio perculſi.

Mor-

Græci contra Sarac. bellum infeliciter gerunt.

Mortuo Conſtantino Porphyrogeneto, imperium orientale tenuit Romanus ejus filius. Qui non ita multò poſt vivere etiam & ipſe deſiit, relictis Baſilio, & Conſtantino liberis. Quo defuncto, ob filiorum impubertatem Nicephorus Phocas, Phocæ Nicephori, cujus in Sicilia contra Saracenos res egregiè geſtas ſupra memoravimus, nepos imperio ſucceſſit. Is, principatu ſuſcepto, cum dedecus eſſe majeſtati imperatoriæ barbaris tributum, & vectigal pendere duceret, claſſem ingentem in Siciliam, contra Saracenos inſulam occupantes inſtruxit, cui Manicellum (13) patritium Leonis fratris ex pellice nepotem præfecit. Qui cum & ætatis, & experientiæ defectu ad præfecturam eſſet ineptus, præterquàm quòd pluribus vitiis obnoxius, ducum, qui ſibi conſultores dati fuerant, conſilia non admitteret, adeo rem infœliciter geſſit, ut a Saracenis locis aſperis & anguſtis concluſus, omnibus cum copiis victus, & profligatus fuerit, capto in eo bello Niceta Patritio claſſis Drungario & Eunucho, & in Africam in captivitatem miſſo.

Meles Barenſis cõtra Græc.

Nicephoro Phoca poſt hæc interfecto, Baſilius Romani primogenitus jam adultus imperare cœpit. Quo rerum potiente, Meles Barenſis vir primarius, & Princeps in Italia contra eum bellum movit. Cujus conatus repreſſurus Imperator, ingentem exercitum ſub Baſilii Sanii, & Contoleonis Cephalonii ductu, ſtatim contrà emiſit. Sed eos Meles brevi adeo preſſit, concluſitque, ut edita maxima ſtrage, hoſtium plurimos ceperit, cæteris fœdè in fugam prolapſis. (14) Nec multò poſt Baſilius & alium undique coactum exercitum, cui Oreſtem Protoſpatarum Eunuchorum ſuorum fidiſſimum præfecit, in Siciliam contra Saracenos ire contendit. Sed morte præreptus poſt ſeptuageſimum & alterum vitæ annum belli hujus exitum non vidit.

Græci a Saracen. vincũtur.

Huic cum Conſtantinus frater in Imperium ſucceſſiſſet, & Oreſtes cum claſſe Siciliam applicuiſſet, a Saracenis, qui famâ novæ expeditionis ſatis ſe munierant, per inanes inducias deluſus, cum magna ſuorum cæde ob ſui ignaviam, & militum ex alvi doloribus imbecillitatem ſuperatus fuit. Nec hæc calamitas quicquam Conſtantini animo ademit, quin reſumptis armis, accitoque novo ex Græcia & Macedonia exercitu, Italiam repeteret. Nihil tamen laude dignum geſtum eſt, quod Oreſti obſcuriſſimo, & barbaro homini rem totam tradidiſſet.

Ad Cycladas Græci Saracenos ſuperant.

Poſt hæc Zoe Conſtantini filia Agryropylo nupſit, qui decedenti poſt tertium Imperii ſui annum ſocero, in adminiſtrationem cum uxore ſucceſſit. Qui principio Imperii Oreſte, veluti ad Præfecturam inepto, abrogato, Nicephorum Carantenum in Græcia ſuffecit. Is cum ſub idem tempus Saraceni ex Africa, & Sicilia cum claſſe decem Saracenorum millibus inſtructa ſolventes, Inſulas Cycladas, ac littoralia Græcorum omnia vaſtarent, lætis auſpiciis contra excurſores belli periculum ſubit, ac hoſtes ſuperat. E quorum numero qingentis ex nobilioribus captis, & in vinculis ad Romanum Imperatorem remiſſis, cæteros in fugam vertit. Cumque recepta ea clade Saraceni nihil a feritate deſiſterent, rurſus Græciam ingreſſi, cuncta rapinis, & incendio fœdarunt. Nicephorus ſuperioris animi non immemor, eos adortus, magna ſtrage edita, ſexcentos ex eis captos ad Imperatorem iterum miſit. Romanus poſt hæc novum exercitum terrâ marique comparatum in Italiam miſit. Cujus copiis terreſtribus Leonem Opum, maritimis verò Joannem Baſilii Imperatoris olim cam-

Camerarium contra Saracenos præfecit. De quibus nihil memorabile proditum eſt.

Romano deinde Zoes uxoris inſidiis intra balneas aquis immerſo, Michael Paphlago ſecundus Zoes vir in Imperium ſucceſſit. Quo imperante, Saraceni ex Africa, & Sicilia ſolitâ inconſtantiâ, prælio-rumque veluti prurigine ſolventes, in Græciam uſque navigarunt. Ubi cum Cycladas inſulas, & Thraciæ littoralia prædando, vaſtandoque turpiter percuſſiſſent, tandem a Græcis, qui præſidio ibi erant, copias educentibus ſuperati, captique ſunt; quorum ſexcenti ad Michaelem miſſi, cæteri vivi palis infixi periere. Porro Michael victoria uti neſciens, ad quietem, quàm ad res turbulentas pronior, Georgium privatum virum gerendis rebus ſatis idoneum in Siciliam ad Apolafarum Maomethum Saracenorum ibidem Admiratum pro pace firmanda miſit. Accepit benignè Saracenus pacis conditiones, pro quibus filium ſuum cum Georgio Conſtantinopolim ad Imperatorem obſidem miſit. A quo & ipſe unus ex palatii Magiſtris eſt conſtitutus. Quæ dignitas eo tempore poſt Cæſarem ſummus erat honor. Atque ita inter Siculos Saracenos, & Græcos aliquandiu res quieverunt.

Saraceni Græciâ invadunt, & funduntur.

Pax inter Græcos & Saracenos.

1. DE hoc Inſulæ noſtræ excidio diximus fol. 306.
2. A Saraca Arabiæ Petrææ regione Saracenos appellatos alii volunt, quæ jacet poſt Nabathæos.
3. Hæc, ſervata annorum ſerie, levi calamo jam ſupra tetigimus.
4. Imperii regimen Michael Balbus nonniſi anno DCCCXX. aſſumpſit. Sequens itaque clades a Fazello memorata ad hæc tempora revocanda. Tunc ex ordine Monaſtico latè per Siciliam propagato complures Monachi martyrio affecti, necnon & alii Chriſti fideles felici agone pro veritate conſummati leguntur.
5. Habes typis Venetis editum hoc Joannis Curopalates Scytliƶæ opus anno 1570. & rurſus in Bibliotheca Byzantina loco decimo, tom. 9. recuſum.
6. Complures alias in Sicilia urbes minimè a Saracenis primo illo impetu expugnatas Anonymi Arabi Annales apertiſſimè produnt. Sicaniam, quam hodie Mazaræ vallem dicimus, pene omnem illi quidem ſibi vendicarunt; mox alias, & alias variâ fortunâ, nunc victores, nunc victi, aut ceſſerunt, aut in ſuam poteſtatem redegerunt.
7. Sub Theophilo Panormus ſemel Saracenis ſubjecta, nonniſi Georgii Maniacis virtute libertati aſſeritur, uti ſequenti cap. videbimus.
8. Theodoræ, mox ut filii tutelam ſuſcepit, prima ac præcipua fuit cura Sacrarum Imaginum cultum diu eliminatum, coacta Byzantii Synodo, revocare. Exauctorato hinc Joanni Patriarchæ Iconomacho Methodium Syracuſanum in Byzantinæ Eccleſiæ regimine piiſſima mulier ſubrogatum voluit, qui ab impio Theophilo teterrimo carceri, ſeu veriùs ſepulchro damnatus pro fidei defenſione jam dudum fuerat. Præfuit Methodius optima opinione, ſedemque ſuam virtutibus & doctrina cumulatiſſimè exornavit. Illi conſors Joſeph Hymnographus & ipſe Syracuſanus Monachus vir ſanctitate, & ſcientiâ illuſtris effloruit, de quibus conſulendi Eccleſiaſtici Scriptores.

Poſt Methodium Ignatius obtinuit, quem Bardas Cæſar variè exagitatum ſede ejecit ſua, Photio Eunucho homine laico, quamvis alioqui eruditiſſimo, in Patriarcham evecto; unde diuturno ſchiſmati occaſio data. Photio Gregorius Asbeſta Syracuſanus Præſul, quem ob varia crimina Ignatius loco amoverat, ſtatim adhæſit, eumque ſacris primùm initiatum contra Eccleſiæ ritum Epiſcopum inauguravit. Hinc Gregorii nomen in faſtis Eccleſiæ ab infamia celebre evaſit. Photii enim fidiſſimus comes, varias cum eo

tur-

turbas excitavit, quas tandem Concilium Octavum agente Baſilio Imperatore Conſtantinopoli coactum, abrogatis Photio & Gregorio, compeſcuit. In eo Euthymius Catanæ Metropolita pluries ſubſcribit; nec non Gregorius Meſſanenſis, Zacherias Tauromenites, Theodorus Archiepiſcopus Syracuſanus Gregorio ſuffectus aliique memorantur. Petrus per id temporis cognomento Siculus etiam vixit, de quo in Annalibus Eccleſ. ad annum 870.

9. Extat de hoc Syracuſarum excidio Theodoſii Monachi ad Leonem Diaconum Epiſtola, in qua præ aliis calamitatibus, diriſſima fame cives vexatos atque conſumptos, ſeque tandem cum Sophronio urbis Præſule Panormum deportatum, ac ibi ambos teterrimo carceri addictos enarrat.

10. Tauromenii veluti munitiſſima in urbe Romano-Græcus Siciliæ Prætor tunc temporis ſedem ſtatuerat, quò etiam primarii ex Siculis ſeſe receperant; quumque aliquandò ad ſacras Divi Pancratii exuvias venerandas Elias Monachus Ennenſis vitæ ſanctimoniâ celebris, eò deveniſſet, Conſtantino Patritio, aliiſque urbis excidium, quod a Saracenis inſtabat, prædixit. Peracta ſubinde clade, civium reliquos per vallium concava perquirentes Barbari, ipſumque Epiſcopum Procopium, ac ejus clericos, in odium religionis, omnes ad unum capite truncatos martyrio afficiunt.

11. Phatlus hic Africæ princeps ex Curopalate, idem ac Abbaidalla, de quo inferiùs.

12. Prima Conſtantini in Saracenos expeditio ſub duce Baſilio fuit, quæ re fortiter in Calabria geſta, exſcenſione in Siciliam facta, Thermes Selinuntinas expugnavit; tum prope Mazzaram magna edita Saracenorum ſtrage, Amiræ exercitum fudit anno circiter CMLVI. Poſt biennium Cabream & Mauroleonem duces ille deſtinavit.

13. Hunc Emmanuelem Curopalates appellat, qui etſi infeliciter perierit a Saracenis circumventus, primo tamen impetu in orientales inſulæ oras cum ſuis e claſſe egreſſus, Syracuſas, Leontinos, & Tauromenium expugnavit, tandemque ad ſeptentrionalem plagam converſus Thermas Himerenſes ſibi ſubdidit.

14. Tunc primùm in Italia Nortmannos ſtipendia feciſſe tradit Lupus Protoſpata. Melis quippe auxiliarii ex illis complures, ſolo patrio relicto, in Apulia contra Græcos arma ſumpſere, collatiſque ſignis, eos Barium uſque fugarunt. Verùm mox ab illis novis legionibus auctis ad Cannas provocati, ſuccumbentes, in fugam acti ſunt, ac ſub Pandulpho Capuano principe deinceps militarunt.

DE

DE SARACENIS SICILIÆ AMIRIS.

Siciliæ clades per Saracenos, ſuſceptaque contra eoſdem ab Romano-Græcis bella hucuſque ex Curopalate, aliiſque recenſuit Fazellus, de Saracenico in Sicilia imperio, quod incompertum omnino habuit, nihil aut pene nihil ediſſerens. Noſtrum hinc erit de illo ex Saracenico-Siculis monumentis nonnulla ſcitu digna proferre, atque Amirarum res ex ordine enarrare.

Adalcam. I. Amira Panormum, & Meſſ. expugnat.

Julio igitur menſe anno DCCCXXVIII. e Suſa Africæ portu Saracenica claſſis ſolvens, duce Adalcamo, in Siciliam delata loca aliquot maritima, vicinaſque inſulas ad ſeptentrionale latus ſibi occupat. Meſſanam ſubinde triennio poſt, Theodati urbis Præfecti virtute diu contra barbarorum vires defenſam Adalcamus expugnat, ac Liparam diripit. Anno DCCCXXXII. Panormum ſubjicit, ac Saracenicæ ditionis caput conſtituit. Mortuo Adalcamo Maomethus Abdallæ filius Siciliæ regimini admovetur, qui anno DCCCXLV. Motyca potitus, maximo cum Chriſtianis prælio apud Ennam conflixit. Ab invaſione enim Saracenorum veluti in munitiſſima Arce Romano-Græcus Prætor Ennæ domicilium ſtatuit; crebræ hinc utrinque excurſiones in ejus agro fiebant. Victor itaque, cæſis ex Chriſtianis mille circiter, quum evaſiſſet, Leontinos adortus tandem vi expugnavit; hinc Raguſiam longa obſidione vexatam, in qua extremâ annonæ penuriâ cives pene omnes defecerunt, ſubegit. Nono Amiratus anno Maomethus defecit, novuſque Amira Alabbas ſufficitur, qui ſæpiùs collatis ſignis Græcos ſudit, Ennamque, ac Buteram occupavit. Hinc e Peloro ad Pachynum oras depopulatus, Neto, Syracuſis, Catana, & Tauromenio exceptis, reliquis oppidis jugum impoſuit.

Maometh. II. Am. Motycâ Leont. & Raguſiam.

Alabbas III. Am. Ennâ, & Buteram.

Succeſſit Alabbæ Ciaphaias Bin Sophia. Hic anno DCCCLXIV. Netum obſidione capit, quam tamen jacturam egrè ferentes Græci brevi illud recuperant; poſt biennium iterum Saracenis oppugnantibus, redditurі cum Raguſia, quam nonnullos ante annos receperant. De tot Siciliæ arcibus victor Melitam trajicit, & diripit; reverſuſque in Siciliam militis Afri inſidiis vitâ privatur; cujus loco Maomethus filius a populo ſufficitur. Hunc anno regiminis ſecundo, vulgaris æræ DCCCLXX. Eunuchi confodiunt, cui Aliabba Calipha Amethum Jacubi ſubſtituit. Sub eo ex Africa & Panormo in Calabriam transfretantes Barbari navibus prædatoriis inferi & ſuperi maris oras infeſtarunt, quibus fœderati Neapolitani, ingenti ſanè Chriſtianorum dedecore, dicuntur. Præfuit mox Africæ, ſummumque in Sicilia imperium Ibraimus, habuit Chriſtiani nominis infenſiſſimus hoſtis; qui magno ſuorum militum apparatu, claſſeque ingenti in Siciliam trajiciens Syracuſas diu obſeſſas expugnavit, incendit, vaſtavit, Duce Buſa Cagebi filio, quem Fazellus corrupto vocabulo Ucobbum appellat. Prędam ex direpta urbe aſportatam ad decies centena millia nummûm perveniſſe tradunt. Exceptus porro Buſa ab Ibraimo Panormi degente, effuſis obviam populis, lætiſque gratulationibus Summus Amira renunciatur, ſive ſupremus Talaſſiarcha.

Ciaphaias IV. Am. Netû.

Maometh. V. Amira.

Amethus VI. Am. ſub quo Syrac. captæ.

Syracuſarum excidio complurium locorum per Inſulam Græcorum adhuc partibus faventium ruina acceſſit, ferroque ac flammis in-

Alia loca direpta.

ingens undique direptio; a quibus malis aliquando temperatum Nicephori Phocæ ſtrenui Græci Imperii ducis virtute, qui ereptis in Calabria e manibus hoſtium aliquot oppidis, Tauromenii & aliarum arcium præſidia auxit.

Alaſſanus 7. Am. a Græcis victus.

Alaſſanum inter hæc Ibraimus Calipha ex Africa tranſmiſſum Siciliæ adminiſtrandæ admovit, qui a Græcis ſibi cavens, claſſe valida inſulæ oras vigili cuſtodia defendit, navibus nihilominus cum hoſte concurrens, victus fugatuſque ab Apulia, & Calabria vexandis deinceps abſtinuit. At verò non diu poſt Piratarum manus, quibus nonnulli ex Chriſtianis adjuncti feruntur, rurſus Italiæ & Siciliæ littora devaſtans, navali prælio in Mamertino freto cum Græcis commiſſo, intégram ex his victoriam reportavit anno DCCCLXXXVIII. ut in ſuo Chronico Erchembertus. Arabs tamen

Claſſis Græc. diſſipatur.

Anonymus Romano-Græcos tradit, excenſione in inſulam facta, cum Saracenis in pugnam veniſſe, mox ad Mylas claſſibus conflixiſſe; in quo navali certamine ex Chriſtianis millia quinque deſiderata ſunt, reliqui e cæde exempti. Rhegium ſeſe receperunt.

Paucis elapſis annis Saraceni Siculi apud Panormum in Afros inſurgunt, Altamelum ſtrenuum ducem confodiunt, facinoriſque timore perculſi cum finitimis Calabriæ & Siculis Græcis inducias paciſcuntur. Quod ubi ad Ibraimum Calipham pervenit, Abulabam hic filium magno cum exercitu ex Africa ad coercendos rebelles

Saracen. Sicul. rebelles funduntur.

in Siciliam miſit anno CM. Militum e navibus egreſſu ad Lilybæi oram facto, die quarta & viceſima Julii Panormum Abulaba contendit, arctiſſima obſidione urbem circumdedit, ſextoque Idus Septembris tandem expugnavit Amiram Alaſſanum ſive Abulaſſanum ſuam in ſedem reſtituit, Rhegiumque in Calabriam profectus, eam quoque urbem firmo licèt præſidio, quod e vicinis confluxerat provinciis, inſtructam, diripuit, millibus ſeptem ſupra decem captivis Chriſtianis ſecum abductis.

Hinc Panormum ovans reverſus, Ibraimo nuntiatum in Africam de parta victoria opimiſque ſpoliis, mittit, qui immitis, ut erat,

Ibraimus Caliphas in Sicil.

animi acriter Ducem increpuit, quòd tempus per deſidiam Panormi terens nihil in Chriſtianos moliretur. Illo igitur exauctorato, ipſe ad inſulam univerſam ſubjiciendam, & Italiam quoque attentandam comparatis maximis poſt hominum memoriam copiis, in Siciliam delatus, Tauromenium rectà contendit, in quo uno omnes Græcorum, Siculorumque vires claudebantur cum ipſo Prætore. Perluſtratis urbis mœnibus, atque ambitu Ibraimus, quàm arduum foret vi & obſidione urbem loco edito munitiſſimam capere, cognoſcens, ad in-

Tauromenium capit, & diripit.

ſidias converſus, perniciores ex ſuis, qui in mœnia per prærupta ſaxa, ac rupes irrumperent, magnis propoſitis muneribus emittit. Hi, dum cuſtodes ſecuri de ſitu alibi excubant, urbem penetrantes, datoque ſigno, ex compoſito ſocios advocant, qui in portas irruentes, magnaque vi effractas in civitatem invadunt, magnam omnis ætatis ac ſexus cædem crudeliſſimè edunt, ædificia incendunt, Templa diruunt, omnia denique in prædam agunt. Pagius ex Annalibus Leonis Grammatici Tauromenium non tam excubiarum incuriâ, quàm Euſta-

Tauromenii caſus ex proditione,

chii Præfecti Cohortis proditione captum a Saracenis enarrat, nec non Caramali, & Michaelis Ceratti deſidiâ, qui ad ferendam obſeſſis opem miſſi, rem ſegniter geſſerunt; hinc ubi Byzantium remeavere, juſſu Imperatoris capite damnati, nonniſi Nicolai Patriarchæ precibus exilio mortem commutarunt.

Tau-

Calabros vexat, & Coſent. obſidet.

Ubi Tauromenii clades Italiam pervaſit, plures Calabriç, & inferioris regionis urbes ſibi timentes legatos ad Ibraimum deſtinarunt, pacem, ſive inducias, aut fœdus cum eo poſtulantes; quos ille ſuperbè repulit, nec coram adduci paſſus eſt, minaſque addidit. Grçcis nedum, ſed Gallis, Germaniſque, qui ſuppetias Italis, aut Calabris tuliſſent. E Sicilia igitur in Calabriam ducens Coſentiam primo impetu aggreditur, ratus illà expugnatà, Romam quoque victrices copias traducere. Verùm Coſentinis fortiter mœnia urbemque propugnantibus, filium primò amiſit, mox ipſe aut fulmine ictus, uti Protoſpata refert, aut dyſenteriâ confectus, ut aliis placet, periit, eodem Tauromenitani excidii anno, Regni hærede nepote relicto, qui dum in Siciliam primò, moxque in Africam regreditur, claſſem magna ex parte tempeſtate amiſit, & paulò poſt vivere & ipſe deſiit, ultimus Aglabidarum familiæ, quæ ad centum fere annos in Africa regnaverat.

Fulmine ictus perit.

Poſt hujus mortem majori ampliorique poteſtate Africæ dominatum Obeidallas ex Fatima Maomethi filia prognatus invadens, qui & Almabdi apud Pagium appellatur ad annum CMX. Caliphatum ſuum ab aliis diviſum in urbe ex Aphrodiſii reliquiis extructa, Maida ſubinde appellata, conſtituit, Saracenoſque Afros, & qui in Sardinia erant, ſubditos habuit; Quumque & Siculos ſibi etiam adjungere vellet, in Siciliam anno CMIX. trajecit, dieſque quadraginta Panormi moratus Alaſſanum Amedi filium, qui ſuas in Sicilia vices gereret, reliquit. Contra hunc duce Abulphamaro Siculi Saraceni nihilominus inſurgentes, ut in Africam ſeſe reciperet, coegerunt; nec deſunt authores, qui in conſpiratione occiſum etiam affirmant, novumque Amiram Korabum ſibi Panormitanos elegiſſe tradunt. Hic Afrorum claſſem in ſui perniciem adnavigantem adortus, facilè fudit; at dum contra Græcos ſequenti anno ducere cogitat, naufragium paſſus navium potiorem amiſit partem; hinc præfecturâ a ſuis privatus, exul in Africam cum filio remeavit anno CMXVI.

Alaſſanus 8. Amira.

Korabus 9. Amira.

Ut porro expeditiores Siculi Saraceni contra Afros bellum gererent, fœdus cum Romano-Græcis ineunt; maximos quippe apparatus Obeidallam contra eos moliri audierant, ut ſuæ denuò ditinni aſſereret, a qua, ut vidimus, deſciverant. Navalibus porro, ac terreſtribus ſuis copiis Abuſaidam ſtrenuum fortemque virum Obeidallas Calipha præfuit, qui in Siciliam delatus, quarto nonas Auguſti ejuſdem anni Panormum obſidione duriſſima diebus quadraginta tenuit, expugnatamque quarto Kalendas Octobris victor ingreditur. Nec ideo conſternati Siculi animos deponunt, ſed viribus conjunctis ſub Aliaphari filii ducatu contra Abuſaidam bellum inſtaurant, obſeſſumque Panormi ad longum tempus intercludunt, diraque fame vexatum cum ſuis ad deditionem, pacemque poſtulandam compellunt. Inita igitur hæc fuit hiſce conditionibus: Ut urbe Siculi potirentur, Claſſis in Africam rediret, viceſque Caliphç Salemus per inſulam obiret. Rexit hic ad multos annos, induciaſque cum Græcis confirmavit, cum Tauromenitanis præſertim, qui poſtliminio patriam recuperaverant. Verùm ſuos adeo tributis, noviſque vectigalibus afflixit, ut ipſum Calipham ad indignationem provocaret, Agrigentiniſque rebellandi cauſam præberet. Inter hæc ingens aquarum alluvio Panormum afflixit, civium complures ſubmerſit, ædificia intra, & extra urbem evertit.

Obeid. Calipha Cõtra Sic. Sar.

Salemus Amira 10.

Agrig. Sarac. rebellant.

Erat porro Agrigentum indigenarum tunc multitudine frequens; excitatoque tumultu, Saracenos milites Africanos urbis præſidiarios ejecit, atque Hamramum Præfectum, ut in proximam Calatabelloctæ arcem ſe reciperet, compulit. Quod ubi Salemus agnovit, exercitu comparato, contra Agrigentum movit, & caſtra ad urbem metatus eſt. Quumque ad ſegetes vaſtandas ſubinde in agrum excurreret, id conſpicati Agrigentini, magno agmine in hoſtes egreſſi, pugnâ commiſsâ, illuſtrem de iis victoriam reportarunt. Tum ad oppugnandam Panormum ovantes procedunt, cujus cives Maymano Suſæ filio duce e mœnibus prodeuntes, conſertiſque manibus, victores e finibus abjiciunt. Agrigentinorum exemplum, ex odio in Amiram

Panormus, & aliæ urbes.

concepto, aliquot quoque oppida ſequuntur, ipſaque Panormus arma contra Salemum convertit. Is tamen licèt undique impetitus rebelles compeſcuit, magis noxios reſti & palo damnatos delevit, brevique Panormum obtinuit. cujus rei monumentum Arabicis literis exaratum hodie etiamnum viſitur.

Sicula ſeditione per Africam vulgata, recens Calipha Alcaimus, qui patri Obeidallæ ſucceſſerat, ingentem exercitum adornat, atque in Siciliam ſub Chalillo præfecto tranſmittit. Hic Panormum appulſus mœnibus urbem nudandam, quo patrati ſceleris pœnas lueret, cenſuit; quæ quidem ſeveritas ad arma reliquos Siculos, & A-

Chalillus contra rebelles.

grigentinos præcipuè excitavit. Hos ut compeſceret Chalillus, collectis viribus Agrigentum oppugnaturus acceſſit; Verùm extra muros a civibus malè exceptus ſeptimo Idus Martii CMXXXVIII. ingenti clade afficitur, viroſque præcipuos exercitus ſui Abiazirum, & Alihoſanum Salemi generum amittit. Quumque inceptam obſidionem obſtinatè perſequi vellet, eamque incaſſum ad menſes octo produxiſſet, oppugnatione tandem ſoluta, Panormum rediit, graviſſimiſque tributis populo impoſitis, ingentem auri vim cogit ad contrahendos ex Africa milites, qui in Siciliam trajicerent.

Agrig. Græcos auxiliares habent.

Interim Agrigentini maximo Afrorum apparatu exterriti, ac viribus impares ad Græcum Imperatorem Romanum Locapenum ſuppetias exoratum mittunt, quas facilè impetrant. Chalillus verò novis adauctus copiis, exercitu educto, Calatabuturi, & Sclafani arces (addunt alii Buteræ, & Aſſori, & Fimi inſulam) ſeditioſis tutiſſimum perfugium facilè occupat, mox Calatabelloctam adoritur, cujus tamen obſidionem ſolvere cogitur. Agrigentini enim, quorum plurimum arcis hujus intererat conſervatio, facto in hoſtes impetu, caſtriſque expugnatis, illos turpiter fugarunt, ac Panormum reverti coegere. Tot ex inteſtino bello malis ingens annonæ caritas per in-

Ingens fames Inſulâ vexat.

ſulam univerſam acceſſit, adeo ut premente fame, a liberis quoque vorandis Parentes minimè abſtinerent. Id verò non obfuit, quominus Chalillus ab inceptis deſiſteret; hinc Menſe Martio anni CMIX. Calatabelloctam rurſus adortus expugnavit, atque Agrigentum ſubinde civibus pene vacuum, quos nempe fames, metuſque in fugam egerat, ſubdidit. Captivis hinc ingenti numero in Africam tranſmiſſis, motuumque & ſeditionis authoribus, perforata in alto pelago navi, qua ad Calipham vehebantur, perditis, ipſe in patriam regreſſus, Salemo Amiræ paulò ante defuncto Aleuſium, & Attaſium, qui Panormo præeſſent, ſubſtituit Anno CMXLI.

Peſſimus Siciliæ ſtatus.

Creſcente fame, furta, rapinæ, violentiæ, injuriæ adeo increbuere, ut inſulæ totius facies miſerandum in modum immutata videre-

deretur, ac undique populi urbeſque integrę peſſum irent. Sexennio elapſo Almanſor Billus novus Calipha Alaſſano Hali filio ex nobili Chialporum gente Siciliæ Amiratum hæreditario jure poſſidendum conceſſit, qui ſervandæ colendæquæ juſtitiæ curam omnem adhibuit, inſulanoſque levavit; tum ſeditioſis aliquot ex ſuis in eum conjurantibus deletis, contra Græcos rupto fœdere arma movit, ac Tauromenium, vicinaque oppida rurſus ſibi vindicavit. Inſulæ enim novâ annonæ penuriâ laboranti Crinitus Calidus Calabriç præfectus ingenti adeo pretio frumenta miniſtravit, ut Amiræ animum vehementer in ſe concitaret, atque in Græcorum perniciem Siciliam incolentium inflammaret. Pactæ poſt navale prælium, quo Saraceni victores extiterunt, ſunt induciæ, Alaſſanuſque filio Amedo Abulaſſano Amiratum ceſſit; ſub quo Græci Siciliæ oras populantes Thermis potiuntur. Subſecuta Saracenicæ claſſis ex naufragio clades, ac novæ induciæ decretæ, uti apud Curopalatem. *Alaſſanus 10. Amira.* *Amedus Abulaſſanus 11. Amira.*

Anno CMLXI. ingenti pompa ex Siculis Saracenis pueris quindecim circiter millia circumciſa in Annalibus leguntur, quibus omnibus, ut Caliphæ morem gereret, pretioſas veſtes Amira diſtribuit. Eiſdem quinque veſtimentorum ſarcinas, & centum millia dragmarum diſtribuenda Calipha ex Africa miſit. Interea Græci Tauromenium recuperaverant, ad quam urbem expugnandam Abulaſſanus e Siculis, Africaniſque auxiliariis copias educit, vereque ſequentis anni abeunte, obſidionem urget. Singulari virtute cives ſeſe tuentur ad ejuſdem anni exitum; at novis adauctus ex Africa auxiliis Amira urbem capit, captivoſque Chriſtianos mille ſeptincentos, & amplius ad Calipham mittit. Tum Ramettam munitiſſimam arcem Amari ducis operâ jam diu obſeſſam expugnat. Tot tantiſque jacturis Nicephorus Phocas Orientis Imperator perculſus, celebrem illam expeditionem ſub Niceta Eunucho, & Emmanuele Patritio ſuſcepit, Fazello memoratam, quæ initio, uti diximus, in notis feliciter ceſſit, quum verò incautè exercitus multis clarus victoriis inſulæ mediterranea penetraſſet, ad internicionem inter anguſtia locorum deletus periit. Evocaverat ex Africa Alaſſanum Patrem Abulaſſanus Amira, cujus fretus auxiliis ad diſſipandam quoque maritimam claſſem in anchoris ſtantem progreſſus eſt, quam ferme omnem devaſtavit, ita ut ex florentiſſimo exercitu pauci evaſerint, qui cladis nuntium Nicephoro Auguſto perferrent. Acta hæc anno CMLXV. quo Alaſſanus Panormi deceſsit. *Pueri Saraci Siculi circumciſi.* *Tauromen. & Rametta expugnantur.* *Græcorũ ingẽs clades.*

Nec diu Abulaſſanus Ramettam & Tauromenium funditùs evertit, evocatuſque ab Calipha in Africam, ut contra Ægyptios duceret, Thaiſtum Chriſtianæ Religionis deſertorem Panormi ſui loco reliquit, fatoque in itinere correptus Abulcaſſenum fratrem ſucceſſorem in Siciliæ Amiratu ſuſcepit, anno CMLXIX. Hic totius Siciliæ potiundæ conſilium, Zemiſce Cæſare mortuo, init, Meſſanamque primò adortus, mox Catanam & Hyblam, ac nonnulla alia in orientali ora oppidula occupat; adeo ut nullus per inſulam locus Græcis ſit relictus. Neque his contentus Calabriæ, & Apuliæ provincias igne ferroque ad multos annos infeſtas reddit. Verùm cum Othone ſecundo Occidentis Imperatore congredi auſus, quadraginta Saracenorum millibus amiſsis, regno ac vita privatur. Patris nece audita Geberus Siciliæ præfecturam aſſumit; verùm Calipha Giaſerum Maomethi filium Alaſſani nepotem Amiram conſtituit, qui ad *Abulcaſſenus 12. Amira.* *Cũ Othone cõgreſſus occiditur.*

bien-

Abdalla 13. biennium vixit. Huic Abdalla frater, Abdallæ Iſuphus ſucceſsit, quem *Iſuphus* 14. paralyſi laborantem, Giaſar hujus nominis ſecundus excepit.

Giaſar 15. *Am.* Giaſaris longus in Sicilia dominatus celebre habuit initium; ingenti enim claſſe Meſſanæ adornata Bariū præcipuam Apuliæ ſub Græcis urbem Saracenus oppugnaturus Adriam ſubit; Barienſes ſtrenuè ſeſe defendunt, Venetoſque auxiliatum advocant, quos ut Barbari magno navium numero adventantes conſpiciunt, ſolutis anchoris, in Siciliam redeunt. Sequenti anno, Chriſti nempe CMXC. ad depopulandas ſuperi inferique maris oras naves rurſus conſcendunt; atque *Tarenti, & Salerni direptio.* expoſito in terram milite, Tarentum diripiunt, proximaque loca igne, & ferro evertunt. Tum alio in littore Salernum altera claſſe adorti, oppidis vicinis vaſtitatem afferunt, nec niſi Nortmannorum virtute, animique robore compeſcuntur; ipſis enim adjutoribus Guaimarus Salerni Princeps Afros prædones in fugam agit. Anno MVI. ingens peſtilentia Siciliam afflixit, ſed & turbæ ſeditionum, popularesque factiones poſt decennium ejuſdem ſtatum turbarunt. Giaſar enim intolerabilibus tributis impoſitis ſubditos vexabat, qui *Jaydaula Am.* 16. in eum inſurgentes vix tandem Iſuphi patris adhuc viventis promiſſis ſedati ſunt. Hic Ali altero filio in Amiram conſtituto, cum Giaſare, congeſtiſque divitiis, in Africam contendit.

Alus, qui & Amedus Jaydaula eſt dictus, viginti & amplius annis rexit, ſub quo Gaytum Maymonem Hiſpanum ferro flammiſque Pactas & Syracuſas vaſtaſſe tradunt; ex odio, ut ajunt, in Amedum, qui facili erga Chriſtianos ingenio, ut divinis rebus palam intereſſent, ſacriſque miniſtris, ut Chriſti Corpus ægrotis miniſtrarent, conceſſerat. Hic pugnâ cum Oreſte commiſſa victoriam *Turbæ in Sicilia inter Sar.* retulit, de qua Fazellus. Ortis ſubinde inter ipſum præcipuoſque Siculos Saracenos diſſidiis, Caliphas filium Abdallam in inſulam magnis inſtructum copiis miſit, cui ſeſe ſubdere Amedus recuſavit, ac in Panormitana Alchaſsari arce idcirco, quam ſtrenuè defendit, interfectus occubuit. Abdallæ Amiratum Siculi nihilominus deferre noluerunt, fratremque Jaydaulæ Aſsaſanum Præfectum ſibi delegere, qui *Aſſaſanus Amira* 17. pulſis Afris Saracenis, fœdus cum Græcis iniit, ſuumque filium Byzantium ad Michaelem Paphlagonem miſit, quem ampliſſimis honoribus Imperator affecit.

Iniquo id animo quum ferrent Saraceni, Abucabum Aſſaſani fratrem impellunt, ut in Amiram rebellaret; exitiali itaque commoto bello, dum fratres congrediuntur, Abucabus devictus eſt, ſed Afrorum ſuppetiis accitis, Aſſaſanum in ſummas compulit anguſtias, utque ad Græcps confugeret, eorumque opem imploraret, coegit. Aſſaſanus Fazello eſt Apollopharus, Abucabus verò eſt Apochaps; de quibus ſequenti capite.

DE GEORGIO MANIACE, ET EJUS IN SICILIA CONTRA SARACENOS REBUS EGREGIE GESTIS.

CAPUT SECUNDUM.

Apolopharus cũ fratre contendit.

APolopharus (1) Siciliæ Rex dum externa pace fruitur, a domeſtica, fraternaque ſeditione nihil tale metuens invaditur. Erat enim illi germanus frater Apochaps nomine inter Saracenos & calliditate, & ſævitia facilè princeps, qui cum nimia ambitione æſtuaret, fratri Imperium adimere per ſcelus adoritur. Ex improviſo igitur a Germano bello petitus, & longâ undique preſſurâ cinctus, tandem præter ſuam, omniumque opinionem ſuperatur. Apoloſarus a fratre victus confeſtim a Michaele Imperatore ſuppetias petit. Michael oblatam ſibi Siciliæ imperio reſtituendæ occaſionem non omittens, Georgium Maniacem ingenti cum exercitu in Italiam, & Siciliam Ducem miſit, claſſem quoque cum eo militibus inſtructiſsimam, cui Stephanum virum patritium, & ejus ſororium præfectum deligit.

Græcorũ ſuppetias impetrat ſub Maniace.

Fuit Georgius Maniaces Gudelii Maniacis viri patritii filius Conſtantinopolitanus genere, Protoſpatharius, & Imperatorii palatii magiſter, manu, & conſilio promptus, & militiâ ſtrenuus. Is dum Italiam navigat, in eaque moram traheret, ut Saracenorum in Sicilia res quò tenderent, videret, Apochaps magno cum exercitu contra Apoloſarum movit; quo prælio, ſtrenuè Rege pugnante, victus fugatuſque eſt. Superatus Apochaps ad Africæ Principem ſtatim confugit, cum eo fœdus pepigit, auxilia petiit, dimidium inſulæ ſe illi ceſſurum, ſi Siciliâ potiretur, ſpopondit. Accita igitur Saracenorum numeroſiſsima manu, Apochaps bellum initio varium, & anceps, ſed mox fœliciſsimum contra Apoloſarum geſsit. Nam pulſo fratre, victor Sicilia potitur. Cæterùm Apolopharus per Leonem Opum Imperatorii exercitus in Apulia Ducem cum ingenti Græcorum, & Italorum multitudine adjutus, aſſumpto etiam Saracenorum, qui ſibi adhærebant, non ſpernendo numero, in Siciliam reverſus, fœlicibus auſpiciis cum germano bellum redintegravit, atque illo cum omnibus Africæ Saracenis ejecto, regnum ſibi recuperavit. Demum cum rurſus Apochaps res novas moliretur, amicorum interventu reconciliatis animis, fratres in amicitiam, pacemque concurrunt, junctiſque animis contra Græcos, quorum copiæ & claſſes in Apulia inſtructiſsimæ erant, quaſque ſuſpectas habebant, ſimul ſe parant.

Frãtrẽ ſuperat & Siciliã expellit.

Cum eo reconciliatur.

Maniaces, his cognitis, ad comprimenda fratrum Saracenorum potentiam ſe inſtruit, ac pluribus Italiæ Principibus, Landulpho præſertim (cujus ſupra meminimus) Capuæ, & Langobardorum Principe, ac Guaimaro Salernitano, & Guilelmo Ferrabacho, (2) & Roberto Guiſcardo, & cæteris Nortmannis fratribus, qui per ea tempora in Italia bello erant clariſsimi, in fœdus accitis, Saracenos in Sicilia ſuperare, atque inſulam Imperatori reſtituere pergit, ut in geſtis Nortmannorum legimus. Sed quoniam in Nortmannorum (quibus, quòd in ſolo patrio ſumus, quòd liberi vivimus, quòd Chriſtia-

Maniaces Saracenos pellere ſe parat.

Nortmannorũ primordia.

ſtiani Siculi omnes hodie ſunt, ingenuè acceptum ferimus) mentionem incidimus, de eorum primordiis ſcitu quædam digniſſima, ac ad reliquum hiſtoriæ contextum neceſſaria præmittere duxi. Quorum initia etſi a diverſis variè efferantur, illorum tamen hæc potior ſententia eſt, quam ex privilegiis ipſorum Ducum, quæ adhuc integra apud nos extant, acceptam ſequimur.

Nomen unde habuerint.

Qui ſeptentrionalem olim cardinem ſpectabant, in univerſum ea tempeſtate Nortmanni vocabantur, quorum linguâ Nort ſeptentrio, Man, vir eſt, quaſi ſeptentrionalis homo. Quicumque itaque ex vaſti illius Oceani ora, ac incompertæ magnitudinis inſulis, peninſulisque exoriebantur, Nortmanni appellabantur. Ex his, qui Neuſtriam Galliæ partem, citeriori Britanniæ, in qua Armoricæ civitates a Cæſare deſcribuntur, conterminam, poſtremi tenuerunt, una quædam fuit natio, Daniſque finitima & ſocia, Idolorum cultrix. Scriptores, qui Gothorum proſapiam uſque ad Noa referunt, licèt Nortmannos Magogen Japheti filium nulla veterum authoritate ducti parentem habuiſſe tradant, eos tamen nos ex Gothorum feritate ortos proculdubio accepimus.

Ex Gothis ortum traxere.

Hi igitur pyraticam diu ex inſtituto exercuerunt, qua cum vires apud finitimos ſibi peperiſſent, Cherſoneſum Cimbricam ad Oceanum Germanicum ſitam, hodie peritis Daniam, vulgò Daciam appellatam, proceſſu ævi occuparunt. Cumque abundante multitudine, arcto patriæ limite omnes tenerentur, morem ſervarunt, ut liberorum natu maximo domi remanente, cæteros puberes ad novas ſibi alieni cœli regiones, opeſque arte, & ingenio petendas extra mitterent. Hoc modo Lutrocus Danorum Rex nondum Chriſto renatus Biergoſtam filium ſecundogenitum delecta cum militum manu, quibus Rollon præerat, anno ſalutis circiter 880. ad ſedes extra ſuos fines acquirendas miſit. Hi claſſe ex Dania per Oceani oram in Aquitaniam delati, per Sequanæ fluvii oſtium Neuſtriam nullo militari præſidio munitam adepti ſunt. Subinde nunc Ligerim, nunc Sequanam fluvios ſubeuntes, plures annos per Galliam ferro, & igne uſque ad ſacra loca ſævientes, univerſam provinciam depopulabantur.

Dani filios in alienas terras mittebant.

Rollon Gallias invadit.

Carolus cognomento ſimplex ſextus & vigeſimus Francorum tunc temporis Rex, cum plus æquo ejuſce gentis opes, vireſque invaluiſſe videret, fœdus cum Rollone eo pacto tranſegit; ut Gilla ejus filia, quam plerique Ægidiam appellant, uxore ducta, Chriſti lavacro ablutus Neuſtriam occupatam dotis nomine a Carolo acciperet. Atque ita Rollo, initiante quidem Francone Rothomagenſium Præſule, patre verò ſacræ ablutionis Roberto Regis Oddonis fratre, a quo mutato priori nomine Robertus appellatus eſt, Chriſti legem profeſſus, Gillam uxorem, ac Neuſtriam regionem, quam a ſuæ gentis nomine Nortmanniam dixit, dotalem recepit. Currebat tum annus ſalutis 912. Hujus progenies longè deinde per numeroſam ſobolem manu firmiſſima propagata, loca, & populos diverſarum regionum tenuit. Ex Gilla etenim Rollo Guillelmum filium genuit, ex quo deinde Richardus, multis contra Lotharium Francorum Regem præliis ſicuti æquè, ita & fœliciter geſtis illuſtris, procreatus eſt. Qui tandem Guilelmo, & Richardo filiis relictis, deceſſit.

Neuſtriam in dotē recipit.

Ejus progenies.

Porro Guilelmo proditoriè ab Arnulſo Flandrenſium Principe per Alſum ſatellitem interfecto, Richardus Nortmannia potitus, ex puel-

la plebeja, quam perditè primùm amatam, poſtmodum in uxorem duxit, Richardum, Robertum, & Guillelmum filios, totidemque filias ſuſcepit. Quorum natu maximus Richardus patri defuncto ſucceſſit. *Robert. Angliæ Rex.* Huic verò ſine prole demortuo Robertus frater ſucceſſit. Poſt hunc Robertus minimus fratrum, qui Angliam Haroldo Regi, quem occiderat, ademit, eamque ſanctioribus legibus reſtituit, quibus Angli hucuſque utuntur.

Ex Roberto, qui quartus fuit a Rollone, Tancredus Nortmannus oppidi Altæ villæ ad plagam, quam Conſtantiam indigenæ vocant, Comes exoritur. *Tancredus de Altavilla.* (3) Is ex duabus uxoribus duodecim ſuſcepit liberos. Ex prima, cui Moriella nomen erat, Sarnum, Gothfredum, Drogonem, Tancredum, Malogerium, Albaredum, Gothfredum ſecundum, & Frumentinum. Ex altera, quæ Freſenda dicebatur, Guillelmum, cui ob corporis robur Ferrabach cognomen fuit, Robertum, cui quòd oberrando terrarum multum, ac imperium victor obiverit, ſive (ut plerique cenſent) quòd aſtutiſſimus fuerit, Nortmannorum linguâ Guiſcardi cognomentum obvenit, Umfredum, *Ejuſd. 12. filii.* & Rogerium. Huic quòd ſtatura corporis ſimul, & ferocia militari præſtabat, corporeum cognomen Boſſus erat.

Hanc Guillelmi Ferrabach, Roberti Guiſcardi, & Rogerii geneſim nobis confirmant pleraque eorum temporum ab ipſis illis Principibus literis conteſtata monumenta. Siquidem Rogerius Siciliæ Comes in privilegio, quo monaſterium D. Michaelis Troynenſis erexit, & dotavit, Robertum Guiſcardum fratrem ſuum natu majorem bis nominat, & in alio rurſum ex Freſenda, & Tancredo ſe genitum teſtatur. Poſtremò quoque Rogerius Rex filius in diplomate anno ſalutis 1142. & uterque Guillelmus Reges in inſcriptionibus Panormi *Guiſcard. Rogerii frater.* adhuc incorruptis identidem referunt, unde pleriſque ſcriptoribus, qui Guiſcardum Francum, & non Tancredi filium, neque Rogerii germanum fratrem tradidere, non parum fidei derogatur.

Sed ad Tancredum eorum parentem redeo. Is cum tenues admodum cenſus in Nortmannia poſſideret, ſibi filiiſque opimiorem fortunam, opeſque ampliores ſub alieno cœlo quærere conſtituit. Proinde circa Ludovici Francorum Regis, ac Sergii quarti Rom. Pontificis tempora in Italiam, quam tum Berengarius, Hunniſque ve- *Tancredus in Italiâ venit.* xatam tenebant, unà cum liberis venit. Ubi Ciſalpinam Galliam ingreſſi ſub ſtipendio nationum, quæ eo tempore eas regiones occupaverant, militarunt. Erant namque in his fratribus, totoque eorum comitatu ea ferme majeſtas, corporis proceritas, virium, ac ſapientiæ magnitudo, ut qui eos ignorabat, non ex uno parente, ſed ex toto terrarum orbe ſelectos, nec ad militandum, ſed & ad regnandum genitos judicaret. Gens audax, bellicoſa, & in rebus gerendis ſagax, & qua ſuo tempore nulla alia, in Europa vel militiâ fuit fœlicior. Nullus equidem unquam fuit hoſtis, quem ferociter *Nortmannorum virtutes.* bello non appetierint, aut laceſſiti magna cum laude non repulerint. Neque aliqua fuit regio armis ab eis impetita, quæ non celeri victoriæ curſu ſint potiti. Gens demum non ſolùm fortitudine, verùm & pietate quoque inſignis. Nam cum hi tum ſeptem Italiæ regiones, tum Siciliam in regna contraxerint, Chriſtianæ fidei columina, Chriſtianorum tutores acerrimi fuerunt, fundatores templorum, cœnobiorumque illuſtrium, quæ ad memoriam uſque noſtram mira viſuntur.

Langobardi auxiliares acceſſunt. Horum itaque famâ Pandulfus Langobardorum Dux, qui adverſus Guaimarum Salerni dominum bellum moliebarur, pellectus, eos ingenti promiſſo ſtipendio auxiliares accerſivit. Quorum cum utilem ſibi operam diu expertus hebetioris vir ingenii ingratum ſe nimis erga eos præſtitiſſet, militiæ tempore, quo convenerant, expleto, ad Guaimarum tranſierunt. Quorum virtute, ac multis præclarè geſtis, pluribus victoriir celeber Guaimarus eſt redditus. Interea Langobardi aliquot milites in eodem exercitu primores, Nortmannorum geſtis non ſine admiratione conſpectis, invidiâ demum exarſerunt, quoque odioſos oos redderent, apud Guaimarum in captatam Salernitani Principatus ſuſpicionem innoxios adducunt.

Tancredus moritur. Ceſſantibus poſt hæc Italiæ motibus, & pace inter Capuanum, & Salernitanum firmata, Tancredus Nortmannicæ ſoboiis parens, deceſſit, Guillelmumque Ferrabachum 12. fratrum natu maximum teſtamento cæteris præfecit. Dum in hoc ſtatu principum, & Italiæ res eſſent, Georgius Maniaces, quem Molochum Blondus appellat, Guillelmum Ferrabach, cæteroſque Nortmannos fratres, necnon Capuanum, & Salernitanum Principes, ut Siculorum annales referunt, & Græcorum monumenta teſtantur, ad ſecum ejiciendos e Sicilia Saracenos hac formula induxit, ut communibus auſpiciis quatuor exercitus compararent, inſtruerentque, partâque victoriâ præda omnis communi etiam inter eos, & æqua portione divideretur. *Maniac. Nortmanni adhærent in Sicilia.* Paratis itaque omnibus, quæ erant ad tantæ molis bellum neceſſaria, ſalutis anno circiter 1004. unica expeditione contra Saracenos in Siciliam pariter trajiciunt. Fretum emenſi Meſſanam intrepidè invadunt, eamque licèt primòm acriter ſe defendentem, parvo mox negotio ad deditionem compellunt. Inde ùeloci victoriæ ſucceſſu Saracenis partim cæſis, partim fugatis, Syracuſas proficiſcuntur.

Meſſanâ expugnatâ Syracuſæ obſidentur. Præerat eo tempoie in ea urbe Archadius Saracenus magni animi vir. Is quotidie levioribus præliis non longè ab urbe in noſtros irrumpens ſæpe victor, rurſus ſe in urbem recipiebat. Quod cum crebriùs fieret, neque quiſquam ex noſtris contra tendere auderet, Ferrabachus in indignationem provocatus cum parte copiarum in eum progreſſus, ita demum ſub urbis mœnia hoſtem compreſſit, ut eo, pluribuſque aliis, qui cum eo in aciem exierant, interfectis, cæteri ægrè in urbem fugiendo proruerint. Hac clade, & morte Ducis Saraceni animo conciſi, prudenti inter ſe habito conſilio, deditionem faciunt. *Quæ mox deditionē faciunt.* Maniaces captis Syracuſis, motis caſtris, mirabili fœlicitate Siciliam victor obibat. Cui Apolopharus, & Apochaps germani fratres cum quinquaginta auxiliarium Pœnorum millibus, pluribuſque aliis Sicilienſibus cohortibus contra occurrunt. Ubi conſerto bello, Saraceni adeo magna cum ſtrage ſuperantur, ut amnis vicinus, ſcriptorum inertiâ nobis incognitus, (4) humano ſanguine exundaverit.

Cæteræ Siciliæ urbes ſubdûtur. Hac victoria Maniaces elatus, paucis diebus tredecim Siciliæ urbes cepit, At enimvero Maniaces utì bellica re fortunatus, ita in victoriæ uſu, manubiarumque diſtributione infœlix, dum avaritiæ nimis ſtudet, in ſociorum odium incurrit. Nam proſperum belli eventum ſibi ſoli adſcribens, prædam omnem non ex æquo, ut ex pacto quidem convenerat, ſed Græcis quidem largè, Nortmannis verò, ac cæteris ſociis parcè partitus eſt. Oppida verò, quæ adeptus fuerat, Præfectis ab Imperatore cum novo copiarum ductu miſſis

Diſſentio inter Maniacē, & ſocios.

ſis tradidit gubernanda. Hinc res Chriſtianorum, quæ fœliciter huc-uſque, & planè ex ſententia ſucceſſerant, labaſcere cœperunt. Orta namque eſt pro hac injuſta rerum diſtributione inter Guillelmum, reliquoſque proceres, & Maniacem non vulgaris contentio, Quam cum Arduinus miles genere Italus, licèt Francus a pleriſque refe-ratur, ſedare conatus apertè Maniacis factum improbaret, non in-juriis modò, ſed & verberibus ab eo impetitur.

Socii diſceſſum meditantur.

Guillelmus & id, & alia omnia ægerrimo perinde, ut debebat, ferens animo, in violati fœderis ultionem Apuliam invadere, eam-que ſibi, & ſuis occupare decrevit. Sed ne,(cognito ejus animo) Græcorum, quorum ingens in Sicilia erat multitudo, ferro oppri-meretur, diſſimulare per tempus, & per opportunitatem hominis per-fidiam ulturus, vultu, verbiſque animi lenitatem fingere conſtituit. Poſtquam verò turbati animi ſuſpicio omnis abſuit, ad patrandum facinus hujuſcemodi conſilium ſubinvenit, Hyems inſtabat, cum vi-ctorem exercitum hybernare neceſſe erat. Quod cum in Sicilia face-re, quæ ob belli diuturnitatem, & Saracenorum incendia, rerum omnium ubertate exauſta prope erat, minimè congruum videretur, quàm facilè a Maniace impetravit, ut in Apulia ſibi, cæteriſque ſo-ciis hybernare liceret.

In Apuliam Nortmāni cōtendunt.

Melphim occupant, Grecoſq. fundant.

Hyeme itaque adventante, proceres Calabriam trajicientes, Ca-puam unus, Salernum alter ſuas copias traduxit. Guillelmus autem cum fratribus, & multis Nortmannorum millibus; qui eo tempore ab expeditione Hieroſolymitana redierant, longum in Apuliam iter ingreſſus, cum eam non modò bellis domeſticis laborantem, ſed & armis quoque, & latrociniis Saracenorum vexatam, immunitamque offendiſſet, plura fœlicibus auſpiciis oppida expugnata Imperatori eripuit, ac tandem Melphim urbem arduo, & naturà communito loco ſitam circumſedit, eamque mox ab improviſis Melphitanis per deditionem accepit, ac deinde opere, & præſidio munivit. Mania-ces inopinati facti nuntio perculſus, e Sicilia cum copiis eò occur-rens caſtra ad Melphis urbis portas metatus eſt. (5) Ubi tum Guillelmus nihil cunctatus quaſſatos ex itinere, & nulla militari co-ercitos diſciplina Græcos, immunitis quoque caſtris, ex improviſo adortus, prælio commiſſo ita afflixit, ut Maniaces fractis ſui exer-citus viribus omnibus amiſſis, in Siciliam retro perfugerit.

Sarac. in Sicil. cōtra Maniacē.

Victi ſēduntur.

Cæterùm dum hæc a Nortmannis in Apulia geruntur, duobus poſt occupatam a Maniace Siciliam annis Saraceni, qui reliquum Siciliæ tenebant, reſumptis viribus, ex Africa maximum exercitum compararunt, & caſtra non longè a Troyna, quam Draginam Curopalatus appellat, poſuerunt, in cujus planitie decliviori, nihil niſi occaſionem contra Maniacem movendi præſtolabantur. His co-gnitis, Maniaces copias recolligit, & paucos milites ad victoriam hortatus, curatis corporibus, Saracenos adoriri deliberat. Verùm antequàm pugnam aggrederetur, Stephano Imperatoris ſororio claſ-ſis Præfecto jubet, ut littoralia attentiùs obſervaret, ne Saraceno-rum Princeps fortè victus fugæ conſilio in Africam remearet. Qui-bus paratis, militem ad arma vocat, prælium pro re Chriſtiana cum hoſtibus confert, atque in eos irruens, quinquaginta eorum millibus cæſis, fœliciſſimam victoriam nactus eſt. Inter quæ Saracenorum Dux profligatus clam ad littus evaſit, & parvo aſſumpto navigio, a Ste-phani ſpeculatoribus inobſervatus in Africam incolumis reverſus eſt.(6)

Victoriæ monumentum. Quo percepto, Maniaces adeo furore in Stephanum exarſit, ut ad injurias, gravia etiam, contumelioſaque ei verbera impegerit. In memoriam verò ingentis victoriæ urbem Maniaces ibi condidit, cui & loco ſui nomen indidit, quod ad ætatem uſque meam perſeverat.

Stephanus verò injuriæ indignitate permotus Joanni Imperatoris germano fratri, qui eo tempore rem omnem adminiſtrabat, per certum nuntium Maniacem contra Imperatorem in Sicilia defectionem moliri, & inſulam ſibi occupare falsò perſcripſit, effecitque ut permotus Imperator confeſtim Maniacem e Sicilia revocaverit. *Maniaces e Sicilia revocatur.* Qui Inſula diſcedens Agathæ, Luciæ, aliorumque Divorum quorumdam corpora ſecum Conſtantinopolim Imperatori dono detulit, urbemque ſanctiſſimis reliquiis ornavit. Verùm nihil hæc ei profuerunt, quominus perduellionis reus & officio dejiceretur, & tetro carceri ad multos menſes incluſus nullum non calamitatis genus injuſtè ſenſerit.

Maniace abdicato, Siciliæ magiſtratus penes Stephanum manſit, cui ab Imperatore Baſilius cognomento Pediaditus Eunuchus collega aſcitus eſt. *Novi Inſulæ Præfecti malè adminiſtrant.* Hi cum per ignaviam, & avaritiam provinciam acceptam adminiſtrarent, brevi in Sicilia a Saracenis ſuperati inſulæ dominium perdiderunt. Maniaces etenim cum potitus eſt inſula, Syracuſis arcem munitiſſimam, ſui nomine hucuſque inſignem, erexit, urbeſque etiam alias, ac oppida arcibus & præſidiis munivit. Quocirca Saraceni Sicilienſes, qui in inſula remanſerant, neque contra ſe erigere, neque aliquid novi moliri audebant. At Stephanus, & Baſilius Maniaci abſimiles per avaritiam. & ſocordiam res adminiſtrantes, contemptui habebantur. *Saraceni Siciliâ recuperât.* Hinc Saraceni audentiores facti, exercitu ex Afrita accito, contra Græcos inſurgunt, omnia vaſtant, urbes capiunt, arces expugnant, diruunt, ac tota demum Sicilia receptis omnibus urbibus (præter Meſſanam) potiuntur.

Præerat namque Meſſanæ tum Catacalonus Protoſpatharius cognomento Cacaumenus, qui præter cives ad quadringentos equites Armenos, & quingentos pedites diſciplinæ militaris peritos, & cum gloriæ ſtudio periculorum etiam contemptores, habebat. Hic cum a Saracenis, qui ſubactâ Siciliâ ingentibus ad confirmandum Imperium copiis ex Africa adductis, dura obſidione premeretur, ſimulato ex induſtria metu, Meſſanæ urbis portas clauſit, neminemque egredi per tres dies permiſit. *Meſſanā obſident.* Unde Saraceni in ducis contemptum per agros Meſſanenſes vagi, diſpalatique latrocinantes magis, quàm belligerantes cuncta vaſtabant, ac vino, & veneri, & cantibus indulgentes, majorem noctis partem commeſſationibus extrahebant, ac ſi poſtridie urbem capturi eſſent. Interea Meſſanenſis Dux alia atque alia fingens, die quarto, quo hoſtes Meſopentecoſten celebrantes ad temulentiam, quàm ad bellum procliviores judicabat, cum ſuis militibus ad victoriam hortatis, & ſacris Chriſti initiatis, ex urbis portis erumpens in vino ſopitum Saracenorum agmen prandii horâ repente irruit, donec in caſtra Apolapharis Siciliæ Regis nihil tale metuentis pervadens, in ſtatione ipſum ferro occidit, atque caſtris diſſipatis, ſupra triginta Saracenorum millia interficit, cæteris Panormum eorum Aſylum profugientibus, urbemque Meſſanam ab obſidione liberat. *A Meſſanēſib. funduntur.* Verùm etſi Meſſanenſes ingenti hac victoria hoſtes profligaverint, inſulæ tamen Imperium penes Saracenos remanſit. Si-

ci-

ciliâ rurſus amiſsâ, Stephanus & Baſilius in Apuliam deſperatâ Imperatoris veniâ, pro ſalute confugerunt.

Zoe Auguſta Nortmannos pellere nititur.

Interea mortuo Michaele Paphlagone Imperatore, Zoe vidua Michaelem alterum, cui a parentum, qui apud Paphlagonas naves pice oblinebant, ſordida conditione, Calaphates cognomentum acceſſit, in filium adoptavit, & heredem regni eſſe voluit. Sed cum ille faſcibus ſuſceptis ingratus ſimul, atque impius matrem ſuæ majeſtatis authorem in Inſulam relegaſſet, a conſpirante ob facinoris indignitatem populo captus, oculorumque uſu privatus, cum menſes quatuor, & totidem dies regnaſſet, perpetuo exilio, reſtituta ad Imperium Zoe, mulctatus eſt. Poſt hæc Zoe cum res imperii adminiſtraret, & Nortmanni qui eam Italiæ partem, quæ non longè a Capua, Neapoli, & Benevento abeſt, imperio ſubjectam crudeliter vexarent, ſuis finibus eos arcere cupiens, Maniacem, cujus jam inde virtutem exploratam habebat, e carcere eductum contra eos miſit. Qui licèt parvis copiis inſtructus, magnæ tamen induſtriæ, ac ſpiritus ingentis vir hoſtes parvo negotio repreſſit, & quàm facillimè quietem toti illi provinciæ reſtituit, imperiique res compoſuit.

Contra quos Maniacē emittit.

Romanus Maniacem perdere procurat.

Interea Zoe a domeſticis perſuaſa Conſtantinum Monomachum ſibi tertium maritum, ac Imperatorem pronunciat. Erat huic Romanus Sclerus quàm familiariſſimus, & plurimum gratus, vel ob id, quòd ejus ſororem egregiâ alioqui formâ adoleſcentulam efflictim Imperator deperibat, & quaſi loco uxoris habebat. Maniaci tamen infenſiſſimus hoſtis ex eo tempore, quo ille olim in Oriente Imperii rebus præſidebat. Qua ſimultate cum Romanus pluries Maniacem antea fruſtra occidere tentaſſet; oblata favoris Imperialis occaſio, non modò eam non repreſſerat, ſed & excitarat, adeo ut cum jam exercitui domeſtico ab Imperatore præfectus eſſet, palam probris, ac damnis Maniacem abſentem Romanus laceſſeret, ejuſque agros, ac oppida vaſtaret, popularetur, diriperet, ut ne ab uxore quidem illius abſtineret. Nec tantis ultionibus quietus, cognitis his, quæ de eo egregiè, ſtrenuéque contra Nortmannos in Italia geſta ferebantur, additâ etiam ad odium invidiâ, falſis in dies apud Conſtantinum in eum occaſionibus, tandem effecit, ut præfectura privatus, & in ejus locum Pardo Protoſpathario Conſtantinopolitano Imperatoris domeſtico ſuffecto, Conſtantinopolim veluti reus publici criminis ab Imperatore accerſitus ſit.

Rebellem falsò evulgat.

Maniaces contra Imperatorem inſurgit.

Sed Maniaces exinde reputans animo quæ ob Siciliam a Saracenis captam nuper Conſtantinopoli perpeſſus fuerat, veritus ne in poteſtatem hoſtis redactus pejora jam pateretur, in indignationem, deſperationemque actus, obedire contempſit, exercitum cui præerat, benevolentiâ ſibi devinxit, defectionem cum illis in Conſtantinum parat, in Pardum inſurgit, quem cum toto ſuo exercitu ſuperatum ad extremum interficit, ac a militibus Imperator acclamatur, faſcibus, & corona imperii decoratus, ſubinde cum claſſe ex Italia in Epirum, & Bulgariam tranſit, ubi cunctis rebus commotis, ab omnibus Imperator ſalutatur. Quibus cognitis, Conſtantinus ab ira ad conſilium, mentemque reverſus, per certum nuntium ad officium ipſum retrahere conatur, rebellionis impunitate ei, & militibus pacta, munera etiam, ſi revertatur, pollicitus. At ille cum in promiſſis fidem non haberet, incredibili celeritate Epirum ad ſe pertraxit.

traxit. Quocirca, viſâ hominis contumaciâ, Conſtantinus Stephanum Sebaſtaphorum virum militiâ ſtrenuum, & victoriâ contra Damocraniam nuper habitâ inſignem, juſto cum exercitu contra Maniacem miſit.

A Sebaſtaſoro victus occiditur. Is Conſtantinopoli movens in Marmario ad Epirum loco, cui Oſtrobo nomen erat, cum Maniace bellum conſeruit; ubi unâ pugnâ, ſed eâ infeliciſſimâ, inter præliandum Maniaces in pectore lethali vulnere ictus, ex equo ſtatim prolapſus in ſuo ſanguine occubuit. Cujus caput Stephani milites accurrentes a corpore abſciderunt. Quo cæſo, ejus milites confeſtim depoſitis armis, ad Stephani pedes devoluti in deditionem venerunt. Stephanus, partâ victoriâ, Conſtantinopolim petens, ante triumphum præeuntibus magno numero ſuper aſinis captis militibus, & hoſtis capite palo infixo urbem ingreſſus, per celebriores vias triumphantis more circumductus eſt. Et Maniacis quidem hic finis fuit.

Nortmanni Apuliam ſibi vindicant. Jamque ad Nortmannos revertor. Dum hæc ad Epirum geruntur, & Apulia plane immunita a Græcis ob Maniacis motus remanſiſſet, Nortmanni fratres dominandi cupidi reliquam quoque Apuliæ partem modico labore (Græcis omnibus exactis) adipiſcuntur. Hoc pacto Apuliâ a Græcis ad Nortmannos translatâ, Guillelmus Ferrabacus fratrum omnium conſenſu Comitatus titulo in ea inſignitus eſt: Eo verò paulò poſt ſine liberis defuncto, & honorificè parentato, Drogo frater rerum potitus eſt. Hunc paulò poſt Mel ab Imperatore copiarum Ductor noviter miſſus primo impetu pene expulit. At Drogo impigrè inſtaurato exercitu, Græcis altero prælio victis, provinciam mordicùs recuperat. *Drogo Græcos ſuperat.* Qua recepta, Umfredum fratrem in parte Apuliæ ad continendos in fide Apulos, & Robertum Guiſcardum fratrem alium in Calabria contra Conſentinos præficit. Verùm dum dominii ampliationi nimis ſtudet; dum Apuliæ urbes munit, Langobardorum, & Apulorum inſidiis, ad Montolium oppidum circumventus a Viſone genere Apulo proditione occiditur. Quo tempore & Nortmanni plures per diverſa Apuliæ loca eadem proditione miſerè trucidati interiere.

Umfredus ei ſuccedit. Drogone mortuo, Umfredus frater in Apulia ſucceſſit, qui ſtatim principatus initio fratris necem ulturus in conjuratores movit; eoſque omnes vi captos in extremum tandem ſupplicium pertraxit. Cumque ſeptem annos rebus præfuiſſet, multis victoriis clarus deceſſit. Huic Gotfredus frater in Principatu, Leone Romano Pontifice hujus nominis nono ſedente, ſuffectus eſt. Is Beneventum urbem Romano Pontifici ſubjectam inſana ampliandi Imperii cupidine motus invadere, ac ſibi ſubjicere conſtituit. Cujus conſilii certior factus Henricus ſecundus Romanorum Imperator, Alemannos ſuos, quos apud Vercellas præſidio Italiæ reliquerat, Pontifici ad Nortmannos turbandos auxiliares adjunxit. *Gotfredus Benevēto potitur.* Nortmanni hoſtium adventu prævifo, quàm celerrimè Beneventum præoccupant, capiuntque. Cumque Pontifex ipſe ab Apulis contra Gotfredum accitus in Apuliam veniſſet, apud Civitam Apuliæ oppidum commiſſo cum hoſtibus prælio ſuperatur, captuſque cum pluribus Cardinalibus in victorum poteſtatem tranſit.

Rom. Pontif. obſequitur. Illi verò, ut Principes Chriſtianos decuit, maxima erga Summum Romanæ ſedis Antiſtitem uſi reverentia, eum, comiteſque ejus omnes ad urbem uſque Romam, unde venerat, a clero Bene-

Ventano deduci curaverunt. Quo beneficio devinctus Pontifex ſua auctoritate Nortmannis, quæcumque in Italia tunc temporis obtinebant, liberè poſſidere permiſit. Poſt hæc Gotfredus fato functus Bagelardum filium (uti Blondo placet) ſive ex Umfredo fratre nepotem (ut Siculorum annales referunt) in Principatu hæredem reliquit. Id Robertus Guiſcardus, quòd a fraterno ordine imperium deſciviſſet, iniquo ferens animo, Bagelardum principatu armis dejicit, ſibiq. Apuliæ, & Calabriæ comitatum vendicavit. Nec multo poſt tempore Trojam etiam Apuliæ urbem, quæ Romano Pontifici adhuc ſuberat, invaſit, ſuoque dominio adjecit, quo facto, diris Pontificiis execratur. *Bagelard. Gotfredi filius.* *Robertus Apul. & Calab. Comes.*

Interea Guaimaro Salernitano Principe per ſeditionem a Melphitanis interfecto, Aberardaque Roberti conjuge defuncta, ex qua Boëmundum filium ſuſceperat, Sycalgaitam, Giſulphi in Salernitanum Principatum ſuffecti, ſororem uxorem duxit, ex qua poſtea Rogerium filium ſuſcepit. Erat eo tempore Romanæ Eccleſiæ Pontifex Nicolaus hujus nominis ſecundus, qui cum a plerisque Romanis Proceribus ſeditionibus præmeretur, Robertum Guiſcardum, fratreſque ejus, ut ſibi ſuppetias ferrent, ad Aquilam urbem accerſivit. Robertus confeſtim Aquilam petit, Pontificem adorat, pactoque eo pacis fœdere, Beneventum & Trojam, cæteraque, quæ Pontificii juris erant, Eccleſiæ reſtituit. Qui ab execratione, & diris a Pontifice ſolutus, Apuliæ, oppidorumque omnium, quæ in Italia poſſidebat, Dux etiam confirmatur, atque Romanæ Eccleſiæ præfectus, non modò ad Romanos proceres ſuperandos, ſed & ad Saracenos Sicilia pellendos inſtituitur. *Rom. Pontifici auxiliatù venit.*

His paratis, Robertus ante S. Germanum oppidum magna vi proceres Romanos adortus, non multo labore omnes ſubactos in Romani fidem Pontificis jurare coegit. Quibus victoriis non modò Græcis, Apulis, & Saracenis, ſed & Romanis quoque formidabilis eſt redditus. His geſtis, Robertus ad ſuos revertitur, & Gotfredum ejus fratrem Apuliæ præficit; ipſe verò in Calabriam ducens exercitum, oppidum S. Marci præſidiis munivit, & progreſſus caſtra ſecus flumen Mocatum ad aquas calidas metatus eſt. Biſſinianum oppidum, Petrumque virum ibi Principem, quem ingenti pecuniarum ſumma mulctavit, Coſentiam præterea, Martiranum, ac vicina quædam alia oppida ſibi ſubegit. Poſtmodum Scyllacæum petens inſtructa claſſe per Jonii maris littora Rhegium venit. Quam cum fruſtra per triduum obſediſſet, inde caſtra movens, dum in Apuliam revertitur, inter eundum Leucaſtrum urbem, Majam, & Cannalem deditione recepit. *Romanos Proceres ſuperat.* *Plura Calabr. loca expugnat.*

Rogerium poſtea fratrum natu minimum, qui tunc vigeſimum primum ætatis annum compleverat, in valle Salinarum, agriſque adjacentibus caſtris præficit. Is etſi adoleſcentiam adhuc ageret, diſciplinæ tamen militaris ſcientiſſimus, totam eam regionem, Vibonam quoque, & circumadjacentia pleraque alia oppida auſpicatiſſimis militiæ primitiis ſubigens, Nortmannico imperio adjecit, & Nicephorum oppidum tutiſſimo præſidio communivit. Cujus initiis laudatis, Robertus ad Rhegium urbem obſidendam eum ſecum eduxit. Quam cum aliquandiu oppugnaſſent, per deditionem tandem accepere, duobus tantùm viris in urbe præcipuis, quòd Imperatoris eſſent ſtudioſi, liberè dimiſſis. *Rogeriú fratrē ſuſcipit.*

Hi

Rogerius Scyllaceū obſidet.

Hi verò Rhegio pulſi Scyllacæum invadentes ſibi occuparunt; munieruntque. Quo cognito, Rogerius copiis inſtructus Rhegio recedens, undecim non longè inde ſine vi cepit oppida, ac mox Scyllacæum aggreſſus, cum fruſtra illud oppugnaſſet, caſtrum tandem pro mœnibus ad obſidionis commoditatem erexit. Rhegini duo illi Principes viri dura obſidione preſſi deſperantes noctu fugam capeſſunt, navique Conſtantinopolim ad Imperatorem contendunt. Quibus abactis, Scyllacenſes libertatem nacti, vocato Rogerio, ſeſe urbemque dedunt. Ita omni Calabria in Nortmannorum poteſtatem redacta Robertus Guiſcardus Rogerio fratri, cui dimidium totius Calabriæ dare ſpoponderat, Meliti & Scyllacæi Comitatum tradidit. Sed dum hæc in Calabria geruntur, in Sicilia Saraceni reſumptis viribus, Meſſanam, quam ſolam ſub Imperatoris ditione manſiſſe diximus, auxiliaribus copiis ex Africa, Mauritaniaque accerſitis adorti, tandem captam, pluribus civibus palo affixis, igni & ferro miſerè fœdarunt. Ita rurſus tota Sicilia in Saracenorum poteſtatem redacta eſt.

Sarac. Meſſanā ſubactā Sicil. potiuntur.

1 APollopharus, & Apochaps fratres in Annalibus Saracenico-Siculis ſub Aſſafani, & Abucabi nomine veniunt, uti jam ſupra adnotavi.

2 Ferrabrachius Guillelmus ab egregia fortitudine appellatur, quaſi ferrea haberet brachia,

3 Hanc ex Nortmanniæ ducibus deductam Tancredi de Altavilla Genealogiam recentioribus Hiſtoricis toties celebratam, nonnulli expungunt.; privatumque equitem inter Nortmannos Taneredum fuiſſe produnt, ex antiquis ſynchroniſque Authoribus, nedum genti illi parum faventibus, ſed ipſis etiam, qui ejuſdem rebus nimium favere videntur. Quod noſtris ſanè Principibus ſummō in honorē cedit; ut qui ex privata , quamvis ingenua, origine ad tælem, tantumque principatum ſola virtute duce ſeſe evexere.

4 Fuiſſe fluvio huic vocabulum *Ramata* tradunt Annales. At ubi Ramata labatur incertum.

5 Nortmanois, qui nedum Melphim, ſed & Venoſam Aſcolum Lavellum, aliaque ſibi oppida vendicarunt, Duchianum Græcum Acatapanum ſeſe oppoſuiſſe alii tradunt, qui ab illis fuſus ſuppetias ab Maniace e Sicilia, atque ab Ipſo Imperatore obtinuit, quibus in aciem progreſſus prope montem Piloſum rurſus fœdè fugatus, liberam victoribus provinciam dimiſit.

6 Nilus Monachus in S. Philareti vita Umerum exercitus Saracenicā principem appellat, qui pulſis fratribus, ſubdit Caruſius, ſolus in Sicilia moderabatur. Verùm hæc infra a Fazello relatis adverſantur; in obſidione enim Meſſanenſi enectus Apollopharus dicitur. Apollopharo, ſive Aſſaſano extincto, variis Saracenorum in novo Amira eligendo diſcordiis, ſive multorum ambitione ad eam dignitatem inhiantium, in minores pluresque principatus diviſa eſt Siciliæ præfectura. Itaque ſub Alcaidis nomine Abdallas Mamaci filius Drepani; Alus Bin cennas Ennæ, & Agrigenti; Binitmenus, Fazello & aliis Betumenus, Catanæ. Bonaverus Syracuſis, & Neti dominabantur.

FR.

FR. THOMÆ FAZELLI SICULI, ORDINIS PRÆDICATORUM DE REBUS SICULIS.

POSTERIORIS DECADIS LIBER SEPTIMUS.

DE ROGERIO NORTMANNO SICILIÆ COMITE, ET SARACENORUM EXPULSIONE.

CAPUT PRIMUM.

MEſſanâ a Saracenis receptâ, non multò poſt urbis præfecti Chriſtianos quoſdam domi nobiles, quorum fides ad Nortmannos proclivior in ſuſpicionem venerat, ne ipſi, aut alii quicquam novi molirentur, furca ſuſpenderunt. Quod indigniſſimè ferentes Meſſanenſes aliquot, inter quos Anſaldum de Pactis, Nicolaum Camulium, & Jacobum Saccanum Meſſanenſes ductà per manus famà recenſent, accepto Roberti, & Rogerii, cæterorumque Nortmannorum in Calabriam adventu, heroica fortitudine moti, ſimulata Drepanum navigatione, Rhegium trajiciunt, mox Melitum ad Robertum Guiſcardum, & Rogerium Boſſum fratrem pervenere; eoſque propoſitia cauſæ honeſtate, officii ratione, & vecordibus, inertiſſimiſque hoſtium ingeniis, ad Meſſanam recipiendam hortantur, ac meritò tandem exauditi ſunt. Fide pacti ſacramento compoſita, manus ad cœlum tendunt, eumque unanimes ſimul & pactionis Præſidem, & perfidiæ ultorem efflagitant. His ita ex animo inceptis, Meſſanam Heroici viri revertuntur, ac cum multis proceribus rem ſecretò communicant. *Legati Siculi ad Nortmános.*

Interea in Sicilia inter Bettumenum Saracenum, qui Catanæ tum dominus, Regis ibi Admiratus nominabatur, & Bemmenelerum ex Saracenis virum principem inteſtinæ ex zelotypia oriuntur diſcordiæ, quibus in dies coaleſcentibus, Bemmenelerus a Bettumeno tandem oppreſſus occubuit. Patrocinabatur Bemmeneleri cauſæ Belchanes, ut Siculorum annales referunt, quem Beſcavectum aliqui appellant, in Sicilia pro Saracenorum Sultano Præſes. Cujus judicium ſimul, & Sultani iram Bettumenus veritus, cum audiſſet quæ in Apulia, & Calabria Robertus & Rogerius Nortmanni egregia geſſerant facinora, Siciliam illis prodere ſecum conſtituit, quo patratæ cædis ſupplicium evaderet. Rhegium igitur trajicit, occultuſque Rogerium adit, quem ut coram conſpexit, ad terram proſiliens, acclinis primùm ſeſe jampridem magna admiratione virtutis ejus, ac rerum geſtarum captum præfatur; mox Siciliam Chriſtianorum imperio deberi enarrat, expugnari parvo negotio poſſe oſtendit, civitates & oppida immunita, Saracenos nulla militari diſciplina inſtructos. Siciliæ Præſidem virum inertem, ac vecordem. *Saracenorum in Sic. diſcordiæ.* *Bettumenus ad Rogerium.*

 Si-

Siciliæ Præſidem virum inertem, ac vecordem. Sultanum longa intercapedine abſentem, atque omnia, præter bellum metuere. Maximam Chriſtianorum multitudinem, quæ in Sicilia paſſim degebant, cum primùm eorum ſigna apparuerint, nec ſibi, nec eorum comitibus defutu am. Demum ſuam, ſuorumque opem, ac operam offert, modò ſua ſibi jura illæſa ſerventur.

Suam illi offert operam.

Poſt hæc cum hæſitantem Rogerium conſpiceret, ſumptis in manus Maomethicæ legis ſacris, ac ipſa contingens, prout genti mos eſt, inauditis, ultimiſque execrationibus, ac diris adjurat, obteſtaturque ſeſe ex animo locutum. Ejus præterea vultus, oculi, ac ardens loquendi modus non minorem fidem, quàm jusjurandum præſeferebant. Poſtremò Regni ſitu, amœnitate, ubertate, ac commoditate Rogerio, qui nunquam antè regionem viderat, propoſitis effecit, ut ad inſulam invadendam Rogerius impelleretur. At Robertus, qui Meliti per id tempus agebat, cum hæc a Rogerio per certum nuntium didiciſſet, reclamavit fraudem Punicam ſubeſſe, ac dolos inſtrui, nec Bettumeno facilè credendum, ſed in tempus aliud rem maturandam, ne punicis inſidiis circumventi, ſimul omnes ad victimam ducerentur.

Subeſſe fraudē Robertus clamat.

Sub hæc ipſum fermè tempus Meſſanenſes plures, qui jam inter ſeſe conjuraverant, cum eadem, quæ Bettumenus ad germanos fratres ſæpiùs Melitum detuliſſent, rogantes ne tam claro, quàm pio facinori deeſſent, facilè illos flexerunt. Nortmanni itaque gloriæ, atque auri ſatis cupidi ſublato metu, atque in ſpem adducti ad facinus, bellumque in Sicilia contra Saracenos ſuſcipiendum conſentiunt, ſed ſpeculandam ante omnia Meſſanæ urbis regionem cenſent. Rogerius itaque militibus, equitibuſque Nortmannis, Langobardis, Italiſque ad juſtum numerum inſtructus, Bettumeno duce, ad Meſſanenſia littora, agroſque explorandos ex Rhegio prædatoriis cum navibus transfretat, &ad locum inter Tyndaridem, & Mylas, cui a Furno nomen eſt, militem omnem ſine hoſtium obſtaculo in terram exponit, atque inde pedetentim progreſſus, Meſſanæ agros, urbemque ſpeculando pervaſit. Præerat tum Meſſanæ Bemmeneleri, quem Bettumenus interfecerat, germanus frater. Is Rogerii, atque Bettumeni accepto trajectu, ratus & germani mortem ulciſcendi ſimul, & egregii patrandi facinoris tempus adeſſe, cum delecta Saracenorum manu ſe ad prælium parat, atque urbe egreſſus Nortmannis in agro Mylenſi occurrit. Rogerius ut Saracenos ad bellum ordinatos conſpexit, convocatis militibus, quorum numerus ad duo millia aſcendebat, jubet, ut curent corpora; deinde e caſtris exiens ad reprimendum hoſtium impetum accenditur. Ubi mox collatis viribus in hoſtilem aciem majori conatu adniſus, loco ſtatim movet, motos turbat, turbatos diſſipat, ac terga vertere compellit, profligatque. Quos inſecutus, magnam Saracenorum partem, ducemque ipſum trucidat, cæteris in urbem fugatis. Hoc uno levi, primoque Nortmannorum prælio ita Saracenorum res perculſæ ſunt, ut & qui ex clade pauci evaſerant, exangues in urbem relaberentur & civitas ipſa metu conſternata, non ſolum ducem perdidiſſe, ſed ipſi cum eo omnes occubuiſſe viderentur.

Inſulam invadendā decernunt.

Meſſanam Rogerius trajicit.

Saracenos vincit, & fugat.

Hac victoria Rogerius animo elatus, illuceſcente die nihil cunctatus, præeunte Bettumeno, & Meſſanenſibus Chriſtianis, Rametam oppidum, quod 12. paſſuum millibus a Meſſana recedit, profici-

Ramettam cōtendit.

Cum præda revertitur.

ſciſcitur, agros circumquaque perluſtrat, regionem populatur villarum ædificia incendit, ac præda omnis generis onuſtus ad freti littus, cui Carollo erat nomen, revertitur, eamque ad aquas dulces ratibus impoſitam Rhegium tranſmittit. Mirum erat Nortmannos liberè, ac impune Meſſanenſium agros excurrere, ac populari. Adeo namque Saracenos ejus gentis nomen ſimul, & ab illis in Apulia, & Calabria rerum geſtarum admiratio tenebat, ut ſicut priùs illorum adventum plurimùm verebantur, ita poſtmodum præſentia conſternati cum illis, maximè cæſo priori dimicatione Duce, congredi perhorruerint.

Secundo Meſſ. fines invadit.

At cum Rogerius ſecundò Meſſanenſium fines invadens, hoſtes ad bellum laceſſere non deſineret, illi irritati equitum, ac peditum coacta manu, erumpere in eos ſtatuunt. Quo per transfugas intellecto, Rogerius Serlonem ex fratre nepotem adoleſcentem viribus corporis, & animi pariter magnitudine inſignem aliquibus cum militibus proximis latebris occultat. Ipſe verò eminus cum cæteris copiis ad littus fugam ſimulat, Saraceni verò eos metu perculſos, & fugam, non ſtratagemma parare arbitrati, in fugientes quàm tumultuariè movent. Quos dum Rogerius retroverſus non modò firmiter ſuſtinet, ſed & acriter propellit, Serlo ex inſidiis confeſtim egreſſus Saracenos a tergo nil tale expectantes adoritur, ac belli ardore incenſus in confertiſſimos hoſtes irruit. Saraceni inter duas Nortmannorum acies ex improviſo circumſepti, quâ ſe verterent, quibus primùm obſiſterent ignari, a tergo, & a fronte perfringuntur, ceduntur que ferè omnes. Hæc ubi Meſſanæ nuntiata eſt clades, mœror, & luctus civitatem implevit, atque eò acrior, quò ſibi certam expugnationem parari prævidebant.

Saracenos fundit.

A Roberto auxilia petit.

His belli initiis fœliciter actis, Rogerius per nuntium Roberto fratri, quæ ab eo in Sicilia geſta, quæ naturæ locorum, qui Saracenorum animi, quæ vires ſignificat, atque ut militum copias numero majores ad oppugnandam Meſſanam extemplò inſtructas tranſmittat; nihil enim ſibi hactenus feciſſe videbatur, niſi urbem ipſam debellaſſet, non ignarus tot ante ſe gentium, quæ Siciliam occupaverant, exemplis, ſi eum locum, qui ex Italia venientibus in inſulam veluti porta patet, recepiſſet, totam ſe Siciliam quàm facillimé ſubacturum. Robertus nuntio accepto, de fortunæ principiis hilaris confeſtim milites Nortmannos, ac Langobardos quoſcumque ſecum habebat, Rogerio mittit. Is priori adhuc victoria elatus ad curvum littus, quod Brachium S. Rainerii hodie vocant, intrepidè caſtrametatur, ac Meſſanam obſidet. Sed tanta erat Saracenorum, qui advenerant, in urbe multitudo, tantaque noſtrorum paucitas, ut irriti omnes Nortmannorum conatus futuri præviderentur. Quamobrem Rogerius veritus, ne a Saracenis ob paucitatem militum contemni inciperet, & exiſtimatione lapſus totam contra ſe inſulam incitaret, deſperata pro tunc expugnatione, maturato conſilio obſidionem ſolvit, & Rhegium revertitur, ut comparato ibidem juſto exercitu, Meſſanam æquis viribus aggederetur.

Rhegium revertitur.

Belchanes Siciliæ Præſes.

Belchanes, quem Beſcavectum aliqui appellant, per id tempus Siciliæ præſidebat. Is cognito Nortmannorum belli apparatu, claſſem, quam inſtructam Panormi tenebat, Meſſanam mittit, atque hoſtium inde trajectum impedit. Ipſe verò terreſtri itinere cum equitatu Meſſanam venit, ac cuncta, quæ ad obſidionem perferendam ido-

idonea cenſebatur, parat, ſaxa in muros convehit, per propugnacula milites diſtribuit, & qui primi inſultus hoſtium repellere geſtiunt, decernit. Interea Rogerius contractis ex Langobardis, & Italiæ magnis copiarum molibus, parte exercitus Roberto relicta, quæ, ſi neceſſitas poſceret, ſtatim ad ſuppetias ſuccurreret, ipſe cum omni veterano exercitu, novoque inſuper delectu habito, claſſem aſcendit, noctu fretum proſperè trajicit, Saracenorum claſſem prætervehit, Meſſanæ littora contra Rhegium ſupra urbem ad duo paſſuum millia a Chuppo hodie cognominata attigit, copias omnes, machinas, ac cæterum apparatum belli in terram exponit, urbemque, qua meridiem reſpicit, incredibili totius civitatis metu, maximo animo obſidet. Facillimam namque, ac penè certam urbis expugnationem ei promittebant, fiducia, quam in Deo primùm habebat, cujus injurias vendicabat, armorum ejus toties invicta fœlicitas, & hoſtes ipſi bis ab eo paulò ante victi, quorum cum victore neque animum, neque vires non modò ſuperiores, ſed ne pares quidem, experimento didicerat.

Rogerius rurſus Meſſanam obſidet.

Ejus in Deum fiducia.

Porro Saracenorum procerum ſimul, & plebis, tametſi graviter clades ex duobus levibus præliis acceptæ fregiſſent animos, Belchanis tamen, & claſſis adventu erectiores, magna celeritate ad deſignata urbis mœnia procurrunt, obſtinatiſque ad mortem uſque animis obſidionem ferre ſtatuunt. Igitur Rogerius pro tempore, & loco ordinatis rebus, mœnia cum exercitu circuit, ſuis imperat, quas quiſque pro ſe partes curet. Deinde dato ſigno, oppugnare urbem incipit. Nortmanni pro ingenio quiſque pars eminus glande, aut lapidibus pugnat, pars modò murum ſuffodit, modò ſcalis aſcenſum tentat; contrà Saraceni in proximos ſaxa volvunt, ſudes præterea, picem ſulphure, & tæda ardenti mixtam emittunt, clamoribus quoque inauditis (quod familiare eſt Saracenis) noſtros terrere ſatagebant. Verumtamen neque hoſtium multitudo, neque telorum vis, neque clamor Nortmannos ab incepto arcebant, imo acriùs miſſilibus, catapultis, aliiſque ferreis machinis, hortante, ac ad certam victoriam editis vocibus Rogerio ſuorum animos extollente, vim inferebant. Atque ita utrinque aliquandiu pari virtute, parique ardore dimicatum eſt.

Saraceni ſtrenuè obſiſtunt.

Acriùs obſidio urgetur.

Tandem cum Nortmanni nec noctu, nec interdiu vim remitterent, ſed mœnibus continuò quaſſandis nullum hoſtibus reſpirandi ſpatium darent, Saraceni labore feſſi imbecilliores fiunt, mœnia deſerunt, ac deſperatis rebus, in urbem ſe recipiunt. Nortmanni ubi muros hoſte deſtitutos vident, ardentiùs inſiſtunt, turres, ac propugnacula quatiunt, diſſipant, tormentis disjiciunt, urbem obſtaculis avulſis aperiunt, ingrediuntur, capiunt. Per vicos ſubinde, ac domos excurrunt. Saracenos promiſcuè quotquot paſſim obvios habent, gladio perimunt, paucis exceptis, qui cum Belchane fugâ ad ſuorum claſſem in portu ſtantem ſalutem ſibi quæſierunt. At Rogerius ubi captam vidit urbem, & in ſuorum poteſtatem redactam, aperta voce: Satis (inquit) o milites ſævitum eſt, a gladio deinceps abſtinendum. Humanus namque ſanguis effunditur. At milites ſtatim gladiis depoſitis, a ſanguine ad prædam convertuntur. Dum Meſſana diripitur, Saracenus quidam genere nobilis cum germana ſorore fugam arripiens, cum illa tardiùs inſequeretur, ne in manus Nortmannorum incideret, violata lege, gladio eam transfodit.

Nortmanni urbe potiuntur.

Meſ-

Belchanes Panormū redit.

Meſſanâ expugnatâ, Saracenica claſſis cum Belchane portu ſolvens, recto curſu Panormum, unde venerat, regreditur. Ita Meſſana anno ſalutis 1060. prima ante alias a Rogerio ſuperatis Saracenis expugnata, Chriſtianis eſt reſtituta. Rogerius victoria uti lætè, ita moderatè uſus, ædes primum Maomethicæ ſuperſtitionis ſpoliavit, ſubvertitque; arcem præterea, propugnacula, munimentaque erexit, atque præſidio munivit. Poſthæc, ne miles otio torpeſceret, victoriam ſequens, Meſſana egreſſus cum victore exercitu ſimulatque novis copiis, quas illi ex Rhegio Robertus tranſmiſerat, (1) Duce Bettumeno, Ramettam contendit. Ramettenſes, qui Saraceni erant, audita Meſſanæ expugnatione, metu potiùs, quàm ſtudio, & Bettumeni ſuaſu confeſtim deditionem fecerunt. Rametta potiti cum vicina provincia, quam planitiem Mylarum hodie appellant, oppida omnia ſine impedimento, aut repulſa in fidem accipiunt.

Rametta Rogerius expugnat.

Poſt hæc regionem nemorum, quam vallem nuncupant, felici ſucceſſu adepti, Maniacium oppidum ad Ætnæ montis radices a Georgio Maniace (ut diximus) conditum, qood a Chriſtianis adhuc habitabatur, deveniunt. Maniacenſes audito Nortmannorum adventu læti venientibus occurrunt, & oppidum tradunt. Centoripen deinde aggreſſi magna vi, atque noſtrorum ſtrage a Saracenis repulſi, ad vallem Paternionis Centoripinis obſidendis peridoneam caſtrametati ſunt. Poſt hæc S. Felicem, ubi ſpecus ingentes Saraceni incolebant, profecti, magna Saracenorum cæde edita, capiunt. Subinde Ennam petunt, & ad locum, cui eo tempore Papardani erat nomen, ſtationes locant. Erant in exercitu Rogerii ultra Sicilienſes equites, & pedites, Nortmanni, Langobardi, & Itali non pauci.

Maniaciū in deditionē recipit.

Belchanes Saracenorum Præfes animo agitans quibus maximè conſiliis, atque artibus acceptas clades ulciſceretur, ac ne prorſus victum ſe oſtenderet, totius Siciliæ civitates ei ſubjectas ad communes hoſtes communibus viribus impetendos legationibus fatigat, & ad gerendum contra Nortmannos apertè bellum concitat. Hoc modo quindecim Saracenorum millium comparato exercitu, ad hunc locum Chriſtianos repreſſurus advenit, caſtra in conſpectu Nortmannorum poſuit. Suorum animos contempta paucorum Chriſtianorum acie acuebat, victoriam certam, & in manu ſitam oſtentabat. Qua animadverſione incenſi Saraceni ſine metu periculorum, bellum deſiderabant. Nec ejus ſegnis opera in ordinandis militibus fuit; in tres acies exercitum dividit, omnia circuit, ſingulos veteris Saracenorum gloriæ, ac imperii memores ut ſint, hortatur; cum paucis etiam, & advenis congrediendum eſſe admonet. Robertus Guiſcardus, qui jam Rhegio in Siciliam cum copiis trajecerat, (2) & Rogerius frater majorem in Deo, quàm in armis fiduciam habentes paucis verbis ſuos admonent, ſe cum eis pugnare, quibus toties ſuperiores fuerant. Quo facto, milites in duas acies dividunt. Quorum alteri Robertus, alteri Rogerius præerat, ac deinde exercitum pauliſper conſiſtere jubent, ut eâ morâ oculis conſueſcant Saracenorum turbam ſuſtinere. Tum demum ſigno dato, prælium ingentibus animis utrinque conſeritur, & principio quidem anceps, ſed mox Saraceni irruentibus in eos Nortmannis, terga vertunt. Quos illi inſecuti, ingentem hoſtium ſtragem edunt. Cæſa namque ſunt ex Saracenis ad decem prope millia, cæteri autem cum Belchane fuſi, in Ennam uſque fugati ſunt. Noſtri deinde cum ingenti rerum omnium

Saraceni ad bellū ſe parāt.

A Nortmannis vincuntur.

Ennam uſque fugantur.

nium arrepta præda, ad caſtra revertuntur, facili, atque incruenta potiti victoria, quæ fuit anno 1061.

Ennam Nortmanni obſident. Verùm nihil actum eo prælio exiſtimantes, niſi Ennam quoque caperent, poſtridie urbem obſident. Quæ cum in monte undique præciſo eſſet ſita, & expugnatu difficilis, Robertus, & Rogerius ad Calaxibettam montem urbi valle media ad duo vix millia paſſuum prominentem, tentoria figunt. Cumque locus tanti exercitus minimè eſſet capax, mutato conſilio, ad vallem aquarum fontibus irriguam deſcendentes caſtra locaverunt. Sed dum Enna obſidetur, Rogerius otii impatiens trecentis cum equitibus Agrigentum uſque regiones exploraturus excurrit. Agros incurſionibus, & deprædationibus longè latèque populatus, demum ingenti præda onuſtus ad ſuos redit. *Calataxibettæ Arcé condunt.* Cumque Ennæ obſidio in longum protraheretur, in vertice Calataxibettæ montis, arcem obſidioni peraccommodam conſtruxerunt. Sed cum Belchanes, & Saraceni naturali urbis ſitu confidentes contemnerent, & per vallem nemorum egreſſi captas civitates vexarent, jamque etiam hyems ingrueret, veriti Nortmanni ne Meſſana urbs ab hoſtibus impeteretur, ſoluta obſidione Robertus, *Meſſanam muniunt.* & Rogerius Meſſanam revertuntur, copias reducunt, urbemque mœnibus, & propugnaculis craſſioribus ambiunt, munitioremque reddunt.

Quo peracto, de modo adminiſtrandi bellum inter ſe conſultant. Placuit Bettumenum Catanam mittere, qui militum ſelecta manu Saracenos ea parte laceſſeret, oppidiſque expugnandis intenderet, ipſi verò interea ad Apuliam, & Calabriam per hyberna tempora reviſendam ſecederent. Profecti igitur eo conſilio in Italiam Nortmanni fratres, cum Bettumenus in Catanenſi regione Saracenos intra mœnia crebris præliationibus continuiſſet, menſe Decembri Rogerius Comes ſelectis cum equitibus e Calabria reverſus in Siciliam trajicit, ubi mediterranea ingreſſus, obvia quæque vexat, ac hoſti- *A Chriſtianis excipiuntur.* liter agros circumquaque populatur. Cui Chriſtiani Sicilienſes, qui Saracenis ſuberant, læti occurrentes & oppida, & ſeipſos certatim quodammodo obtulerunt.

Poſt hæc Troynam obſidere pergit. Sed Troynenſes, qui Græci erant, ut Nortmannos conſpexerunt, omni effuſa civitate cum ſignis Chriſtianis, cruce, thuribulis, atque accenſo thure ante portam urbis, intra menia eos introducunt, precati ut propitio Deo urbem ingrediantur, atque ita in arcem victorem Rogerium deduxerunt octavo Kalendas Januarias; iſque dies deinde, qui & partus *Troynâ ingreſſi illá muniunt.* Virginis eſt, feſtus Troynenſibus, ſolito celebrior, magiſque ſolemnis eſt habitus. Hanc urbem Rogerius muro, & præſidio firmans, cum ad bellum, & ad reliqua peragenda ſatis eſſet accommoda, conſtituta in ea ſede Epiſcopali, Robertoque conſanguineo ſuo conſtituto ibidem Antiſtite, pro arce ſibi delegit. Troynâ captâ, Rogerius in Calabriam reverſus Eremburgam Roberti Sanctæ Fimiæ Comitis germanam ſororem uxorem duxit, & celebratis apud Melitum nuptiis, in Siciliam rediit. (3) Ubi ſtatim aſſumpto ſecum Bettumeno Saraceno, ſelectoque militum comitatu, Petraliam naturâ munitum oppidum obſedit. Oppidani, qui mixtim Chriſtiani cum Sara- *Petralia potiuntur.* cenis erant, firmato inter ſe communi conſilio, deditionem fecerunt. Inde Rogerius, munito arte oppido, Troynam regreſſus eſt. Ubi præſidio relicto, & Bettumeno Siciliæ Præſide conſtituto, Melitum Calabriæ ad uxorem viſendam petiit, ex qua Gotfredum, & Jordanum filios poſtea ſuſcepit.

Interea Bettumenus, coacto exercitu, plura Saracenorum oppida expugnat, pleraque per deditionem accipit. Subinde oppidum Cutelionem, (4) quod ſui juris cum eſſet, ab eo deſciverat, dura obſidione cingit. Oppidani, qui Saraceni erant, ad fraudem converſi Nichel Saracenum vafri virum ingenii mittunt, per quem ſubdolam deditionem pollicentur. Bettumenus dum in patenti caſtrorum loco ad colloquium a Nichele evocatur, ut mandata, quæ habebat, ei exponeret, ſagitta ab arce emiſſa confoſſus interiit. Nortmanni, qui Troynæ, & Petraliæ præſidio erant, accepta Bettumeni morte in metum adducti, deſertis oppidis, Meſſanam, quò tutiores eſſent, celeri curſu petunt. *Bettumenus occiditur.*

Dum hæc in Sicilia geruntur, magna inter Robertum Guiſcardum, & Rogerium fratrem ob imperium iniquè diviſum diſcordia in Calabria oritur. Nam cum Robertus Calabriæ dimidium, & omnem Siciliam Rogerio promiſiſſet, Calabriam quidem ille parùm juſtè partitus eſt. Rogerius eà injuria laceſſitus in Robertum exercitum parat, ſed prius Robertum per legatos ad æquitatem flectere conatur. Robertum reſpondiſſe ferunt: Nullum regnum poſſe ſub duobus ſociis regi. Proinde contentus ſit Melito, & Squillacio, & aliud ſibi polliceatur imperium armis acquirendum. Siciliam id eſſe, cujus jam partem adeptus erat. Cæterùm Calabriam omnem, & Apuliam ſibi jure omni cedere, nec ei partem deberi. Ita in viſcera ſua germani fratres, omiſſis Saracenis, arma convertunt. Fiunt ex uno populo duo corpora, & in duos exercitus contrarios Nortmanni dividuntur. Robertus ſuarum civitatum auxilia ad ſe contrahebat. Rogerius ſuis militibus, & rebus proſperè in Sicilia geſtis elatus, propriis viribus confidebat; hunc injuria, illum rerum cupido, atque æmulatio regnorum ad cædem fraternam ſtimulabat. *Diſcordiæ inter Nortmannos fratres.* *Quæ in bella evadunt.*

Primùm itaque Robertus contra Melitum, ubi Rogerius ſe munierat, cum copiis movet, oppidum oppugnat, & obſidet. Cumque difficilior eſſet obſidio, duas arces contra Melitum erigit. In hac oppugnatione Arnaldus Comitiſſæ germanus frater occubuit. Sed cum Rogerius ſubſidentium plurimos occidiſſet, nec expugnationis ſpem hoſti ullam oſtenderet, Robertus obſidionem fœdè ſolvere cogitur. Rogerius viciſſim ſelectis cum militibus Geracium Roberti oppidum petit, obſidet, oppugnat, ac parvo negotio in deditionem accipit. Robertus Geracio capto eò cum exercitu properat, recipiendoque oppido & vi, & arte incumbit. Erat in eo Baſilius probatæ fidei Roberti domeſticus. Ad quem Robertus ruſticum mentitus clam civibus Geracium ingreditur, eumque, ut deditionem cum civibus pertractet, hortatur. Veniam pro oppidanis patratæ jam rebellionis ſpondet, bellum ſe cum Rogerio, non cum Geracenſibus, quos ut filios ſemper habuiſſet, ſuſcepiſſe præfatur. *Meliti obſidio ſoluta.* *Geracii oppugnatio.*

Dum hæc Robertus pertentat, ejus in oppidum ingreſſus continuò reſcitur. Magna trepidatio cives invaſit, publicam omnes, ac privatam fortunam deplorant, urbem interitui proximam miſerantur. Robertus cum ſe detectum cognovit, e Baſilii laribus fugâ dilapſus in ædiculam quamdam ſe recipit. Interea Geracenſes ad domum Baſilii armati concurrunt, vitam ejus quærunt. Sed Baſilius ne in civium manus deveniret, in ſeipſum manus injecit; uxor verò ejus a plebe capta palo affigitur. Mox Geracenſes vicinas domos pervagati Robertum indagant, quem tandem toto corpore præ ſudore madi- *Ubi Robertus capitur.*

dum

dum in ædicula repertum capiunt. Plebs in partes rapiebatur varias, plerique ut moreretur conclamabant, plerique libertate donandum aſſerebant. Tandem plurimorum ſententiis carceri addicitur. Interea Duces Rogerii exercitus de Roberti captura per certum nuntium Rogerium certiorem faciunt. Qui pietate motus, odio depoſito, quàm celerrimè Geracium pervenit, furentis populi iram compeſcuit, & fratrem vinculis exemit. Robertus tanto beneficio a Rogerio donatus, victum ſe fratri confeſſus, æquam Calabriæ partem (ut convenerat) tradidit, ac diviſum cum eo Calabriæ imperium deinceps habuit. Ita compoſitis Germanorum fratrum rebus, Rogerius munitis Calabriæ oppidis, ad reprimendos in Sicilia Saracenorum auſus, qui ob Bettumeni mortem jam cornua erexerant, cum Eremburga (5) uxore ad Troynam regreſſum parat.

A fratre Rogerio liberatur.

A Nortmanis Troynenſes vexantur.

Interea Nortmanni, & qui Troynæ præerant, & qui præſidio relicti fuerant, adeo ſuperbè, ac petulanter abſente Rogerio imperabant, ut cum non in virgines modò, ſed etiam in matronarum turbam paſſim diſſolutiſſimæ libidinis flagitia porrexiſſent; Rogerius cum uxore Troynam appulſus non læta fronte, ut ſolebat, a Troynenſibus exceptus ſit. At ille lenitis Græcorum animis, ac facinoroſis in crucem adactis, tum urbe etiam præſidio novo munita, & uxore in arce relicta, ad invadenda, expugnandaque propinqua Saracenorum oppida proficiſcitur. Nicoſiam igitur Saracenorum oppidum primum obſidet, cujus obſidio dum in longum protrahitur, Troynenſes ſeditionem redintegrant, in Nortmannos milites uxorum ſuarum violatores irruunt, & arcem, quò illi ſeſe receperant, adoriuntur. Sed Nortmanni furenti populo obſiſtunt, & licèt numero pauci, virtute tamen ſuperiores fiunt. Interea Saraceni, qui vicina oppida adhuc tenebant, auditis his motibus, in Troynenſium auxilium milites ad quinque millia mittunt. Verùm Rogerius rumore accepto, omiſſa Nicoſiæ obſidione, quàm celerrimè Troynam ad ſedandas res novas petit. Atque ita Troyna in duas partes dirimitur. quarum alteram Rogerius cum arce, alteram verò Græci cum Saracenis tenebant.

Qui in illos inſurgunt.

Rogerius inſperato auxilio.

Sed Nortmanni intus obſeſſi annonæ commeatuſque inopià inferiores, Græcis vini, frumenti, cæterarumque rerum abundantià, quę omnia Saraceni abundè illis ſuppeditabant, abundantibus, ultimam experti fortunam, & paratis, inſtructiſque militibus, toto impetu Græcos adoriri ſtatuunt. Nec ſegniùs Græci, & Saraceni ad bellum & ipſi ſe parant. Igitur durum utrinque bellum conſeritur. Sed tanta Græcorum, Saracenorumque animos ferocia, ex recenti uxorum violata pudicitia invaſerat, ut vix impetum Nortmanni, tametſi tot victoriis elati, ſuſtinerent. Rogerius ibi dum ſuis inter conſertiſſimos hoſtes ſuccurrit; undique ab illis circumdatur. Qui ubi ſe obrui a circumfuſa multitudine perſenſit, muri obice poſteriora tutatus, hoſtes faciliùs eòuſque ſuſtinuit, donec ad periculum ejus, clamoremque in ipſa congreſſione equus ſibi ab hoſte vulneratus, & occiſus in terram laberetur. Ubi ſubito caſu dilapſus a Græcis, & Saracenis circumſeptus, cum jam pro captivo haud dubiè haberetur, inter ipſas captantium manus, adeo ejus animi magnitudo præfulſit, ut non modò elapſus evaſerit, ſed pluribus ex iis, qui eum tentabant, occiſis, ſuperior extiterit, & ad arcem incolumis redierit. Cumque quatuor deinde menſes hæc ſeditio duraſſet, coacta tandem

Periculum ſubit.

dem militum ſelectorum manu Rogerius Græcorum aggeres, & propugnacula perrumpit, cæſiſque hoſtium pluribus, & pleriſque captis, *Deſectores pu- nit.* cæteris verò in fugam verſis, reliquam urbis partem ad votum pertraxit. Inter hoſtes captus eſt Parennio factionis caput. In quem cum facinoris ſociis continuò ſæviſſimo ſupplicio animadverſum eſt.

Sedatis hoc modo ſecundis Troynenſium motibus, & munita urbe, & arce, Rogerius in Calabriam ſe contulit. Ubi dum paulò diutiùs rebus domeſticis inhæret, Saraceni, qui in Enna erant, magna Arabum ex Libya accita manu, Nortmannos Sicilia pellere ſtatuunt. (6) Quo cognito Rogerius citato gradu Troynam rediit, unde ſtatim Serlonem triginta cum equitibus ad Saracenorum res juxta Ennam explorandas miſit. *Contra Saracenos ducit.* Hoſtium adventu præcognito, Saraceni ex inſidiis, quas paratas habebant, egreſſi, emiſſarios omnes, præter Serlonem duobus cum ſociis, qui ſugâ occupationem præverterant, interfecere. Quocirca Rogerius juſto militum numero comitatus, in obſervatas inſidias irruens, illorumque maxima cæde facta, victor Troynam ingreſſus eſt. Ubi manubiis refertus, iterum Saracenorum agros populando uſque ad Calatagironum, Ennam, & Buteram excurrens, rerum, ac animalium ingenti capta præda, ad urbem reverſus eſt.

Poſt hæc anno ſalutis 1063. Saraceni, & Arabes equitum, ut plerique ſcribunt, cum triginta millibus, peditum verò præ multitudine incerto numero, atque omni belli apparatu contra Nortmannos *Ingens Saracenorū apparatus.* non longè a Cirami oppido egrediuntur. At Serlo Rogerii juſſu triginta cum equitibus Ciramim venit, oppidum munit. Saraceni ubi Chriſtianos numero longè inferiores vident, audentiores facti Ciramim aggrediuntur. At Serlo, cujus ſupra ætatem, ac naturam virtus eo bello fuit admirabilis, cum paucis contrà egreditur, atque in Saracenos irruens, plures illorum occidit, ac tam parva manu tot *Serlo Saracenos adoritur.* hoſtium millia, mirabiliùs ne vicerit, an aggredi ſit auſus, incertum eſt. Rogerius, Serlonis victoriâ auditâ, cum numeroſo ſuo equitatu e Troyna Ciramim & ipſe venit, ubi a Vercello Baliolo Nortmanno equite hortatus Saracenos inſequi deliberat. Quocirca curatis corporibus, exercituque in duas acies diviſo, quarum alteram Serlo, alteram verò ipſe ductabat, Saracenos adoritur, ſuoſque ad hoſtium cædem, certamque, Deo authore, victoriam magnis vocibus extimulans, primus omnium pugnam capeſſit, laborantibus ſuccurrit, ubi majus erat periculum ultro ſe offert, hos hortans, illos monens, boniſque artibus ad pugnam ſingulos incendens. At Saraceni *Roger. coraliter illos evertit.* undique belli formidine circumſtrepente, inter duas Nortmannorum acies concluſi Serlonis aciem prætereuntes, Rogerium multitudine militum, ac pompa belli, & induſtria impetebant. At Rogerius nihilò ſegnior hoſtibus obſtitit, ſed contra nititur, periculoſiſſima quæque aggreditur, & ubi confertiſſimos hoſtes acerrimè pugnare conſpexiſſet, eò ſe ingerebat.

Dum hæc geruntur, tum (mirum viſu) inter equites ipſos Nortmannos Divus quidam ſupra humanum modum ſpecioſus, fortiſque in equo albo, in albo amiculo inſigne rubræ crucis inſutum deferens, ac maximo lumine circumamictus apparuit, cujus præſentiâ totus exercitus roborabatur. *S. Georgius auxiliatur.* In inſigni prætereà, quod in haſtæ Rogerii cuſpide præferebatur, plumea crux inſignita viſa eſt. Rogerius, viſione diſparente, adveniſſe Divum Georgium, Deumque ipſum

auſpicem ſuis affirmabat. Proinde milites, ut tantum anteſignanum ſequantur, ſocios ſe illi adjungant, victoriam e cœlo partam accipiant, magnis hortatibus admonebat. His vocibus incenſi Nortmanni certatim in Saracenos proſiliunt, præſentiam divini numinis & ipſi ſtatim ſentiunt, ac hoſtes diſſipant, cædunt, cæteros fugant. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit. Siquidem Chriſtiani vagos, paſſimque ſine ordine fugientes veluti inſectati, adeo ſævè trucidabant, ut nemo ex tanto Barbarorum exercitu, qui paulò ante virium ſuarum fiduciâ Deum etiam contemnere non verebantur, vel ad memoriam tantæ cladis vivus ſuperfuerit.

Magna Saracenorú clades.

Hæc tam pia, quàm vera conjectatio animum ſubit, Rogerium cœleſti magis, quàm humana ope victoriam adeptum; quippe quòd Nortmanni numero longè inferiores non propria vi, ſed divina freti tot Saracenorum millibus bellum inferre non detrectaverunt. Authores habeo, qui memoriæ prodiderunt, ab hujus victoriæ die Rogerium in ſcuto, & inſignibus ſuis hanc inſcriptionem deinceps geſtaſſe: *Dextera Domini fecit virtutem; Dextera Domini exaltavit me.* Quæ verba in omnibus ejus diplomatis in hunc uſque diem leguntur. Quibus & ſucceſſores ejus Nortmanni Siciliæ Reges velut hæreditario jure ſunt etiam uſi. Parta igitur tam inſigni victoria, & immensâ auri, argenti, veſtium, animalium, & rerum omnium prędâ captâ, Rogerius quatuor camelos Saracenorum ſpoliis onuſtos Alexandro ſecundo hujus nominis Romano Pontifici Romam in tantæ victoriæ indicium tranſmiſit. (7) His rebus fœliciter geſtis, Troynam reverſus triumphantis more a Chriſtianis excipitur.

Divina opa Nortmáni victores.

Poſt hæc Piſani, quorum nomen cùm omni Italiæ, tum Genuenſibus præſertim, multiſque quàm remotiſſimis jam tum terrori fuerat; quippe qui ampliſſimum in Ethruria Principatum tenentes poſt Sardiniam, Corſicamque ſubactam Sultano Ægypti bellum intulerunt, & (quod gloria digniſſimum eſt) Hieruſalem quoque ipſam urbem ſanctam, magnamque Paleſtinæ, ac Syriæ partem pulſis Saracenis armis prædomuerant, a Saracenis Panormitanis, in Ethruriæ littoribus infeſtati, ſeptem triremes militibus inſtructas ad Rogerium, dum Troynæ ageret, mittunt, eum ad Panormum regiam Saracenorum expugnandam, non quidem prædæ, ſed injuriarum vindicandarum ſtudio invitant. Rogerius, quia graviora ſibi bella imminebant, veritus, ne dum Panormum oppugnaret, quæ in Sicilia adeptus fuerat oppida, amitteret, in tempus commodius rem differendam reſpondit. Piſani hoc reſponſo non contenti, ex Mylis, ubi tum reliquam claſſem in ſtationibus habebant, recto curſu Panormum applicant, urbemque aggreſſi ferream catenam, qua portus fauces claudebantur, vi tormentorum perfringunt, portum ingrediuntur, ſtationemque irrumpentes, quinque naves mercibus onuſtas, quæ in anchoris ibi ſtabant, capiunt, atque ſecum Piſas aſportant; ex cujus prædæ pretio maximum Piſarum templum erexerunt, ut ipſorum, & Siculorum annales referunt. Erat tum annus ſal. fermè 1063.

Piſani illis auxilia exhibēt.

Cōtra Panormum feruntur.

Poſt hæc Rogerius Goliſanum, Cephaledim, ac Brucatum oppida petiit, eorumque agris vaſtatis, & ingenti rerum omnium capta præda, Troynam reverſus, non multò inde poſt diſcedens Apuliam contendit. Ubi cùm Roberto paucis diebus commoratus, non contemnenda militum manu inde abducta, in Siciliam rediit, ac Agrigentum profectus, vaſtata, incenſaque ejus regione, ingenti præ-

Roger. Agrigétú oppugnat.

prœda ditatus Troynam repetit, Quo Saraceni cognito, Ceramenſem cladem ulturi, parata cum mille militum acie Nortmannos prœda onuſtos repente invadunt, qui relictà prædâ, levi fuga ſalutem redemerunt. Rogerius auditâ ſuorum fugâ, redintegrata acie, *Rogerius in ſuorum auxilium.* Saracenos adoritur plures eorum cædit, multos capit, ac recuperatâ prædâ Gualterio Simulo viro impigro, ac bellica arte inſigni cum paucis aliis in ea pugna deſideratis, victor ad ſuos rediit.

Poſt hæc Robertus Guiſcardus magna cum militum manu ex Apulia Siciliam Rogerio auxilio venit, fratrique aſſociatus, cum totam ferme Siciliam ſine ullo hoſtium occurſu peragraſſent, Panormum incredibili trium menſium obſidione cinxere. Sed cum in longum obſidio protraheretur, ſtatione ſoluta, agros, in quibus opulenta Regum, & Saracenorum civium palatia ad delicias extencta *Panormũ fratres obſident.* viſebantur, in circuitu excurrunt, populantur, incendunt; in quibus etiam oppidum Burganum nomine magna vi expugnant, ac oppidanis omnibus in Calabriam per Agrigentum tranſmiſſis, funditùs delent. (8) Petraliam poſtea petentes, cuncta Saracenorum oppida circumjacentia variis vexationibus infeſtant; ſubinde Roberto ibi relicto, Panormum eodem itinere Rogerius cum copiis revertitur. Cujus regreſſu præcognito Saraceni, qui in urbe erant, aut vincendum ſibi, aut moriendum certò ſtatuentes, maxima, atque ea fere innumera, ſuorum multitudine coacta in agro, qui hucuſque Saracenicè Bayharia dicitur, loco juxta littus maris Miſilimir etiam Saracenorum linguâ hodie appellato, ſex ab urbe ad orientem paſſuum millibus recedenti, Nortmannis in occurſum prodiere. *Cives ad reſiſtendum ſe parant.* Rogerius jam cum exercitu loco vicinus, ut hoſtium numerum a longè conſpexit, primùm quidem territus conſtitit, ac auxiliares Roberti milites expectare ſibi videbatur. Sed mox ruptâ morâ, reſumptiſque animis ad Deum, a quo ſibi tot victoriæ pervenerant, ſpem omnem dirigens, ſuos ad victoriam hortatur, ac dato militibus pugnæ ſigno, Saracenos principio multitudine quidem ſuperiores invadit. Quos, quia inconcuſſa Nortmannorum virtus, ac ferox audacia terrebat, ſigna confeſtim, ac ordinem deſerere incipientes, Nortmanni miſerabiliter cędunt, tantamque Barbarorum ſtragem faciunt, ut vix nuntius quidem e tot millibus evaſerit. *In acie egreſſi opprimuntur.* Erat tum ſalutis annus 1068.

Tantæ cladis famâ Panormum delatâ, tota urbs in mœrorem vertitur, quippe quòd de ſe nihil mitius deinceps expectaret. (9) Verùm cum interea Barus, & Tranæ urbes in Apulia adhuc ab Imperatore Conſtantinopolitano detentæ contra Nortmannos plura molirentur, delata in tempus aliud Panormi obſidione, Robertus, & Rogerius in Apuliam coacti petunt, atque utramque civitatem magnis viribus invadunt, & ad extremum capiunt. Quo tempore cum etiam multæ Græcorum in Calabria ſeditiones orirentur, ad eas prorſus ſedandas quinque annos Robertus & Rogerius contrivere. *Rob. & Roger. in Apulia.* Quibus exactis, compoſitiſque Apuliæ & Calabriæ rebus, cum magno equitatus, peditatuſque numero inſtructi in Siciliam ad Panormum expugnandam revertuntur; Nihil enim ſibi totâ inſulâ tutum judicabant, ſi Panormo non potirentur. Claſſe igitur urbem appulſi, ut obſidio eò eſſet durior, quò diuturnior, trans flumen Orethum, ubi hodie ædis eſt D. Joanni cognomento a Leproſis ſacra, hoſpitiis extructis, caſtra locant. Deinde tribus locis urbem oppugnant. Et Rogerius quidem a meridie, Robertus verò ab occaſu, claſſis autem a por-

Nova Panormi obſidio. portu eam aggreditur. At Saraceni acriter obſiſtebant, telis, lapidibuſque e mœnibus jactis obſidentes infeſtabant; quin & convitiis eos compellabant, atque in contemptum, ludibriumque portas urbis apertas habere non verebantur. Cumque Nortmanni milites hoſtium cum multitudine, tum novà audaciâ non mediocriter terrerentur, Robertus & Rogerius eos ad prælium hortantur, ac meminiſſe jubent, cum eiſdem eos nunc pugnare, quos pluries ipſi panci ſuperaverant; neque ſuperiores obſidione hoſtes factos, ſed inferiores. His itaque, aliiſque verbis milites a Ducibus hortati, animis eriguntur, atque magno impetu urbem adoriuntur.

Strenuũ Nortmanni facinus. Inter hæc Nortmannus quidam ignoti nominis eques ingentis ſpiritus vir, magnum, ac memoratu digniſſimum facinus geſſit. Cum etenim portam urbis apertam in ignominiam noſtrorum teneri videret, contemptum contemptu ſuperare pergens, citato equi curſu, urbis portam magno ingreditur impetu, cuſtodem lancea transfodit, & ſubinde cum cæteri Saraceni portam, ut eum interciperent, clauſiſſent, calcaribus ipſe admotis, toto Saracenorum agmine circumſeptus per mediam urbem, per ignotas ſibi vias, ac per medios hoſtes ad apertam etiam portam civitatis alteram ad ſuos illæſus evaſit. Poſt hæc Rogerius magno niſu a meridie machinis adhibitis, & ſub idem ferme tempus Robertus ad occidentem urbem oppugnant; *Oppugnatio urgetur.* ubi e duobus locis quaſſatis murorum partibus, terribilis admodum contigit dimicatio in diverſa ruentibus militibus incluſis, & exanimata metu urbana multitudine. Cæterùm qui urbi intùs præerant, diu chl.dictnm magnitudine animi, & conſilio ſubſtinebant tum intra mœnia ruinas aut reficiendo, aut nova munimenta ſufficiendo, tum adverſus cuniculos aliis contrà effoſſionibus Chriſtianorum laborem fruſtrando. Huc accedebat, quòd eruptionibus etiam crebris, & interdiu, & noctu machinis intendebant, opera turbabant, aut diſjiciebant; quo factum eſt, ut nihil aut vis, aut induſtria Nortmannos videretur adjuvare, niſi ad artem res converterent.

Chriſtiani prodere urbé ſtatuunt. Erant in arce, quam palatium hodie appellant, Chriſtiani milites, qui cum fidelem operam per multa tempora Saracenis præſtitiſſent, tandem religionis amore, ut a cervicibus ſervitutis jugum excuterent, de prodenda Nortmannis urbe conſilium ineunt, traductiſque in ſuam ſententiam commilitonibus, principes ipſi clam in caſtris Nortmannorum profecti cum Roberto Guiſcardo paciſcuntur, ut quàm primùm ad ſignum conſtitutum, portæ, & mœnibus arci proximis milites Nortmanni duces admoviſſent, ipſi portas aperirent. His ordinatis, ad arcem reverſi, carcerum interfectis cuſtodibus, *Panormi arcē occupant.* captivos Chriſtianos, qui plurimi erant, educunt, iiſque arma ex publico capere juſſis, opportuna ſimul arcis loca occupant, apertoque clamore ad libertatem ſua profeſſione dignam provocant. Quos cum Saraceni, qui in arce præerant, magna vi arcere fruſtra adniterentur, tandem conterriti incolumes abire permittunt, atque Chriſtiani milites, recepta arce, ſeſe in ſua jura vendicant, & Nortmannis ex alto ſignum (ut conventum fuerat) exhibent.

Nortmanni urbem eà portâ ingreſſi, loca multa, ac vicos exteriores excurrunt. Quibus cum Saraceni, qui contra Rogerium ſe tue- *Nortmāni urbe potiuntur.* bantur, relicta ea parte, turmatim armati occurriſſent, atque Nortmannos unà cum Roberto fortiter propellerent, Rogerius audiens anguſtam quamdam portam, quæ hucuſque ab eo facto porta Victoriæ

riæ appellatur, confuſa ſtatione, negligentiùs cuſtodiri, eò totis viribus contendit, qua occupata, in urbem irruit, ſuoſque eo aditu intra mœnia deduxit. Unde equites extemplo, peditesque ingreſſi, in viarum anguſtiis Saracenos omnes quotquot obvios habebant, miſerè trucidantes, Roberto laboranti opportunum auxilium præbuere. Ubi cum diu magnis animis, multiſque cladibus, ac variis fluctuationibus dimicatum eſſet, prælium nox ſuperveniens diremit. Ea nocte vigiliæ utrinque in armis actæ, Nortmannis in ea urbis parte, vicíſque, quos ceperant, Saracenis verò in urbe veteri, quò ſe receperant.

Roberto Rogerius ſuccurrit.

Porro Saraceni cum captam urbis partem, & arcem, quæ præcipuè eis ad præſidium ante erat, ſine ulla auxiliorum ſpe conſpicerent, certamque direptionem, cædemque ante oculos præviderent, prima luce concione habita, deditionem facere ſtatuunt. Proinde miſſis ad Robertum, & Rogerium legatis, de concordia tractant, civitatem totam, & in ea Saracenos omnes, modò eos ſub Maomethi cultu vivere permitterent, tributum annuum ob id ſoluturos pollicentur. Nortmanni fratres, probatis conditionibus, Saracenis tanquam æqua pro ſe, nec indecora poſtulantibus, cuncta quæ ad ſalutem eorum omnium pertinerent, promiſerunt. Nec promiſſis fides defuit; concepti fœderis mox factæ ſunt tabulæ, per quas cunctis Saracenis, qui aut in fidem Chriſtianorum coire, aut in ſua lege perſeverare vellent, libertas etiam per precones, & interpretes evulgata, conceſſa eſt; atque ita plaudente paſſim populo, Chriſtumque vivere conclamante, urbem Panormum Robertus, & Rogerius triumphantes anno ſalutis 1071. menſe Julio ingrediuntur.

Urbs tandem ſe dedit.

Recepta urbe, non modò diripiendas militibus civium divitias non permiſere, ſed & libera, ac inviolatata Saracenorum corpora, ſub Imperio ſuo tantummodo, intra urbem eſſe juſſerunt. In rei monumentum, ac victoriæ ſignum templum maximum Deiparæ Virgini, cui id jam olim extructum, licèt a Saracenis poſtea profanatum fuerat, ſolemni purgatione præmiſſa, reſtituunt. Mox Archiepiſcopum Panormitanum Græcum genere, cui Nicodemo erat nomen, qui ſolo titulo egenus in ædiculam S. Cyriacæ, quæ Sancta Dominica latinè dicitur hodie, non longè a Monte regali urbe ſeceſſerat, in ſua ſede reponunt. Fuit res ſpectaculo digna, & contemplatione ſortis humanæ, ac rerum varietate miranda. Igitur in priſtinum Chriſtianitatis ſtatum cum ſumma celebritate omnia rediere. Templa, fana, ac ædes Chriſto, & Divis excitata, ſupplicationes Deo decretæ, publicè, privatimque gratulationes cum effuſa lætitia factæ. Quibus meritis quantum Roberto, & Rogerio Panormus, & Sicilia ipſa tota debeat, nec literis explicari, nec ulla oratione exprimi poteſt. His ritè patratis, urbem Robertus, & Rogerius firmis mœnibus, ac præſidiis, duplici arce, altera ad mare, a quo adhuc cognomen habet, altera ad occidentem, ædeque ſacra muſivo, ac vermiculato opere ab Hieruſalem cognominata erectis, mirificè exornarunt, Robertus autem urbis pulchritudine allectus eam ſibi ſedem habitandam, regendamque a fratre depopoſcit, reliquam verò Siciliam omnem Rogerio liberaliter conceſſit, cujus & Comes effectus eſt.

Templa expurgantur.

Urbs tota munitur.

Dum hæc Panormi geruntur, Serlo, qui ad arcendos Saracenorum in mediterraneis incurſus in Ceramo oppido morabatur, Saracenis, qui Ennæ præerant, ob eximiam ejus in re militari peritiam,

ſatis

Serlo insidiis excipitur. ſatis erat inviſus. Idcirco Saracenus quidam Brachinus nomine, vaſræ indolis, ac dubiæ fidei vir, diſſimulato cum Serlone fœdere, inſidias illi, vitæque diſcrimen paravit. Extra urbem namque, quò ille venatum exire ſolebat, plurimos Saracenos clam ſuæ factionis inſidiatores collocavit, ac ſubinde Serloni literas per fraudem dat, ne eo itinere incedat, ubi ſeptem numero Saraceni mortem illi moliebantur. Serlo his auditis, ratus amicè ſibi Saracênum epiſtolam miſiſſe, paucis hoſtibus contemptis, ex induſtria ad venandum egreditur. Ubi dum contra ſeptem Saracenos non procul conſpectos ſe parat, ex inſidiis equites ſeptincenti cum duobus peditum millibus duce Brachino erumpentes, a tergo in Serlonem deceptum irruunt, qui dum fugam meditatur, cum paucis ſociis inter conſertiſſimos hoſtes a telis impetitus, oceiſo equo, ad terram inter Nicoſiam, & *In rupē evadit, & occiditur,* Argyram dilapſus cecidit. Inde ad rupem magnæ aſperitatis vicinam, quæ in medio ferme eſt itineris, per petræ cautes rependo in cacumen cum ſuis evaſit. Unde cum obvolutis ſaxis, glebis, ſtipitibuſque nunc hos, nunc illos Saracenos ab aſcedendo diu deterruiſſet, perditis deſperatione ſociis, cum nullam evadendi ſpem videret, in ultionem mortis fortiter pugnando, tandem telis confoſſus occubuit. Saraceni ejus ac occiſorum omnium capita cervicibus abſciſſa in lanceis per agros primùm, deinde per Ennæ urbis vias in victoriæ ſignum, & noſtrorum ludibrium traduxerunt. Caſus rupi Serlonis nomen, quod adhuc retinet, dedit.

Robertus & Rogerius ubi Serlonis mortem primùm cognoverunt, mitigato poſt aliquod tempus dolore, ad eam ulciſcendam ſe parant. *Robertus in Apuliā redit.* Sed Robertus multis in Apulia, & Calabria rebus arduis evocatus relicto in Sicilia Rogerio, ipſe ſeceſſit. Rogerius, dum Robertus Calabriam petit, arces duas erexit, ad cavam Paternionis unam, ex qua Catanam urbem, quæ poſt mortem Bettumeni ad Saracenos defecerat, obſideret, alteram in Mazara urbe, cujus commoditate adjacentem regionem infeſtaret. Interea Robertus Calabriam veniens contra Giſulſum ejus ſororium Sycalgaitæ uxoris germanum fratrem, & Salerni Principem movet, ac tandem cum Richardo adverſæ urbis Principe, & cum Amalphitanis, Salernum dura adeo & terrâ, & mari obſidione cingit, ut commeatu omni deficiente, feles & ſorices edere obſeſſos coegerit. Abegelardus & Hermanus Roberti & Roge- *Salern. obſidet & expugnat.* rii ex fratre Umfredo nepotes, qui ob Apuliam a Guiſcardo ſibi ereptam (ut præmeminimus) in auxilium Giſulphi venerant, Salernum ingrediuntur, ac ſtrenuè primùm, fortiterque urbem adverſus Robertum tuentur. Sed Robertus neutiquam Salerno diſcedens, duriùs premebat; demum ſeptimo obſidionis menſe in deditionem Salernum accepit, urbem munivit, & Eccleſiam S. Matthæi ædificavit. Tandem Abegelardus, & Hermanus germanus ejus frater Conſtantinopolim ad Imperatorem, Roberto relictâ totâ Apuliâ, & Calabriâ, contendunt, ubi paulò poſt dies ſuos clauſerunt.

Ita igitur Robertus Guiſcardus multis in locis rem ſuam auxit; *Ennā cum fratre obſidet.* deinde in Siciliam reverſus arcem, quam in monte Calaxibetto ad Ennam obſidendam cum Rogerio erexerat, omni commeatu, ac militum præſidio, ut Serlonis mortem contra Brachinum, cunctoſque Ennenſes ulciſceretur, munivit. Interea dum ea obſidetur, Saraceni e Tuneto magna claſſe inſtructa ſolventes, littoralibus Siciliæ locis infeſtatis, Calabriam invaſere. Ubi 28. die Junii Nicotrum urbem noctu

noctu ex improviſo invaſam capiunt, ac ingenti virorum, mulierum, & omnium rerum abductâ prædâ, incendunt, & Tunetum, unde venerunt, redeunt. Ea deinde direptione elati anno ſal. 1075. rurſus e Tuneto moventes in Siciliam veniunt, ac Mazaram urbem aggreſſi parvo negotio eam capiunt, arcem tamen, quam anno tertio Rogerius erexerat, ipſique octo tum diebus oppugnaverant, inexpugnata. Qui arci præerant, per nuntium Rogerium Ennæ obſidioni intentum ſignificatis Mazaræ rebus ad ſubſidium evocant. Is nuntio accepto, confeſtim militibus inſtructus Mazaram advolat, arcemque noctu per poſticum ingreditur. Illuceſcente verò, cùm ſuis clam arce egreſſus in Saracenos tota urbe, ſine ulla repentini caſus ſuſpicione, irruit, cædit, capit, paucis fuſis, & ad claſſem fugatis, atque ita Mazaram urbem ſtrenuè recipit, Saraceniſque fœdè Tunetum, unde venerant, infœliciter fugatis, munit. *Sarác. Nicet. trû obſident. Mox Mazará, ubi a Rogerio fundantur.*

Poſt hæc Rogerius, relicto in Sicilia Hugone Gozecta (10) ſuo genero Præſide, viro militiâ præclariſſimo, genere Nortmanno, Calabriam petit. Huic, qui Catanæ agebat, in mandatis dedit, ne ea urbe contra Saracenos egrederetur, veritus ne, quod tandem evenit, accideret. Ille enim, vix Rogerio diſcedente, Jordanum ejus filium, quem Troynæ pater Præfectum reliquerat, ad ſe Catanam ad ſtrenuum quoddam facinus peragendum pellexit. Quò cum ille iviſſet, Benameth quidam, qui eo tempore Saracenorum reliquiis in Sicilia præerat, Syracuſis ubi habitabat, coacta magna ſuorum manu, Catanam quoque contendit, ubi cùm non procul ab urbe inſidias paraſſet, ut incautos opprimeret, ſubinde equites ferme triginta ad Catanenſes irritandos uſque ad urbis mœnia emiſit. Quo viſo, Hugo & Jordanus cum militibus egreſſi Saracenis occurrunt, cum hoſtes pro ſtratagemmatis conſilio terga vertereńt, atque illi ad locum uſque inſidiarum fugam ſimulatam inſequerentur, Benameth cum reliqua ſuorum multitudine, ac Saracenis cæteris ex latebris erumpentes in nihil tale opinantes exiliunt, fitque cruenta pugna, in qua Hugo ipſe cum plurimis occubuit, cæteris ad arcem Paternionis fugatis, ac Jordano ſolo Catanam incolumi reverſo; unde Benameth victor ſpoliis onuſtus Syracuſas retro ſe retulit. *Hugo Gozet. inſidiis interceptus. Jordanus ex illis liber evadit.*

Hujus cladis Rogerius famâ acceptâ, rebus Calabriæ quàm celerrimè expeditis, in Siciliam redit, juſtoque exercitu comparato, contra Benameth movet, atque inter eundum Zoticam Saracenorum oppidum, quod Judica hodie dicitur, quà tranſitus ei patebat, magna vi impetitum brevi expugnat, Saraceniſque omnibus, præter mulieres, quas Calabriam venum miſit, cæſis, funditùs anno ſalutis 1076. delet. Inde Hugonis mortem adhuc ulturus, Netum uſque agros omnes ferro, & igni depopulatur. Segetes etiam, quæ tum maturæ erant, abſumebat. Interea Jordanus filius cum ſelecta militum manu Drepanum navigavit, ubi cum paucis in locum inſidiis idoneum ingreſſus, Saracenos Drepano exituros præſtolabatur. Prima luce Saraceni oppido tumultuariè ad paſcua cum armentis ibant. Quo Saraceni qui in urbe erant, cognito, exercitu coacto palantem inſequuntur. Sed ille intrepidè retroverſus Saracenos aggreditur. Ingens igitur prælium conſeritur, quo cum utrinque initio acerrimè pugnatum eſſet, Saracenos paulò poſt inferiores uſque ad urbis portam multa eorum ſtrage edita, compulit. Inde prædâ receptâ, navique impoſitâ, properato curſu urbem obſidet, oppugnat, tandemque ad deditionem cogit. *Zoticam Rogerius expugnat. Jordanus Drepano potitur.*

Digitized by Google

Capto Drepano, Rogerius ſupervenit, urbem ingeditur; atque arce, & propugnaculis collapſam munit. Poſt hæc per eam provinciam duodecim Saracenorum oppidula capit, ſubigit, prædam militibus diſtribuit, ac demum Biccarum oppidum ſeceſſit. Ubi paucis diebus commoratus, ad Caſtrum novum Saracenorum oppidum a molitore quodam adjutus, atque ab iis qui in tutela oppidum tenebant, invitatus venit, illudque oppugnat. Quo intellecto Bettunes oppidi dominus collecta ſupellectile, veritus, ne in manus Nortmannorum veniret, noctu dimiſſa ſede fugam arripuit. Saraceni quoque domino deſtituti deditionem fecerunt. Atque ita Rogerius Caſtro novo potitus, arcem præſidio munivit. Per idem ferme tempus cum Rogerius ad maris littus non longè a Catana duas erexiſſet arces, (11) quæ parvo a ſe invicem diſſidebant ſpatio, unde ex una ad alteram via muro, macerieque clauſa Rogerius, cum neceſſitas poſtulabat, incedere conſueverat, tum fortè ex more ambularet, Saraceni, qui Scalluni appellabantur, re comperta, in myrteto, quod inter arces frequens erat, inſidias ei paraverunt, e quibus egreſſi repentino impetu incautum confeciſſent, niſi Eniſcordus eques genere Brito occurrens ſua morte Principem liberaſſet. At Rogerius aſſumpta militum manu, inſidiatores ab Ætna monte Troynam uſque inſecutus, omnes prope interficit. Atque inde Acim oppidum anno ſalutis 1079. adortus, dedentibus ſe Saracenis, facilè in poteſtatem ſuam redegit.

Roger. Caſtrum novum capit.

Vit periculum ſubit, & evadit.

Cæterùm cum Robertus Guiſcardus anno ſalutis 1081. menſe Majo in Michaelis Conſtantinopolitani gratiam, qui ad eum venerat, in Græciam navigaſſet, Rogerius ab eo Apuliæ, & Calabriæ Præfecturam ſuſcepit. Is e Sicilia diſceſſurus Catanæ urbi Bettumenum Saracenum Præfectum reliquit. Qui cum a Benaviro Saraceno Syracuſarum, & Neti Principe muneribus corruptus commiſſam ſuæ fidei urbem per proditionem tradidiſſet, Jordanus, cui abſente Patre Siciliæ onus impendebat, aſſumptis ſecum Roberto Svedivallo, & Helia Clotonenſi Saracenis in Chriſti fide juratis ad proditam civitatem repetendam profectus, Benavirum, ac Bettumenum cum magno equitum, peditumque exercitu obvios poſt cruentum bellum, ingentemque Saracenorum ſtragem ſuperior factus intra urbis mœnia fugavit. Qui diu obſeſſi, veriti ne in manus Chriſtianorum redacti proditionis pœnas darent, relictâ Jordano Catanâ, per poſteriores urbis latebras egreſſi Syracuſas profecti ſunt. Ubi Bettumenus (12) impietatis ſupplicium a Benaviro ipſo occiſus luit. Rogerius poſt hæc in Siciliam reverſus (13) Meſſanam venit, quam novis mœnibus, & propugnaculis ad maris præſertim littus a fundamentis erectis ornavit. Arcem præterea ad verticem curvi littoris excitavit, ædemque ſacram Servatori dicatam cum cœnobio ordinis S. Baſilii illi adjuncto erexit, quod & Rogerius Rex poſtmodum ditavit. Subinde templum Divo Nicolao in urbe condidit, cleroque ornatum, Eccleſiæ Troynenſi ſubjecit, licèt paulò poſt tranſlata illuc Sede Epiſcopali, Robertum Epiſcopum illi dicaverit.

Catana Saracenis proditur.

A Jordano recuperata.

Meſſanæ mœnia & templa.

Dum hæc in Sicilia a Rogerio geruntur, Robertus Guiſcardus, cum ad eum Tarenti agentem Michael Dioclizius Conſtantinopolitanus Imperator, a Nicephoro Buccamaro ab Imperio dejectus, ruſticum mentitus ſupplex veniſſet, ut ſibi ad Imperium repetendum eſſet auxilio, mandato Gregorii ſeptimi Romani Pontificis, ad quem quoque ille ad Ceperanum, ut Imperio reſtitueretur, acceſſerat, fir-

matis

matis legibus, & rebus Italiæ Rogerio fratri Siciliæ Comiti commendatis; cum Boemundo filio natu majore viro militiâ ſtrenuo, atque Michaele ipſo magna claſſe inſtructus ex Hidrunto menſe Maio contra Dyrachium urbem bello perneceſſariam trajicit, & terrâ & mari obſidet. Nicephorus, cognita Dyrachii obſidione, cum Venetis fœdus init, atque claſſe contra Guiſcardum educta, magno illato acceptoque incommodo, Robertum fugat, Boemundo filio terreſtrem oppugnationem non omittente. Guiſcardus adverſa hac pugna animo minimè fractus, in Italiam ad reparandam claſſem rediit. *Robertus in Græciâ trajicit.*

Nicephorus, partâ victoriâ, Alexium cognomento Megam militum Magiſtrum, Adrianopolim ad juſtum exercitum contra Boemundum cogendum mittit. Alexius Imperii potiundi, ea motuum occaſione, animo erigitur, exercitum ingentem comparat, milites profuſiſſimis ſtipendiis, ac militiæ etiam ſacramento ſibi adſtringit, veteranas præterea copias, quæ Nicephoro militare ſolebant, ſtipendiis fraudat, idque in Imperatoris avaritiam, & mandatum rejicit, ut milites ob id in furorem acti, in Nicephorum inſurgerent. Poſt hæc ut eos ad ſui amorem pertraheret, equis, veſtibus, & ſupellectili argentea, & aurea, quam ſuam ipſius eſſe illis conſtabat, donatos conſolabatur. Quibus artibus tandem effecit, ut veterani primùm, ac deinde cæteri milites ſubſecuti, in avari, crudeliſque Nicephori perniciem conjurarent, atque ipſum Alexium, non ultra Magiſtrum militum, ſed Imperatorem editis vocibus appellarent, explicatiſque ſignis, ac facto agmine, urbem Conſtantinopolim contenderent. *Alexius Dux cõtra Niceph. rebellat.* *Imperator appellatur.*

Nicephorus nuntio inexpectatæ ſeditionis recepto, arma raptim capit, portas urbis ſimul & mœnia fido præſidio munit. Sed Arxion Alemanus Prætorianæ cohortis magiſter largitionibus ab Alexio corruptus, urbis portam, quam Burgarorum vocabant, noctu hoſtibus aperuit, atque Alexium cum exercitu in die Dominicæ Cœnæ in urbem victorem introduxit. Capta urbe, & hoſtilem in modum per triduum direpta, Nicephorus ab Alexio captus id ſolùm obtinuit, ut monaſticam vitam profeſſus, ſalute donaretur. Alexius urbe potitus in die Paſchatis imperiali diademate coronatur, & ut proditionis ſcelus apud cives obtegeret, Michaelo&tum Michaelis Diolizii filium plebi acceptiſſimum conſortem imperii ſibi aſcivit, atque exercitus ad Dyrachium ſervandum ductorem conſtituit. *Byzantiũ occupat.*

Dum hæc apud Conſtantinopolim geruntur, Robertus Guiſcardus, dimiſſo in Italia Michaele Dioclizio, cum reparata claſſe, Dyrachium reverſus maritimam obſidionem, Boemundus filius terreſtrem durè continuabant. Quo audito, Alexius ſtatim cum Michaelocto contrà progreditur, commiſſoque prælio, Guiſcardus, interfecto cum pluribus Michaelocto, & cum cæteris fugato Alexio, præclaram victoriam cum Boemundo filio adeptus eſt. Fuiſſe in Alexii exercitu milites ſupra ſeptuaginta millia, pauciores verò cum Roberto, & Boemundo, ſcriptores memoriæ prodiderunt, & idcirco victoria inſignior. Dyrachini videntes penes Nortmannos victoriam ſtetiſſe, deditionem ſtatim & ipſi fecerunt. Capto Dyrachio, Robertus & Boemundus fœlici victoriæ curſu tota pene Dalmatia nullo labore ſibi potiuntur. *A Roberto victus fugatur.*

Interea dum hæc apud Dalmatas geruntur, Henricus Alemaniæ Imperator Gregorio ſeptimo Romano Pontifici infenſiſſimus, cum Guiberto ſuo, quem Antipapam elegerat, Romam venit, Leoninam

Henricus Cęſar Romá invadit. urbem, Gregorio ſe in Molem Hadriani recipiente, cœpit, a quo apud D. Petri Ædem reſidens, omnia ejus ædificia demolitus eſt. Quo evenit, ut hinc Henrico, inde fame ſæviente, Romani maximis calamitatibus affecti urbem ferme omnem deſeruerint. Gregorius tanta clade oppreſſus Guiſcardum ex Dalmatis accerſit. Robertus Pontificis nuntio accepto, rebus Dalmatiæ Boemundo filio Præfecto, ad Henricum Roma pellendum, & Gregorium in ſua ſede reſtituendum proficiſcitur. Cujus adventu territus Henricus, tumultuariè in die Paſchatis a Guiberto Antipapa corona Imperiali, quam ſibi Gregorius toties denegaverat, donatus, ſtatim Guiberto ſecum abducto, Romaniſque Gregorii hoſtibus urbe commendata, Senas longis itineribus *Robertus contra Henricū.* profugit, ita ut eadem die, & hora Senas ipſe, & Robertus urbis Romæ portas attigerit, & fruſtra obſiſtentibus ſibi Romanis, in urbem per portam Flaminiam irrumpens ingreditur, atque obvia quęque ad Triumphalem uſque Domitiani arcum incendit. Romani, qui Pontifici aduerſabantur, exterriti in Capitolium ſe recipiunt, muniunt, & ſtrenuè ſe defendunt. Guiſcardus Lateranum ſibi occupat, ut haberet unde Romanos obſidere poſſet. Hinc crebrò cruentiſſima utrinque commiſſa ſunt prælia, quibus ea pars urbis ab exercitu Guiſcardi ignibus eſt abſumpta, quæ Lateranum, & Capirolium interjacet. Subinde Guiſcardus Capitolium magna vi expugnat, capit, & ſimul cum urbe tota miſerè diripit.

Pontificem liberat. Urbe direpta, & Fortunis civium militibus in prædam conceſſis, ad Molem Hadriani, ubi Pontifex a Romanis dura obſidione præmebatur, profectus, Pontificem carcere liberat, ſecumque, cum Romæ tutus non eſſet, Salernum, quod ſui juris erat, perducit. Robertus ſuperatis Romanis, fugatoque Henrico, ac liberato Gregorio Pontifice, Dalmatiam reverſus eſt, ubi rurſus bello navali contra Alexium pugnat, ſuperat, & fugat. Robertus, pacta hac victoria, & Græciæ Principatu ſibi adſcripto, ad Caſſiopeum inſulæ Corcyræ Promontorium navigat, ut Conſtantinopolim inde contra Alexium contenderet. Ubi dum ageret, anno ætatis ſuæ 62. ſalutis verò 1083. *In Gręcia moritur.* menſe Julio, morbo corripitur, Boemundo filio majori Principatu Græciæ relicto, & Rogerio minori Apuliæ, ac urbis Panormitanæ unà cum Sycalgaita matre Duce conſtituto, ſui deſiderio, interiit, Princeps, qui præter id, quod opes gentis ſuæ in Sicilia, Italia, & Græcia mirè auxit, duos Cæſares, Henricum Germanum, terreſtri prælio, & Alexium Græcum maritimo devicit.

Interea dum hæc in Græcia a Guiſcardis geruntur, & Rogerius Siciliæ Comes Roberti nomine in Apulia præfectura uteretur, in Sicilia Jordanus Rogerii Comitis filius Aulicorum aſſentationibus inductus rebellionem in patrem parat. Regnum invadit, & Miſtretta, & *Jordanus cōtra Rogerium Patrem.* Sancto Marco oppidis captis, Troynam, ubi gaza patris erat, adortus, ab oppidanis ſtrenuè obſiſtentibus fœdè fugatus eſt. Quibus cognitis, Rogerius confeſtim ex Apulia, ubi adhuc erat, Siciliam revertitur, ubi diſſimulato in filium, ne ad Saracenos deficeret, aliquamdiu odio, paterno affectu ipſum ad ſe conciliat. Subinde ſedata ſeditione, duodecim viros, qui ei deſcitionem perſuaſerant, oculis privat, ipſumque ad locum ſupplicii adductum primorum tandem precibus in gratiam recipit. Sub hæc, cum Coſentium urbs Calabrię a Rogerio Duce deſciviſſet, Comes, Coſentinis debellatis, urbem illi ad deditionem coegit, in cujus beneficii gratiam Panormi dimidium Comes a nepote recepit.

Benavir Nicotrũ, & Rhegiũ diripit.

Dum hæc Comes gerit, Benavir Saracenus ingenti claſſe Nicotrum Calabriæ oppidum ſtatim capit, ſpoliatumque funditùs delet. Subinde Rhegium navigat, ubi egreſſi claſſe Saraceni omnem littoralem oram populantes, Ædes Divis Nicolao, & Gregorio ſacras diruerunt, & Squillacium iter facientes, Divæ Mariæ templum non longè ab oppido ſitum, ſolo æquarunt, ac virgines moniales omnes conſtupratas in captivitatem Syracuſas ſecum adduxerunt. Rogerius his cognitis, claſſem & ipſe parat, terreſtrique exercitui Jordanum præficit, Philippumque Georgii patritii filium Græcæ, & Saracenicæ linguæ peritum cum ſpeculatoria navi ad portum Syracuſarum explorandum mittit. Quo explorato, a portu Meſſanenſi ipſe ſolvit, Tauromenium navigat, atque inde Logninam, & Jeſebalep portum, qui Auguſtæ eſt hodie, (14) ubi Jordanus filius patris adventum præſtolabatur. Ibi paratis ad bellum neceſſariis, Jordanus terreſtri, Comes verò maritimo curſu eâdem horâ contra Syracuſas movent.

Roger. cõtra Syracuſ. movet.

Claſſis ut portum attigit, continuò Benavirum cum ſua claſſe obviam habuit, qui triremem Rogerii ſtatim adoritur. Sed inter preliandum Lupini Nortmanni equitis ſagittâ trajectus, Rogeriique etiam magno impetu conſternatus, inter duas triremes, cum in natatu ſolo ſalutem ſperaret, dilapſus in mare ſubmerſus interiit. Morte Benaviri cognita, Saracenorum claſſis fugam arripit, quam magna celeritate Rogerius aſſecutus diſſipat, ingentique ſtrage miſeram afficit. Mox Jordano ſignum dat, ut a terra urbem aggrediatur. Sed utramque hanc obſidionem, oppugnationemque Saraceni ſtrenuè propugnando a menſe Majo ad Octobrem uſque fortiter ſuſtinuere. Cumque a laboribus feſſi, & annonæ etiam inopia premerentur, Benaviri uxor cum filio, & primoribus aliquot noctu Syracuſis egreſſi, Netum profugere. Reliqui, multis Chriſtianis, quos captivos habebant, per libertatem donatam ſibi conciliatis, deditionem fecerunt. Captis Syracuſis, Rogerius contra Tamictum Saracenum virum Principem, qui Agrigento, & Ennæ urbibus imperitabat, vim belli experiri deliberat. Anno igitur ſalutis 1086. Kalendis Aprilis magno cum exercitu Agrigentum obſidet, tandemque ſexto Kalendas Auguſti per deditionem & urbem, & uxorem Tamicti, ejuſque filios accepit.

Benavir ſubmerſus obit.

Syracuſæ Roger. dedũtur.

Potitus Agrigento, & arce, & urbe præſidiis munit, uxorem verò Tamicti pudicè tractavit, ut ea benignitate maritum ad ſe pelliceret. Subinde maximo, fœliciſſimoque victoriæ curſu Platani, Miſſar, Suter, Rayhalbifar, Moclufe, Rayhalmut, Nar, Caltanixet, Licata, Reminiſce Saracenorum oppidulis, arcibuſque expugnatis, Ennam urbem, quò Tamictus ſe receperat, totis viribus dura oppugnatione cinxit. Tamictus obſidionem ſufferre nequiens cum domeſticis fugâ ſalutem ſibi quærit. Sed a Nortmannis cognitus capitur. Ennenſes cognitâ Tamicti capturâ, deditionem & ipſi fecerunt. Rogerius, Ennâ captâ, & arce militibus munita, Tamictum ſacris Chriſtianis initiavit, ac Melitum Calabriæ cum ſua familia incolendum ei dedit, ubi uſque ad obitum probatæ ſemper fidei vixit. His fœliciter geſtis, omni jam Sicilia (præter Netum, & Buteram) potitus, ſacris aliquandiu templis, Epiſcopatibus, atque Abbatiis in pleriſque civitatibus Deo dicandis operam dedit. Agrigenti quidem cathedrale templum ditiſſimè locupletatum fundavit, erexitque. Cui Gerlandum Allobrogenſem genere, virum pium primum Epiſcopum præfecit;

Agrigẽt. & alia oppida expugnata.

Enna deditionem facit.

Epiſcopatus fundati. Catanæ Angerium, Syracuſis Stephanum, (15) Meſſanæ Robertum ex Troyna tranſlatum, Mazaræ Stephanum Rhotomagenſem, atque alios alibi pro conditione locorum, aut virorum, Abbates, Epiſcopoſque conſtituit.

Anno deinde ſalutis 1089. ad Buteræ expugnationem ſe compoſuit. Ubi dum occupatur, Urbanus Romanus Pontifex hujus nominis ſecundus famâ tot Rogerii geſtorum excitus, Siciliam trajectus, Troynam ad eum viſendum venit. Cujus adventu percepto, Rogerius ſoluta confeſtim obſidione, ei obviam occurrit, eumque adorat, *Urbanus II. in Sicilia.* cui cum plura inter ſe de Græcorum cum Latinis unione, & præſertim de Alexio Imperatore, qui ex profeſſo Latini nominis hoſtem agebat, ad fœdus attrahendo tractaſſent, diſcedenti plurima obtulit munera, ac poſtmodum Buteram reverſus, brevi Buterenſes ad deditionem coegit. Quos omnes Rogerius, ne aliquid impoſterum novi molirentur, in Calabriam relegavit. Sub idem ferme tempus Eremburga priori Rogerii uxore defuncta, ex qua Gotfredum, & Jordanum (16) filios ſuſceperat, Adelaſiam Bonifacii Marchionis filiam *Roger. Adelaſiá uxoré ducit.* uxorem duxit, quæ Simonem, & Rogerium, qui poſtea Rex fuit, liberos ſibi peperit. Anno deinde 1090. cum Rogerius Mylatii ageret, Netini viribus impares, cum æquare amplius reſiſtendo Nortmannorum magnitudinem nequirent, per legatos ſeſe ipſos in Rogerii fidem dediderunt. Sed Rogerius Netum Jordano filio tradidit, qui ſtatim patris juſſu, ad verticem urbis arcem erexit, quæ adhuc munitiſſima ſupereſt.

Rogerius totius jam Siciliæ Monarcha, ulterioris imperii ſtudio ad Melitam inſulam, quæ Saracenis adhuc parebat, diripiendam ſe *Melitam ſibi vindicat.* parat. Proinde ingenti in portu Riſcalambro ædificata claſſe, eaque militibus, & omni commeatu probé referta, ſub Jordano adminiſtratione Siciliæ, imperioque relicto, Melitam navigat, milites in terram ad portum, paucis obſiſtentibus, quos continuò fugavit, exponit, ac poſtridie urbem ipſam, quæ in medio ſita eſt, adeptus, totam inſulam a Gayto Saraceno Principe, reſtitutis ante Chriſtianis, quos ille captivos habebat, libertate & rerum, & religionis impetrata, in fidem quoque accepit. Captâ Melitâ, & arce munita, Gozum inſulam cum eadem claſſe adortus, vaſtatis priùs agris, oppidum etiam per deditionem eiſdem conditionibus in poteſtatem redegit, atque ita *Gotfredus, & Jordan. moriuntur.* victor in Siciliam reverſus eſt. Interea Gotfredo Rogerii Comitis maximo filio jam præmortuo, Jordanus, qui Syracuſis adminiſtrabat, morbo & ipſe correptus anno ſalutis 1093. mortem obivit, ac in æde D. Nicolai tumulatus eſt. Quò Rogerius pater profectus filio juſta perſolvit.

Erat non longè a Syracuſis oppidum Pentargen appellatum, quod Jordano ſuberat, cujus incolæ audita Principis morte, libertate conclamata, a Comite deſciſcunt. Rogerius nihil cunctatus Pentargiam *Pentargia diripitur.* cum exercitu confeſtim profectus, oppidum obſidet, ac magna vi impetitum tandem expugnat, deſcitioniſque authoribus furcâ ſuſpenſis, reliquiſque civibus per diverſa tormenta afflictis, totum delet. Cujus adhuc ſuper littus ſparſis ruinis, turris recens Targiæ cognomine, veſtigium retinet. Poſt hæc Comes anno ſal. 1095. Conradum Henrici Germani Cæſaris filium, & Alemannum Ungariæ Regem ſibi Generos aſcivit. (17) Eodem fermé tempore cum a Jordano ſororis filio Capuæ, Neapolis, & Averſæ Principe Capua rebellaſſet, ipſe ma-

magno cum exercitu contra Capuam venit, eamque obſedit. (18) Verùm non diu poſt Capuani dura nimis obſidione preſſi, ipſius Rogerii Comitis conſilio, ſe Jordano dediderunt. Receptâ Capuâ, Comes Salernum ſe contulit. Quò cum & Urbanus Rom. Pont. congratulatum veniſſet, & Robertum Epiſcopum Troynenſem Legatum in Sicilia, inconſulto Rogerio, inſtituiſſet, Comite id ægrè ferente, eumdem abrogavit, Rogeriumque, ac Simonem filium, ſive alterum ejus hæredem Legatos in Sicilia hoc privilegio inſtituit, quo Siculi Reges Monarchica poteſtate hucuſque utuntur, cujus verba ſunt hęc: *Roger. Capuâ obſidet, & capit.*

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, chariſſimo filio Rogerio Comiti Calabriæ, & Siciliæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quia propter prudentiam tuam, ſupernæ majeſtatis dignatio te multis triumphis, & honoribus exaltavit, & probitas tua in Saracenorum finibus Eccleſiam Dei plurimùm dilatavit, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ devotam ſe multimodis ſemper exhibuit; Nos in ſpecialem, atque chariſſimum filium ejuſdem univerſalis matris Eccleſiæ te aſſumpſimus. Idcirco de tuæ probitatis ſinceritate plurimùm confidentes, ſicut verbis promiſimus, ita literarum authoritate firmamus, quod omni vitæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ præter voluntatem, aut conſilium veſtrum, Legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus. Quinimo, quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam, Legati vice, cohiberi volumus, quando ad vos ex latere noſtro mitteremus ad ſalutem ſanctarum Eccleſiarum, quæ ſub veſtra poteſtate conſiſtunt, & ad honorem Beati Petri, ſanctæque ejus Sedis Apoſtolicæ, cui devotè hactenus obediſti, quamque in neceſſitatibus ſuis ſtrenuè, & fideliter adjuviſti Si verò celebrabitur Concilium, & ibi mandavero, quatenus Epiſcopos, & Abbates tuæ terræ mihi mittas, quot, & quos volueris mihi mittas, alios verò ad ſervitium Eccleſiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & a peccatis abſolutum, in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, tertio nonas Julii inditione ſeptimæ, Anno Pontificatus noſtri undecimo, (19) hucuſq. Urbanus. *Urbani II. Privilegium.* *Legati vices Roger. & ſuis.*

Poſt hæc Rogerius, re Chriſtiana maximis ſuis laboribus & ſacris bellis aucta, in quibus ante prælium, rei divinæ, placandiſque ſuperis incumbebat; In certamine cohortandis, excitandiſque & conſilio & exemplo militibus, in victoria, ſupplicationibus, gratiiſque Deo Optimo Maximo agendis. Poſt triumphos purificandis ſacrandiſque Ædibus, quas Saraceni omni nefario ſcelere profanaverant, ac Templis, Cœnobiis, & Eccleſiis Cathedralibus erigendis, ditandiſque, quibus hucuſque Sicilia paſſim decoratur, dum ſibi nulla in re ſancta pareit, maximo ſui deſiderio, ac Simone, & Rogerio liberis relictis, e vita exceſſit Meliti Calabriæ (20) Anno ſal. 1101. menſe Julio, ſeptuageſimo ætatis anno, & in Æde ſacra, quam ibidem Divæ Trinitati magnificè conſtruxerat, & liberaliter dotaverat, humatus eſt. Quem omnes Duces, Nortmanni, Franci, Lombardi, Apuli, Calabri, & Siculi non ſecus ac publicum parentem luxere, nullo non genere honoris funeri ejus adhibito, ut meritò ad reliquos titulos, Epitheton hoc ei acceſſerit: *Rogerius, Comes Calabriæ, & Siciliæ, Chriſtianorum Adjutor.* *Rogerii in Eccleſiâ merita.* *Ejuſdé mors, & funera.*

Epiſcopatus fundati. Catanæ Angerium; Syracuſis Stephanum, (15) Meſſanæ Robertum ex Troyna tranſlatum, Mazaræ Stephanum Rhotomagenſem, atque alios alibi pro conditione locorum, aut virorum, Abbates, Epiſcopoſque conſtituit.

Anno deinde ſalutis 1089. ad Buteræ expugnationem ſe compoſuit. Ubi dum occupatur, Urbanus Romanus Pontifex hujus nominis ſecundus famâ tot Rogerii geſtorum excitus, Siciliam trajectus, Troynam ad eum viſendum venit. Cujus adventu percepto, Rogerius ſoluta confeſtim obſidione, ei obviam occurrit, eumque adorat; *Urbanus II. in Sicilia.* cui cum plura inter ſe de Græcorum cum Latinis unione, & præſertim de Alexio Imperatore, qui ex profeſſo Latini nominis hoſtem agebat, ad fœdus attrahendo tractaſſent, diſcedenti plurima obtulit munera, ac poſtmodum Buteram reverſus, brevi Buterenſes ad deditionem coegit. Quos omnes Rogerius, ne aliquid impoſterum novi molirentur, in Calabriam relegavit. Sub idem ferme tempus Eremburga priori Rogerii uxore defuncta, ex qua Gotfredum, & Jordanum (16) filios ſuſceperat, *Roger. Adelaſiâ uxorê ducit.* Adelaſiam Bonifacii Marchionis filiam uxorem duxit, quæ Simonem, & Rogerium, qui poſtea Rex fuit, liberos ſibi peperit. Anno deinde 1090. cum Rogerius Mylatii ageret, Netini viribus impares, cum æquare amplius reſiſtendo Nortmannorum magnitudinem nequirent, per legatos ſeſe ipſos in Rogerii fidem dediderunt. Sed Rogerius Netum Jordano filio tradidit, qui ſtatim patris juſſu, ad verticem urbis arcem erexit, quæ adhuc munitiſſima ſupereſt.

Rogerius totius jam Siciliæ Monarcha, ulterioris imperii ſtudio ad Melitam inſulam, quæ Saracenis adhuc parebat, diripiendam ſe parat. *Melitam ſibi vindicat.* Proinde ingenti in portu Riſcalambro ædificata claſſe, eaque militibus, & omni commeatu probé referta, ſub Jordano adminiſtratione Siciliæ, imperioque relicto, Melitam navigat, milites in terram ad portum, paucis obſiſtentibus, quos continuò fugavit, exponit, ac poſtridie urbem ipſam, quæ in medio ſita eſt, adeptus, totam inſulam a Gayto Saraceno Principe, reſtitutis ante Chriſtianis, quos ille captivos habebat, libertate & rerum, & religionis impetrata, in fidem quoque accepit. Captâ Melitâ, & arce munita, Gozum inſulam cum eadem claſſe adortus, vaſtatis priùs agris, oppidum etiam per deditionem eiſdem conditionibus in poteſtatem redegit, atque ita victor in Siciliam reverſus eſt. *Gotfredus, & Jordan. moriuntur.* Interea Gotfredo Rogerii Comitis maximo filio jam præmortuo, Jordanus, qui Syracuſas adminiſtrabat, morbo & ipſe correptus anno ſalutis 1093. mortem obivit, ac in æde D. Nicolai tumulatus eſt. Quò Rogerius pater profectus filio juſta perſolvit.

Erat non longè a Syracuſis oppidum Pentargen appellatum, quod Jordano ſuberat, cujus incolæ audita Principis morte, libertate conclamata, a Comite deſciſcunt. Rogerius nihil cunctatus Pentargiam *Pentargia diripitur.* cum exercitu confeſtim profectus, oppidum obſidet, ac magna vi impetitum tandem expugnat, deſcitioniſque authoribus furcâ ſuſpenſis, reliquiſque civibus per diverſa tormenta afflictis, totum delet. Cujus adhuc ſuper littus ſparſis ruinis, turris recens Targiæ cognomine, veſtigium retinet. Poſt hæc Comes anno ſal. 1095. Conradum Henrici Germani Cæſaris filium, & Alemannum Ungariæ Regem ſibi Generos aſcivit. (17) Eodem fermé tempore cum a Jordano ſororis filio Capuæ, Neapolis, & Averſæ Principe Capua rebellaſſet, ipſe

ma-

Roger. Capuá obſidet, & capit.

magno cum exercitu contra Capuam venit, eamque obſedit. (18) Verùm non diu poſt Capuani dura nimis obſidione preſſi, ipſius Rogerii Comitis conſilio, ſe Jordano dediderunt. Receptâ Capuâ, Comes Salernum ſe contulit. Quò cum & Urbanus Rom. Pont. congratulatum veniſſet, & Robertum Epiſcopum Troynenſem Legatum in Sicilia, inconſulto Rogerio, inſtituiſſet, Comite id ægrè ferente, eumdem abrogavit, Rogeriumque, ac Simonem filium, ſive alterum ejus hæredem Legatos in Sicilia hoc privilegio inſtituit, quo Siculi Reges Monarchica poteſtate hucuſque utuntur, cujus verba ſunt hęc:

Urbani II. Privilegium.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, chariſſimo filio Rogerio Comiti Calabriæ, & Siciliæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quia propter prudentiam tuam, ſupernæ majeſtatis dignatio te multis triumphis, & honoribus exaltavit, & probitas tua in Saracenorum finibus Eccleſiam Dei plurimùm dilatavit, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ devotam ſe multimodis ſemper exhibuit; Nos in ſpecialem, atque chariſſimum filium ejuſdem univerſalis matris Eccleſiæ te aſſumpſimus. Idcirco de tuæ probitatis ſinceritate plurimùm confidentes, ſicut verbis promiſimus, ita literarum authoritate firmamus, quod omni vitæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ præter voluntatem, aut conſilium veſtrum, Legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus. Quinimo, quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam, Legati vice, cohiberi volumus, quando ad vos ex latere noſtro mitteremus ad ſalutem ſanctarum Eccleſiarum, quæ ſub veſtra poteſtate conſiſtunt, & ad honorem Beati Petri, ſanctæque ejus Sedis Apoſtolicæ, cui devotè hactenus obediſti, quamque in neceſſitatibus ſuis ſtrenuè, & fideliter adjuviſti Si verò celebrabitur Concilium, & ibi mandavero, quatenus Epiſcopos, & Abbates tuæ terræ mihi mittas, quot, & quos volueris mihi mittas, alios verò ad ſervitium Eccleſiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & a peccatis abſolutum, in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Joannis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, tertio nonas Julii indition. ſeptimæ, Anno Pontificatus noſtri undecimo, (19) hucuſq. Urbanus.

Legati vices Roger. & ſuis.

Rogerii in Eccleſiá merita

Poſt hæc Rogerius, re Chriſtiana maximis ſuis laboribus & ſacris bellis aucta, in quibus ante prælium, rei divinæ, placandiſque ſuperis incumbebat; In certamine cohortandis, excitandiſque & conſilio & exemplo militibus, in victoria, ſupplicationibus, gratiiſque Deo Optimo Maximo agendis. Poſt triumphos purificandis ſacrandiſque Ædibus, quas Saraceni omni nefario ſcelere profanaverant, ac Templis, Cœnobiis, & Eccleſiis Cathedralibus erigendis, ditandiſque, quibus hucuſque Sicilia paſſim decoratur, dum ſibi nulla in re ſancta parcit, maximo ſui deſiderio, ac Simone, & Rogerio liberis relictis, e vita exceſſit Meliti Calabriæ (20) Anno ſal. 1101. menſe Julio, ſeptuageſimo ætatis anno, & in Æde ſacra, quam ibidem Divæ Trinitati magnificè conſtruxerat, & liberaliter dotaverat, humatus eſt. Quem omnes Duces, Nortmanni, Franci, Lombardi, Apuli, Calabri, & Siculi non ſecus ac publicum parentem luxere, nullo non genere honoris funeri ejus adhibito, ut meritò ad reliquos titulos, Epitheton hoc ei acceſſerit: *Rogerius, Comes Calabriæ, & Siciliæ, Chriſtianorum Adjutor.*

Ejuſdê mors, & funera.

Digitized by Google

1. MEſſanâ expugnatâ, Robertus ipſe in Siciliam copiis ſtipatus tranſmiſit, relictiſque ea in urbe præſidiariis, necnon equitibus, qui hoſtium incurſionibus ſeſe opponerent, fratri ſuos adjungens, ad expugnandam Ramettam unà cum illo duxit. Erant inter Roberti milites præcipui Ariſgotus de Puteolis ipſi ſanguine conjunctus, Urſellus Bagliolus Nortmannorum nobiliſſimus, Hugo de Greſia, Gualterius de Simula, Robertus de Surdavalle, & Angelmarus, quorum opera in Saracenis debellandis Comes ſubinde uſus, illos egregios habuit commilitones.

2. Guiſcardi in Siciliam quandonam trajectio acciderit, jam indicavimus.

3. Labitur hìc Fazellus, rerumque geſtarum ſeriem, neſcio qua oſcitantia, invertit. Poſt Troynam namque occupatam, ac munitam, Petralia potitus eſt Rogerius, atque in Sicilia tunc quidem ſubſtitit. Subinde Bettumeni operâ invadendæ Catanæ conſilium iniit, reſque illi proſperè ceſſit. Fretum mox unà cum fratre trajecit, nuptiaſque cum Juditha nobili, ac pulcherrima puella, Roberti Abbatis S. Euphemiæ ſorore, quam dudum deperibat, Meliti celebravit. Harum occaſione inter ipſum, ducemque fratrem diſcordiæ interceſſere; quibus ſedatis, Juditham ſecum in Siciliam deduxit. Fuit hinc Eremburga ſecunda Comitis uxor, Guillelmi Mariconenſis domini filia, de qua inferiùs,

4. Cutelium idem ac Antella vetuſtiſſimum in Sicilia oppidum.

5. *Cum Juditha* rectiùs dixiſſet, quæ abſque filiis deceſſit; poſt quam Eremburgam Comes ſibi deſponſavit, ab eaque filios ac filias ſuſcepit.

6. Prima Libycorum expeditio ab Almoazzo Africæ Rege adornata, dum in Siciliam contendit, ad Pantelariæ inſulam fœda tempeſtate jactata, pene omnis naufragio periit anno MLXII. Almoazzo mortuo, ejuſdem filius, & ſucceſſor, Siculis denuo efflagitantibus Saracenis, recentes tranſmiſit copias ſub Jobi, & Hali ducatu, & illæ quidem ſub Jobo Panormum, aliæ Agrigenti oram ſub Hali tenuerunt.

7. Vexillum Rom. Pontifex Rogerio dono miſit, quo egregios duces, ac fidei propugnatores veteri ritu ſolet Eccleſia munerari, uti Pagius advertit.

8. Dum Agrigentum versùs Dux Robertus, Comeſque Rogerius properant, Barbarorum phalanges obviam habent, quæ non inſtrenuam pugnam ineuntes poſt multam utrinque ſtragem Nortmannos in fugam agunt. Tunc Petraliæ arcem Rogerius condit, ut ſuis aſylo eſſet. Robertus verò in Italiam contendit.

9. Repertas inter hoſtium ſarcinas columbas tradunt, quæ tabellarii vices gerebant. Has Rogerius e cavea eductas, ſyngraphe ſub alis alligata, ubi pugnæ, cladiſque ſeries exponebatur, liberas dimittit, quæ celeri volatu Panormum deferuntur.

10. Hic Hugo de Girea ab aliis nominatur; concordatque Malaterra Synchronus Author lib. 3.

11. Arces haſce, & quidem duas ſupra viginti, ex lignis compactas, murumque interjacentem, ex arborum truncis, ac ramalibus inter aſpera montium juga juxta Tauromenium Rogerius extruxit, quum eam urbem arctiſſima obſidione vallavit. Hanc autem diu Saracenos toleraſſe, ſtrenuèque oppugnantibus Nortmannis, reſtitiſſe, Hiſtoria prodit. Ibi aliquando Rogerio non longè ab oris Tuneti Regis naves ſeſe obtulere, quas adveniſſe obſeſſis auxiliares Comes primùm cenſuit; ubi verò eas contra Pyratas excurrere accepit, obſeſſionem augens, cives jam diutina fame vexatos ad deditionem coegit. Tum aliis, & aliis in valle Demana arcibus, oppidiſque expugnatis, victorem exercitum Troynam traduxit. Tunc urbis hujus Epiſcopum Robertum Judithæ uxoris germanum fratrem conſtitutum nonnulli produnt.

dunt. E Demanenſi in Mazaræ vallem hinc Comes delatus, Jatum vetuſtiſſimum caſtellum adoritur, quod loci ſitu, atque incolarum numero fretum, ſubdi Nortmannis, tributaque pendere recuſabat. Egit promiſſis, minisque Rogerius, ut ad deditionem rebelles alliceret; at ubi in caſſum omnia cederent, obſeſſis commeatum omnem impedire ſuis ducibus præcepit; ipſe Ciniſenſes Jatenſibus fœderatos concludit, moxque utrorumque ſegetes jam maturas igne conſumit; quo viſo, illi ſeſe in victoris poteſtatem dedunt. Tunc Mathildem filiam Raymundo Provinciæ Comiti nuptui tradidit, generumque ad ſponſalia celebranda advenientem ſummâ pompâ Rogerius excepit. Poſt hæc in Calabriam remeavit.

12. Bentiminus alibi appellatur.

13. Redux e Calabria Comes Angelmarum infimæ conditionis hominem, ſed qui ob animi ingens robur Serlonis viduam, eum Hieraeenſi ditione uxorem acceperat, ſibi rebellantem compeſcuit, exulemque e Sicilia cum uxore egit, Hieracenſi arce ſolo æquata; tum Meſſanam applicuit.

14. Codex Saracenus id Promontorium. *Rsis Alab* vocat, ideſt: Caput Alabi; non longè enim Alabus fluvius in mari ſe exonerat.

15. Syracuſanus Pontifex tunc Rogerius ordinatur Troynenſis Eccleſiæ Decanus.

16. Jordanum ex pellice Comitis filium Gotfridus Malaterra clariſſimè teſtatur.

17. Conrado nempe Violantem, Alemanno verò Buſillam deſpondit; quas ex Eremburga ſecunda uxore ſuſceperat.

18. Dum Capuam obſideret Comes, a Sergio quodam inſidiis appetitus, de illis a B. Brunone in ſua Squillacenſi Eremo degente per ſomnium admonetur.

19. Singularem hanc prærogativam alii Rom. Pont. Siculis Principibus confirmarunt, & noviſſimè decurrentis ſæculi anno XVIII. Benedictus XIII. ſuo calculo ratham voluit.

20. Eò ſe Comes contulerat, ut Conradi generi, & Paſchalis ſecundi Romani Pontificis partes contra Henrici III. auſus tueretur.

DE

DE SIMONE SICILIÆ COMITE.

CAPUT SECUNDUM.

Simon brevi verò potitur.

ROgerio Siciliæ Comite defunćto, Simon ex Adelaſia ſecunda (1) ejus uxore filius major natu Siciliæ, & Calabriæ Principatui ſuccedit. (2) Qui poſt graves ab Apulis ſeditiones perpeſſas, tandem nulla relićta prole, brevi rerum potitus, exceſſit. (3)

1. TErtia Rogerii uxor Adelaſia fuit, uti vidimus; primam quippe, Mathildem ſcilicet, Fazellus prætermiſit.

2. Hunc Patri præmortuum aliqui tradunt, aut ſaltem Comitis titulo minimè inſignitum volunt, ſed refragantur Odericus nempe Vitalis Hiſt. Nort. lib. 13. Abbas Celeſinus lib. 1. & Collenutius ex antiquis; ex recentioribus verò poſt Fazellum, Pirrus, Caruſius, Maurolycus, Aprilis, Siculi, exterique fere omnes. Quo ad ætatem conveniunt; natum quippe, ait Gaufridus Malaterra lib. 4. anno MXCIII. atque idcirco oćtennem patri ſucceſſiſſe colligunt.

3. A patris morte elapſo anno diem obiiſſe Simonem ſcribunt, ſed perperam, nonnulli; Pirrus & Invegius tres illi attribuunt annos cum aliquot menſibus. Initium enim Comitatus Rogerii Simonis fratris in annum MCV. communiter conſignatur. Adelaſia porro prudentiſſima mulier Robertum Burgundiæ Ducis filium ſibi in generum adſciverat, quem in filiorum minori ætate Siciliæ, & Calabriæ regimini ſecum admovit, fidumque ac ſtrenuum in adminiſtranda Republica per annos decem habuit.

DE ROGERIO SICILIÆ REGE.

CAPUT TERTIUM.

Roger ingenua adoleſcentia.

SImone decedente, Rogerius germanus ejus frater, quem falsò aliqui Rogerii Boſſi Primi Siciliæ Comitis ex fratre nepotem aſſerunt, in principatu Siciliæ ſuffećtus eſt anno ſalutis 1102. & Romę Paſchali ſecundo hujus nominis Pontifice ſedente. Is a primis adoleſcentiæ temporibus, fœliciſſimis naturæ incrementis, ſummam virilis ætatis maturitatem ſortitus, omni voluptatis ſtudio poſthabito, continua armorum meditatione flagrabat, ſuorumque natalium æmulatione, omne vitæ tempus ſpećtatis militiæ operibus exegit. (1) Initio ſui principatus gratiam Pontificis primùm ſibi conciliavit, per oratores illi debitis obedientiæ votis ultro præſtitis, ac auri Siculi unciis mille, copiiſque militum ad juſtum numerum, ut contra Gibertum Antipapam ſe tueri, ac Eccleſiæ Dei propè labenti conſulere poſſet, dono tranſmiſſis. (2) Deinde ad majora animos erigens, Antiochiæ, Apuliæ, Calabriæ, & Hieroſolymæ Regna affećtare cœpit.

Plura ſibi regna conquirit.

Cujus rei occaſionem, ex Affinium Rogerii, & Boemundi, Roberti Guiſcardi filiorum contentione, ac Adelaſiæ matris geſtis commodam accepit. Quod, quàm breviſſimè potero, paulò altiùs auſpicatus, enarrabo.

Ro-

Roberti filii inter ſeſe contendunt.

Roberto Guiſcardo ſummâ gloriâ defuncto, Boemundus, & Rogerius duo ejus filii, de opibus paternis ambigebant, quòd e diverſis matribus eſſent, ille ex Aberarda, hic ex Sycalgaita, nec contemnenda pars divitiarum, beneficio, doteque poſterioris uxoris, ad patrem devenerat. Rogerius minor dictitabat ſe Apuliæ Ducem teſtamento patris, Boemundus major ægrè ferens in Italia patrem nullam hæreditatis partem ſibi reliquiſſe, claſſem ſuam, quam defuncto genitore in Græcia paratam habebat, contra Hidruntum Apuliæ urbem, & Rogerium Guiſcardum germanum ejus fratrem eduxit, atque cum eo pro Ducatu Apuliæ bello non longè a Benevento commiſſo dimicans, cum victus fuiſſet, intervenientibus Urbano Pontifice, qui tum regnabat, & Rogerio Boſſo Siciliæ Comite eorum patruo, Tarento urbe, & Apuliæ parte Boemundo conceſſâ, Rogerius Ducatus Apuliæ titulum ſibi retinuit. Sed paulò poſt Boemundus, receptis a fratre civitatibus, oppidiſque parùm contentus, Rogerio Guiſcardo in Sicilia contra Saracenos in urbe Panormo, quæ ſui juris erat, deficientes bellum gerente, Melphim quoque urbem furto ſibi occupat. Quo audito, Rogerius Dux, ſedata Panormo, e Sicilia reverſus, cum viginti Saracenorum millibus pretio conductis Boemundum fratrem Melphi obſidet, atque acriter oppugnat.

Reconciliati per Rogerium.

Sacrum bellū indicitur.

Dum hæc ad Melphim inter Guiſcardos fratres geruntur, Bellum Sacrum, & ingens a Principibus Chriſtianis, ſuadente Pontifice Romano, & ad id apud Claromontem Galliæ urbem Synodum celebrante, ad repetendam Hieroſolymam paratur, concurrentibus undique ad tam pium opus Proceribus Gallis, Germanis, Ungaris, Italis, Græcis. Quo bello decreto, Boemundus Guiſcardus cupiditate gloriæ incenſus, relicta Melphi, cum viginti Lucanorum, Brutiorum, Apulorum, & Siculorum equitum millibus, inſignia ſacræ militiæ ſuſcipiens, ad Sacrum bellum proficiſcitur. Cujus animi præſtantiâ motus Rogerius Dux frater ejus, poſitis armis, omnem Apuliam cum eo communem eſſe voluit, ac Tancredum ſororis filium militiâ ſtrenuum belli Sacri comitem ſibi tradidit. Chriſtiani igitur Principes in Aſiam ad Sacrum Bellum contendunt, atque loco appulſi, magnis viribus Niceam Saracenorum urbem adoriuntur, ſed deficiente commeatu, ab hoſtibus, magna clade accepta, opprimuntur. At Boemundus Guiſcardus cum Alexio Imperatore nomine totius exercitus his legibus pacem firmat: Ut Alexius commeatum omnem militibus præberet, & ut omnes urbes (præter Hieroſolymam) quæ e manu Saracenorum reciperentur, Alexio parerent. His conditionibus firmato cum Alexio fœdere, noſtri, tranſmiſſo Boſphoro, Niceam urbem rurſus aggreſſi, per deditionem recipiunt.

... Niceæ Chriſtiani ſunduntur.

Boemund. Hieroſolymā contendit.

Niceâ munitâ, Boemundus Guiſcardus procerum conſenſu cum parte copiarum Hieroſolymam verſus movet. In itinere ab ingenti Saracenorum manu repentino, & inexpectato impetu præpetitur. Collata acie, pugnatur aliquandiu utrinque acerrimè, & ſola nocte bellum dirimitur. Illuceſcente, hoſte nuſquam comparente, noſtri Iter ingreſſi fœlici victoriæ curſu Leonium, Heracleam, Tarſum, Ædeſſam, Miniſtram, Cæſaream Cappadociæ, ac Ciliciam omnem ordine capiunt. Antiochiam poſtea urbem maximam, Petri Apoſtoli olim ſedem, Lucæ, & Theophili Patriam, Orientis Arcem duplici muro, ac quingentis ferme propugnaculis cinctam, cui Caſſianus Rex cum præerat anno ſalutis 1097. obſident, ac demum Pyrro Antiocheno

Digitized by Google

Antiochia ex-pugnat. viro Principe urbis ingreſſum præbente, qui Boemundi Guiſcardi navatam in ea expugnatione ſtrenuè operam, ac virtutem admiratus, dediturum ſe noſtris urbem ſpopondit, ſi eidem Boemundum cum Imperio præficerent, expugnant. Ingreſſi Antiochiam Chriſtianis indulgent, & in Saracenos ſolùm ſæviunt. Captæ Antiochiæ cum Corbanus Perſiæ Regis filius, Indiæ Princeps centum quinqaginta armatorum, & Camelorum viginti millibus inſtructus auxiliaris veniſſet, Boemundus tanta hoſtium multitudine nihil territus, cum copiis ſuis numero longè inferioribus magno ei animo occurrit. Et prælatâ Chriſti lanceâ in Æde Divi Andreæ Antiochiæ reperta, veluti explicato vexillo optimo, hoſtes adoritur, ſuperat, & cœdit, quorum centum circiter millia occubuiſſe Scriptores memorant.

Cujus ipſe Princeps cõſtituitur. Captâ Antiochiâ, Boemundus Principatum inſtanter poſcit, obſiſtente Alexio, qui ſibi ex fœdere priùs inito deberi affirmabat. Delectis communi voto, ad diſcordiam dirimendam, arbitris ſacris viris, Antiochiæ Principatus Boemundo collatus eſt. Poſt hæc Duces Hieroſolymam cum victore exercitu contendunt, urbem quatuor locis, magnis animis, & viribus eodem ſimul tempore oppugnant, quę tandem trigeſimo nono obſidionis die, Idibus Julii anno ſalutis 1100. & anno 490. poſtquam imperante Heraclio, a Saracenis occupata fuerat, expugnata eſt, Gothfredo omnium conſenſu Rege conſtituto.

Hieroſolyma capta. Captâ a noſtris Hieroſolymâ, & anno ſequenti Gothfredo decedente, & Balduino ejus Germano fratre in Regem ſuffecto, Saraceni ad repetendam Hieroſolymam contra noſtros movent, & multis utrinque cæſis, ſuperantur. In ea pugna Boemundus Guiſcardus in manus Barbarorum venit. Capto Boemundo, Tancredus ejus ex ſorore nepos Principatum Antiochiæ pro Avunculo captivo adminiſtrandum ſuſcepit, & paulò poſt ingenti comparato exercitu, contra Acconem urbem, quæ Ptolemais, & Acris eſt, bellum movet; terrâ & mari oppugnat, ac vigeſimo die, magna Saracenorum ſtrage edita, expugnat. Triennio ſubinde emenſo, Boemundum Avunculum magno auri pondere redimit, & Antiochiæ principatum reſti-

Sacrũ bellum. Boemund. redintegrat. tuit. Boemundus ſervitute liberatus Sacrum bellum rurſus excitat, & Antiochiæ Principatu Nepoti commiſſo, in Galliam identidem facturus petit, ſed per fines Conſtantinopolitanos tranſiturus, metu Alexii mortuum mentitus, in arca clauſus a ſuis in Galliam defertur. Ubi excitatis ad Sacrum bellum Francis, Conſtantiam Philippi Francorum Regis filiam uxorem ducit, ex qua paulò poſt Boemundum filium ſuſcepit.

Inde in Græciam reverſus, contra Alexium Imperatorem, qui maritimas Antiocheni principatus urbes ob repulſam infeſtabat, cum equitum quinque, & peditum quadraginta millibus fœliciter movit,

Contra Græcũ Imper. pugnat. ut confractis illius viribus, & urbibus ejus maritimis direptis, univerſam Epyrum ſibi ſubjecerit, & ad pacem tandem certis legibus illum compulerit. Poſt hæc cum ea claſſe, quam contra Alexium paraverat, in Aſiam ad Sacrum bellum contendit, Beritum maritimam Phœniciæ urbem duobus menſibus obſedit, atque Sydon, & Tyrum cum Balduino Rege conſociatis viribus, magnâ noſtrorum lætitiâ cœpit. In tanta verò fœlicitate Boemundus æſtate ſequenti, anno ſalutis 1108. febre correptus, relicto Boemundo filio, decem & octo

Moritur Antiochiæ. annos nato, morte ſublatus omnia luctu complevit. Mortuus eſt quoque & per ea tempora Rogerius Guiſcardus Boemundi frater, relicto

licto in Apuliæ Ducatu Guillelmo filio. Erat Boemundus Boemundi ſilius, Genitore decedente, in ſuo Principatu Tarentino. Qui morte Patris audita, cum Guillelmo Guiſcardo Apuliæ Duce conſobrino ſuo concordiam de futura rerum ſucceſſione iniit, ut uter eorum prior vita decederet, alter in univerſum ei ſuccederet. *Boemundus Boem. filius.*

Poſt hæc parata claſſe, omnique commeatu inſtructa, in Syriam navigat, paternum Græciæ, & Antiochiæ Principatum accepturus. Cui ad portum Oſtii Orontis fluvii decem fere paſſuum millibus ab Antiochia diſtantem appulſo, Balduinus Rex magno procerum numero comitatus amiciſſimè occurrit, Antiochiæ Principatum reſtituit, & Eliſam filiam in uxorem tradidit. Celebratis nuptiis, cum Balduinus ad confirmandum regium ęrarium, quod expilatum erat, Adelaſiæ Siciliæ Comitiſſæ immenſas opes affectaret, quas vivente Rogerio marito Siciliæ primo Comite, ex Saracenorum manubiis coacervaſſe undique conſtabat, novo affinitatis vinculo fretus, cum Boemundo genero Adelaſiæ nuptias tractat. Sed affinitatem impediebat Aleonora uxor olim a Balduino ex Edeſſa urbe accepta, ex qua jam duas ſuſceperat filias, & quæ poſtea ab eo repulſa, adhuc in humanis erat, licèt rumore incerto mortua ferebatur. *Antiochiam regreditur.*

Erat eo tempore Hieroſolymorum Patriarcha Arnulphus, cui nihil ad extremam malignitatem deerat. Is, etſi Reginam vivere ſibi & Regi conſtaret, gnarus tamen avaritiæ Regis, opes Adelaſiæ, & non nuptias appetentis, in adulationem illius, cujus favorem in falſendis etiam hominibus ſibi aucupabatur, a Balduino & Boemundo fraudis ignaro, ad Adelaſiam, & Rogerium filium ad hymeneos firmandos legatus mittitur. Hujus igitur conſiliis nefariis, & fraudem ſilentio contegentis, ſub ſpecie nuptiarum, conjugiique prætextu, Adelaſiæ, conſenſu Rogerii filii minùs id ſuſpicantis, hac formula Regalis traditur anulus, ut, mortuo Balduino, Maſcula Proles ex eis gignenda, ſive (ſi inanis foret Thorus) Rogerius ipſe Adelaſiæ filius Siciliæ Comes Hieroſolymæ Regno ſuccederet. *Adelaſia Balduino nubet.*

Firmato hac lege connubio, Adelaſia magna claſſe auro onuſta Sicilià ſolvit, & Acconem primùm, mox Hieroſolymam applicuit, ubi regio more a Balduino Rege, & tota urbe excipitur, Regalibus ornamentis redimitur, Genialis Thorus communicatur, opes Siculæ Balduino dotales fiunt, atque tribus annis tanquam legitima ſponſa, & Regina habetur. Quibus emenſis, nulla interim ſuſcepta prole, Balduinus febre corripitur, religione tangitur, & facinoris pertæſus, priori uxore recepta, Adelaſiam ære conſumpto, & pudore violato, in Siciliam, lachrymabili ſanè ſpectaculo, remittit. Quæ res in primis animos multitudinis exulceravit, quaſique luctum publicum effecit. Hinc itaque potiſſimùm per urbem cives turbati fraudem non ſatis æquo animo ferunt, facinus immane, & ſacrilegium in Regem, & Patriarcham palàm rejiciunt, & Homines, Deoſque ultores appellant. Adelaſia in Siciliam reverſa, cum ignominiam ſufferre diu nequiret, in morbum lethalem incidit, & apud Pactas urbem anno ſalutis 1118. fato conceſſit, in Templo maximo tumulata, ubi & ſepulchrum ejus hucuſque cernitur. Hac contumelia, iniquiſſimoque facto Rogerius filius Siciliæ Comes exagitatus ad vindictam animum exarſit, & dum vixit, Hieroſolymitanos (nulli parcens) perpetuis injuriis, ac maleficiis funeſtavit. (5) *Hieroſolymæ excipitur. Triennio poſt dimiſſa moritur.*

Boemūdus cōtra Damaſcū. Dum hæc apud Hieroſolymam geruntur, Boemundus Guiſcardus junior Antiochiæ Princeps immenſis copiis inſtructus Caphardanum Saracenorum oppidum aggreditur, & expugnat, & deinde cum Hugone Pagano primo Templariorum magiſtro, Comite Tripolitano, & maxima Principum, & populorum orientalium multitudine contra Damaſcum urbem contendit, ejuſque fines ingreditur. Sed milites prædæ avidi, cùm prædando regionem excurrerent, a Doldequino Damaſcenorum Principe exercitu inſtructo petuntur, ſuperantur, & in fugam vertuntur. Parta hac victoria, Rodoamus Saracenus Alapiæ Princeps Antiochiæ Principatum adoritur, cuncta vaſtat, & incendiis fœdat. Huic Boemundus Princeps magna ſuorum equitum, *Conſerto prælio occiditur.* & peditum manu occurrit, atque demum conſerto prælio juxta Palliorum pratum, ſuis eum deſerentibus, ab hoſtibus victus, & gladio confoſſus occubuit, relicta Conſtantia filia impuberi, Raymundo Guilelmi Aquitanorum Comitis filio nupta.

Boemundo occiſo, Rogerius Siciliæ Comes cùm jure hæreditario Antiochiæ Principatum ambiret, cognito quod Raymundus Antiochiam ex Anglia, ubi eo tempore erat, ad uxorem, & Principatum ſibi accipiendum petere pararet, in ſingulis Apuliæ urbibus inſidias illi tendit, ſpe (ſi caſus eveniret) Principatus potiundi. Sed *Raymūd. Princeps Antioch.* Raymundus explorato Rogerii Comitis animo, ruſticum mentitus pedeſter Antiochiam venit, atque agente Rodulpho Patriarcha Antiocheno, Conſtantiâ in uxorem ductâ, Principatum obtinuit. Interjectis poſtea paucis diebus, cum Patriarcha Romam concederet, ab inſidiis apud Brunduſium interceptus, Panormum ad Rogerium perductus eſt, & fœdere percuſſo, Principatum Antiochenum ei promittit, & liber dimittitur. Causâ deinde Romæ diſcuſsâ, & triremibus Rogerii Antiochiam reverſus, cum accuratiſſimè cum proceribus rem Rogerii perageret, a Raymundo (ut fama fuit) venenatus interiit. Rogerius ejus morte audita, Antiocheni Principatus obtinendi ſpem omnem amiſit. (4)

Guillelm. Guiſcardus Apuliæ dux. Dum hæc Rogerius Comes apud Antiochiam fruſtra molitur, Guillelmus Rogerii Guiſcardi Apuliæ Ducis filius, mortuo genitore, ſui principatus initio a Calixto Romanæ ſedis tum Præſule, Sacramento priùs adactus, & in Ducatu Apuliæ confirmatus, Romanæ Eccleſiæ Præfectus & ipſe deligitur. Is ea confirmatione elatus, Alexii Conſtantinopolitani Imperatoris jam defuncti filiam pluries ſibi patre vivente pactam, in uxorem ducturus, Conſtantinopolim ire conſtituit. (5) Sed veritus Rogerii Siciliæ novi Comitis, & conſobrini ingentes ſpiritus & auſus, non priùs Italia diſcedere decrevit, quam quòd Calixtus Romanus Pontifex Apuliæ Ducatum in ſuam, & Romanæ ſedis tutelam ſuſciperet. Igitur Guillelmus Apuliæ & Calabriæ Ducatu ſub Pontificis protectione relicto, Conſtantinopolim petiit.

Ejus ditionem Roger. invadit. Vix Guillelmus medium iter emenſerat, cum Rogerius Siciliæ Comes ſuſceptam à Pontifice Romano conſobrini rerum adminiſtrationem parvifaciens, Calabriam invaſit, ac priùs dimidiam occupavit, quam Pontifici de ope afferenda ſpatium daretur. Igitur Calixtus Calabriæ invaſione audita Beneventum venit, Hugonemque Cardinalem ad Rogerium, tunc Nicephorum Calabriæ oppidum obſidentem, ut eum ab armis arceret, miſit. At ille neque precibus, neque minis territus Pontifici obtemperat, ſed acriùs inſtat, & bellum

urget,

urget, ne conſobrinus fortaſſe rediens, impedimento ſibi foret. Calixtus econtrà, bellum & ipſe parat, ſed interea ſubita vi febrium cum Senatu laceſſitus, expeditione omiſſa, Romam redire compellitur. Rogerius ab hoſtibus liber Calabriam omnem, Apuliamque aggreſſus, nemine ſibi obſiſtente, brevi ſibi ſubjecit. Interea Guillelmus Conſtantinopolitana uxore Græcorum dolis fruſtratus, Salernum cum rediiſſet, paucis ibi poſt diebus, nulla relicta prole, mortem obiit. Quo tempore & Boemundus etiam e vivis ſublatus eſt. (6) *Guillelmus ſine prole obit.*

Rogerius igitur adverſariis defunctis, & Roberti Guiſcardi propagine penitus deficiente, jure ſucceſſionis Calabriam & Apuliam ſub Ducatus titulo obtinuit. (7) Quocirca tantarum rerum ſucceſſu elatus, minuſque idoneum ratus, tantam, ac tam latè diffuſam potentiam, Comitis, aut Ducis nomine coarctari, jam non amplius Apuliæ Ducem, & Siciliæ Comitem ſe appellari paſſus, Regium nomen provinciis, quibus præerat, aptandum, & perennem ſui notitiam Regio ſtemmate, & principio hoc ſplendido commendandam curavit. Animos faciebant illi opes, reſque lætæ, ac majores ſui, qui privata nobilitate orti, audendo, augendoque ad maxima quæque perveniſſent. Igitur a ſuis Rex tum Italiæ, tum Siciliæ ſalutatur. Et Panormi anno ſalutis 1129. Idibus Maji in Regem Siciliæ ungitur, & coronatur. (8) Interfuerunt ejus coronationi non ſolùm Siciliæ, ſed etiam Neapolitani proceres, ac Præſules, Rogerius Beneventanus, Joannes Salernitanus, & Philippus Capuanus Antiſtites, Riccardus Cajetanus Dux, Anſelmus Piperius Comes de Sanctaflore, Petrus de S. Severino Marturani Dominus, & complures alii, urbemque ipſam Panormum regiam conſtituit, ut ejus diplomate conſtat. Fama ducta per manus Panormitanos adhuc tenet, ſtirpem de Caravellis, quæ adhuc Panormi nobilis ſupereſt, corona Siciliæ Reges inſignire, ex privilegio Rogerii Regis habuiſſe, (9) Andreamque Caravellum Rogerium Regem coronaſſe. *Rogerius Rex appellatur.* *Ejuſdem coronatio.*

Hæc cum Calixtus Romanus Pontifex reſcivit, animo non minùs celſo, quàm irato in Rogerium ſe erigit. Verùm dum bellum contra illum molitur, anno Pontificatus ſui quinto deceſſit. (10) Cui Honorius ſecundus Romanus Pontifex ſuffectus non minori, quàm Calixtus prædeceſſor, quòd Italiæ ſibi titulum arrogaret, odio in illum exarſit. Veritus tamen ne ſe abſente motus aliquos Romani in Urbe excitarent, aperto bello contra Rogerium foris movere non eſt auſus, ſed domi ſemper ſe continuit, licèt plerique magno cum exercitu uſque ad Apuliam eum contra Rogerium profectum, doliſque poſtea a ſuis circumventum pacem ei, ac regiones captas Pontificum more confirmaſſe ſcribant. (11) At cum Romæ anno ſal. 1130. Honorio defuncto Innocentius ſecundus ſucceſſiſſet, eàdem cauſâ in Rogerium accenſus, tumultuario exercitu collecto tanta celeritate movit, ut ad Sanctum Germanum oppidum (ubi in caſtris erat) Rogerium nihil tale metuentem improviſo impetu adortus repulerit, atque oppido capto, hoſtem in caſtro Galluccio, in quod ſe fugâ receperat, aliquandiu acriter obſederit. *Rom. Pont. illi adverſatur.* *Bellúque eidè infert.*

At præter ſententiam Pontifici belli fortuna evenit. Erat enim Rogerio Guillelmus filius, (12) quem ex Elvira uxore ſuſceperat, militiâ præclarus, & a patre Tarenti Principatus titulo inſignitus. Is patris obſidione percepta confeſtim exercitu comparato genitori ſuppetias tulit, commiſſoque contra Innocentium acerrimè prælio, & pa-

& patrem liberavit, & exercitu Romano profligato, Innocentium, Cardinaleſque, qui cum eo aderant, cœpit, & in vincula coegit. Sed Rogerius non multò poſt & viri ſanctitate, & dignitatis majeſtate motus, non modò a periculo præſervatum, ſed & reverentiſſimè, officioſiſſimèque habitum liberum cum Senatu dimiſit. Illinc igitur religio, hinc gratus animus præfulſit. Nam Innocentius in tanti beneficii gratiam ei non modò quæ petierat, ſed & urbem Neapolim, quæ uſque ad ea tempora Græcorum Imperatori paruerat, cum reliquo terræ Laboris, Apuliæ, ac Calabriæ ad fretum uſque Siculum corpore præter Regium titulum conceſſerit, licèt ſint qui etiam & Regium titulum non Italiæ, ſed Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ ab eodem tum promeruiſſe afferant. (13) Ingreditur itaque Rogerius cum Pontifice Neapolim magno tum ſuorum, tum civium applauſu, quo die centum quinquaginta milites inſtituit, duoſque menſes ibidem feſtos egit.

Roger. confirmatus in Regé.

Naufragium patitur. At cum uno anno Neapoli conſumpto, Panormum cum tribus navibus onerariis, & aliquot triremibus repeteret, vix anguſtas Capreæ inſulæ fauces egreſſus, ſuborta tempeſtate, adeo varia pelagi jactatione fuit agitatus, ut naufragio vicinus extiterit. Sed cum votum ritè, & ex animo oblatum nuncupaſſet, quòd ubi primum littus attigiſſet, ibi D. Georgio ædem ſe ſacram, ac omnium Salvatori templum ingens, ſacerdotumque ei cœnobium conjunctum excitaturum voviſſet, Cephaledim tandem ad ſextum Auguſti diem appulſus, ſubductis in terram navibus, votum fideliter ſolvit, civitatemque ipſam a rupe ad littus tranſlatam Epiſcopali dignitate, ac novis mœnibus decoravit. (14)

Anacletus Pſeudopontifex. Romani interea, qui Innocentium a Rogerio captum audiverant, Petrum Leonis Romani civis ditiſſimi filium, Ægidio Cardinali Tuſculanorum Epiſcopo adnitente, adulterinum Pontificem ſub Anacleti nomine crearunt. Innocentius hoc cognito, cum imparem viribus ſe videret, e Neapoli in Franciam ad Philippum Regem profugit. Rogerius, Innocentio fugato, Anacleto ſe addixit, Pontificem eum ſalutat, atque adorat. Anacletus verſa vice, contributo Rogerio cum Brutiis, Lucanis, Apulis, & Calabris, regio quoque nomine non Italiæ, ſed Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, quod ab Innocentio (ſi Blondo credimus) impetrare nequiverat, (ſi verò aliis) confirmato, eum ſibi devinxit. (15) Porro Innocentius, celebrato apud Claromontem Concilio, Anacletum, ejuſque ſectatores damnat, & ſubinde cum Lothario Imperatore Germano terreſtri itinere in Italiam reverſus, Romam venit, ubi profligatis his, qui Anacleto faverant, & Anacleto inter hæc peropportunè e vivis erepto, contra Rogerium ad Barum uſque Apuliæ oppidum, nemine reſiſtente, pervenit. Rogerius utrinque deſtitutus cum viribus eſſet inferior, Apuliâ relictâ, in Siciliam recurrit, atque ita Pontifex cum Lothario cuncta, quæ Rogerius in ea Italiæ parte occupaverat, recepit. Veritus tamen, ne Lothario diſcedente, Rogerius iterum Apuliam ſibi repeteret, Rameonem Comitem, qui cum Lothario venerat, ad tuendam cum Ducatus nomine Apuliam reliquit.

Ab Innoc. Rō. Pont. damnatur.

Apulia Roger. erepta.

Cæterùm poſt hæc anno ſalutis 1143. Innocentio decedente, & Celeſtino ſecundo primùm, mox Lucio ſecundo, ac Eugenio demum tertio Romanæ ſedis per ordinem Pontificibus tepidè res Apuliæ tutantibus, Rogerius regiones omnes, ac Italiæ urbes, quas Inno-

nocentius, & Lotharius ſibi abſtulerant, pulſo Rameone Duce brevi recepit, ſed modeſtiori, ut cœperat titulo uſus, non Italiæ, ut prius, ſed Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ ſe Regem appellabat, ut in ejus diplomatibus adhuc legimus. Quem titulum in omnibus ſuis regnis poſtea Cœleſtinum, ſive Lucium, ut alii ſcribunt, ei conceſſiſſe memoriæ proditum eſt. (16) Rogerius rebus ſuis pacatis, cum nil aliud animo ſecum repeteret, niſi Regnum productis finibus ampliare, claſſem ingentem inſtruit, ac contra Saracenos ſolvens, maritimam Libyæ oram, quæ meridionale Siciliæ latus reſpicit, populatus, mox Tripolim, Africam, quam Mehdiam Saraceni appellant, Sfacem, Capſiam, & alias ejus regionis urbes ſuo ſubegit imperio, ac tantis demum Saracenos incommodis, cladibuſque afflixit, ut Tuneti quoque Rex Africus nomine ingenti tributo in ſingulos annos ei promiſſo, anniſque poſtmodum pluſquam triginta perſoluto, pacem ab eo implorare coactus ſit. *Illam Rogerius recuperat.* *Saracenos ſibi ſubdit.*

His fœliciter geſtis, cum Ludovicus Rex Francorum, ſuaſu Eugenii tertii Romanæ ſedis Præſulis Chriſtianis, qui terram ſanctam incolebant contra Emmanuelem ſecundum Conſtantinopolitanum Imperatorem, qui Palæſtinam invaſerat, & prohibebat Chriſtianis copiis tranſitum, quòd ad Saracenos eſſet propenſior, opem laturus moviſſet, Rogerius religionis ſtudio, claſſe ex Africa reducta, contra Imperatorem & ipſe ſolvit, ibique Corcyram inſulam, ejuſque urbem, Corinthum quoque, ac Thebas, & Euboeam inſulam expugnatas, atque jure gentium abreptas, ſuæ ditioni ſubjecit. Deinde cum Ludovicum Francorum Regem, qui a S. Simeonis Antiocheno portu ſolvens Palęſtinam petebat, ingens Saracenorum claſſis obvia fortè intercepiſſet, Rogerius fortè fortunâ Ludovico Regi capto occurrens cum ſua claſſe in Saracenos cum præda, & tanti viri captivitate in anguſto poſitos irruit, ingentique clade affectis hoſtibus, victor Chriſtianum Regem ab interitu liberavit. (17) Quo apud Joppen dimiſſo, Conſtantinopolim ipſe mira celeritate adnavigat, ejus ſuburbia vidente Emmanuele diripit, ac incendit, Palatium Imperatoris aliquandiu oppugnat, ac eò pugnando progreſſus eſt, ut non modò ſagittas argenteas, aureaſque hortis regiis immiſerit, ſed & poma horti Imperialis ad gloriam, fortitudiniſque oſtentationem manu ipſe ſua decerpſerit, ſpectante, nec opem ferente Emmanuele. Quibus Veneti per Legatos cognitis, ſexaginta triremium claſſem cum Petro Bolano eorum Duce Emmanueli auxiliarem miſerunt. *Contra Græcos contendit.* *Galliæ Regem captivâ liberat.*

Porro Rogerius tot damnis, & injuriis Imperatori illatis, cum Conſtantinopolim expugnare nequiret, inde ſolvens, dum in Italiam remeat, in claſſem Venetam ſimul, & Græcorum ad dimicandum ſatis inſtructam, paratamque ex improviſo incidit, cum quibus commiſſo cruento prælio, ex ſuis triremibus unadeviginti amiſſis, ſubmerſiſque, victus cum paucis diſſipatis in Siciliam profugit, non tamen illæſis hoſtibus. Ex Veneta namque claſſe duobus fere millibus vulneratis, quingentis & vigintiquinque cæſis, intercidit Dux ipſe Venetorum Petrus ſtrenuè pugnans. Rogerius verò poſtquam domum incolumis pervenit, a belli turbinibus ſe continuit, jamque multarum gentium manubiis locupletatus, quo tantum ſibi, regnoque domicilium compararet, in extrema Panormi parte mirifico opere arcem jam vetuſtate collabentem inſtaurat. In cujus penetralibus omnem opum, pecuniarumque ſuarum ſummam congeſſit; ædem quo- *Claſſe dimicans & victus fugit.* *Panormi Palatiû inſtaurat.*

S. Petri Tēplū in Palatio ſtatuit. quoque Divo Petro Apoſtolo ſacram muſivo opere in ea a fundamentis erexit, Quam arcem, ſuam atque futurorum omnium Siciliæ Regum ſedem conſtituit. Nam Rogerius Rex, & ei poſtmodum ſuccedentes, etſi Neapolitano Regno potirentur, quò tamen tenaciores rebellibus in Sicilia Saracenis frænos imponerent, & ne nova vel qui reliqui ſupererant, vel qui vicinam Africam incolebant Saraceni molirentur, in Panormo urbe Regia longo jam tempore reſederunt.

Rogerii Regis virtutes. Erat Rogerius ingenio promptiſſimo, & ardua quæque nunquam ſibi diffidens. Aliorum rationes in conciliis libenter audiebat, nihil inconſultè, nihil præceps agebat, ingentes motus animi ſapientiâ temperabat, ut non magis viribus, quàm prudentiâ & hoſtes contriviſſe, & Regnum ſuum productis finibus ampliaſſe judicetur. Aliorum quoque Regnorum, ac gentium conſuetudines diligentiſſimè inquirebat, ut ſi quod in eis pulchrum, aut utile deprehendiſſet, id ad ſuos uſus redigeret. Quoſcumque viros aut conſiliis utiles, aut bello claros compererat, cumulatis eos ad virtutem beneficiis invitabat. Juſtitiæ rigorem ut novo Regno perneceſſarium exercere ſtuduit. Hinc multis pœnas graviores, & legibus incognitas irrogabat, ac duriùs in quoſdam animadvertebat, ne in novitate regni flagitioſi, & ſeditioſi ejus nimia humanitate inſpecta, ad conſpirationis audaciam extenderentur. Pacis verò, ac belli viciſſitudinem ita alternabat, ut nullum Regum, aut Principum ſua ætate parem habuerit. Ingentes præterea theſauros ad Regni munitionem poſteritati conſulens novâ induſtriâ coacervavit, ac Panormi repoſuit.

Alias ſacras ædes fundat. Ædes plures ſacras inſigni opere, præter eas, quas recenſui, erexit. Sacellum regium D. Joanni ab Heremitis juxta Palatium cum cœnobio illi conjuncto ordinis D. Benedicti, ſed & aliam ædem ei annexam D. Georgio D. Baſilii ordinis Panormi ædificavit. Æs Campanum inſigne, quod Guzam Panormitani appellant, & in arce campanaria maximi templi poſitum fundere juſſit, ut circùm Latinæ literæ inſcriptæ indicant. Quod fortè confractum Anno ſalutis 1557. Petrus Aragonius, & Taglavia Cardinalis reſtauravit. Meſſanæ Cœnobium Divi Salvatoris a Genitore conditum & opere, & divitiis exornavit.

Ejus filii, & filia Conſtantia. Tres ex Elvira uxore ſuſcepit filios, Rogerium, Amphulſum, & Guillelmum, unicamque filiam Conſtantiam, ſed Rogerium Apuliæ Ducem, Amphulſum Capuæ, & Guillelmum Tarenti Principes inſtituit. (19) Habuit quoque Tancredum filium ex pellice procreatum. At cum (ut Regibus mos eſt) rerum futurarum liberorum præpnoſcendarum cupiditate incenderetur, Joachinum Abbatem fatidici nominis virum ex continenti Italia in Siciliam accerſit. Productus, inter pleraque ex Conſtantia filia, ſi nupſiſſet, funeſtam Italiæ facem exorituram præſagivit. Quocirca etſi non deeſſent qui Regi Conſtantiam veneno perimendam conſulerent, Tancredi tamen nothi conſilio, qui nefarium eſſe innocentem emori dicebat, in ſacro Salvatoris Panormi eam educari, ac virginitate votiva, veloque ſacro

Majorū filiorū interitus. amiciri ſtatuit. (20) Sed dum decretum fatidicum humano conſilio impedire ſatagit, in illud incidit. Rogerius interea, ac Amphulſus duo majores ejus natu filii, in quibus veriſſima paternæ virtutis efſulgebat effigies, non ſine ingenti ſuo, & totius regni mœrore, ac luctu mortui ſunt. Proinde Guillelmo, quia alius legitimus, & hæres

nulv

nullus ſupererat, Regni diadema Rogerius adhuc vivus impoſuit, eumque ſibi regni conſortem aſcivit. Nec diu poſt immenſis ultra vires attritus laboribus, anno ætatis 59. regni verò 23. ſalutis 1154. in valetudinem prolapſus, Panormi defunctus, in templo maximo tumulatus eſt. (21) Utebatur, dum viveret, gemino hoc epitheto: *Rogerius in Chriſto pius, potens Rex, & Chriſtianorum adjutor.* Altero: *Appulus, & Calaber, Siculus mihi ſervit, & Afer.* *Rogerii Regi mors, & tituli.*

1. CIngulo militari ex ephœbis egreſſus, veterum Principum more, ornatus, ſubditos ſibi populos tanta rexit animi moderatione, ac virtute, ut ne furti quidem, rapinæ aut violentiæ nomen in ejuſdem provinciis audiretur; Saracenoſque per inſulam latè adhuc diffuſos in officio tanta ſeveritate continuit, ut aliquid tentare minimè fuerint auſi.

2. Suppetias Pontifici Rogerium Apuliæ Ducem Roberti Guiſcardi filium contra Schiſmaticos tuliſſe, Hiſtorici produnt; An ſuas quoque Comes noſter adjecerit, diſſimulant.

3. Poſt matris mortem primas cum Elvira Alphonſi Caſtellæ Regis filia nuptias celebravit Rogerius anno MCXX. Malè hinc Italam ex Petri Leonis gente, Anacleti Antipapæ ſororem primam Rogerii uxorem nonnulli faciunt.

4. Boemundi Antiochiæ Principis mors præmaturè hic a Fazello reponitur. Supervixiſſe hunc Guillelmo Apuliæ Duci clariſſimè evincunt diſcordiæ, quæ poſt Guillelmi obitum inter Rogerium noſtrum, & Boemundum pro Apuliæ Ducatu interceſſerunt anno circiter MCXXVII. Jam circa MCXXII. Guillelmus idem contra Ariani Comitem ſibi rebellantem Rogerii noſtri opem, in Siciliam delatus, imploravit, ac facilè obtinuit; hinc urbis Panormi dimidium, quod adhuc retinebat, compluresque in Calabria urbes, ac terras eidem attribuens, unciis auri quinaentis, ſtrenuiſque militibus ſexcentis acceptis, Arianum perdomuit, ejuſque ditionem in ſuam poteſtatem redegit. Cui libertatem nonniſi Raynulphi Comitis, Mathildis Rogerii ſenioris filiæ conjugis precibus conceſſit. Rogerius ſubinde Melitam, quam ſibi Barbari vindicaverant, claſſe triginta triremium inſtructas expugnavit, jamque in Africam trajicere parabat; ſed expeditione in ſequentem annum dilata, ultuei Barbari jacturam, auſtralem inſulæ oram populati, Syracuſas improviſò invadunt, cives majori ex parte conficiunt, captivoſque ingenti cum præda in Africam non paucos abducunt. Quamque ad vindictam convolare Rogerius cogitaret, novis in Apulia motibus revocatur, uti num. 7.

5. Hæc & ſequentia eruit Fazellus ex Platina, aliiſque ejuſdem furfuris Hiſtoricis, recentioribus ſcilicet, quos Synchroni Scriptores omnino latuerunt. Ex his ergo evidentiſſimè conſtat: Guillelmum Guiſcardi nepotem Sedelgardam Principis Capuani filiam uxorem habuiſſe, quæ marito ſupervixit; Quorſum igitur hujus ad Græcos, ut uxorem Alexii filiam acciperet, navigatio? Eodem in vivis agente nuſquam Rogerius Siciliæ Comes Apuliæ fines invaſit, aut aliquam Calabriæ partem ditionis alienæ ſibi vindicavit; Nulla igitur ad illum in Sicilia quietè degentem Hugonis Cardinalis nomine Callixti legatio. Hic denique anno MXXIV. e vivis abiit; Guillelmus ad aliud triennium vitam produxit. Expungenda idcirco ex Rogerii geſtis hujuſmodi commenta, aliaque ejuſdem facinora, & benè multa, quæ noſter Hiſtoricus fortaſſe aut neſcivit, aut diſſimulavit, adjicienda, uti ex notis ſequentibus a num. 7.

6. Optimè hic Boemundi obitum poſt Guillelmum ſublatum recenſet; hinc opportunum veluti in locum ejuſdem Principis cum Rodoamo pugnam, occiſionemque, necnon Raymundi Aquitani cum Conſtantia Boemundi filia nuptias, & Antiocheni Principatus ambitum huc revoces oportet; Et ſi verè nonniſi anno MCXXX. ea acciderint.

7. Tot exantlaſſe labores Rogerium in Apuliæ Ducatu conquirendo ex veterum monumentis elicio, ut potiùs jure belli, quàm ſucceſſionis eumdem illi obveniſſe dixerim. Accepto igitur de Guillelmi morte nuncio, cum claſſe, quam in Barbaros Syracuſarum direptores paraverat, Salernum convolavit; Civibus, ut ſe in Ducem, veluti Guiſcardi nepotem, reciperent, per legatos egrè tandem, pactiſque conditionibus ſuaſit. Exemplum ſequuti Melphitani, nec non Raynulphus Comes, reliquos facilè adducturos videbantur; Verùm Honorius Romanus Pontifex veluti ſupremus Apuliæ dominus, indignè id ferens, Boemundi Antiocheni Principis partibus ſuſceptis, in Rogerium exarſit, ejuſque legatos, ac ingentes auri oblatas ſummas repulit, atque ubi Beneventum delatus eſt, Comitem diris devovit, Procerum conventum habuit, eoſque contra hunc concitavit. Partibus ideirco ad arma undique concurrentibus, Beneventanos fines Siculi populantur, ac nova ex inſula claſſe adornata, poſt fretum excenſu facto, Tarentum, & Otrantum nullo obſiſtente Rogerius ſibi vindicat, Brunduſium vi expugnat, tum contra Pontificios ad Brodanum flumen caſtra metatur. Erat Honorio fœderibus junctus, cæteros inter Proceres, Capuæ Princeps, cujus quum copiæ annonæ penuria premente diffluere viderentur, ſatiùs habuit Pontifex res pace componere, legatoque Frangipane Cardinali ad Rogerium, Ducatum illi Apuliæ certis ſub conditionibus attribuit. Pontificis exemplo omnes pene Apuliæ Dynaſtæ ſeſe eidem ſubdidere; Hinc Caſtro, Montealto, Roſſano, aliiſque oppidis, ac demum Troja, quæ diu, ac fortiter obſidionem ſubſtinuerat, nec non Brunduſio, quod rurſus defecerat, ſubactis, Robertum Capuæ Principem, Sergiumque Neapolis Ducem, ut ſibi fidelitatis ſacramentum præſtarent, adegit.

8. Bis coronationis celebritatem Rogerium habuiſſe perperam nonnulli tradunt, Idibus Maji nempe MCXXIX. & die Natali Domini MCXXX. Verum enimverò illa nonniſi Procerum Acclamatio dicenda; Unctio verò ſolemnis, & Coronatio VIII. Kal. Januarii celebratâ. Huic præter illos a Fazello enumeratos adſtitere ſex alii Archiepiſcopi, ſeptem ſupra decem Epiſcopi, & Abbates quinque, quos inter Sencoretus Caſinenſis. Proceres ſubinde omnes tùm Eccleſiaſticos, tùm Sæculares convivio Rex excepit, in quo argenteis, aureiſque vaſis dapes appoſitæ, ac in ſericis, ſplendidiſque veſtibus ſervi miniſtrarunt. Aulæ Regii palatii attalicis, pretioſiſque periſtomatis tota ſplendebant, nihilque ad magnificentiam, ornatumque deerat, uti Celeſinus Abbas teſtatur.

9. Gabriel Moulinus de Nortm. Triumphis lib. VI. Sum. III. Cardinalem Caravellum Regi coronam impoſuiſſe ſcribit, quod vetuſtiſſimæ Siculorum traditioni adverſatur. Memorat nihilominus Robertum Capuæ Principem Regni ſerto caput illius einxiſſe, Cardinalem de Comitibus, Anacleti Pſeudopontificis legatum regiam præbuiſſe virgam.

10. Deceſſerat Callixtus anno MCXIV. ac poſt illum Honorius obtinuerat, de quo ſuperiùs. Honorium anno MCXXIX. Innocentius excepit, cui Petrus Petri Leonis filius ſeſe oppoſuit ſub Anacleti nomine anno MCXXX. Hic Regiæ dignitatis prærogativam Rogerio ſibi adhærenti detulit, quam Innocentius denegaverat; Hinc neque Honorius, minuſque Callixtus, uti Fazellus infarcit, ob uſurpatum Regis Italiæ titulum, Rogerio infenſi eſſe potuerunt.

11. De hac Honorii largitione jam num. 7. diximus. Eamdem ratam habuit ſubinde Anacletus.

12. Guillelmus natu minimus inter Rogerii filios bello huic non interfuit; Pontificem verò Rogerius ejuſdem nominis cum Rege Patre, Apuliæque dux ab eo conſtitutus, intercepit anno MCXXXIX. ſed ante id facinus talis, ac tanta rerum ſeries intereeſſit, ut ſingulis enarrandis vix integræ pa-

gine

ginæ ſufficerent. Poſtquam ergo in Regem fuiſſet Rogerius inunctus, Melphienſium arces, civibus reluctantibus, vi, & armis ſuæ poteſtatis fecit, Apuliamque ſecundò repetens, Riccardum Raynulphi Comitis fratrem Avellini Dominum ſibi adverſantem devictum ditione omni privavit. Mathildem mox ſororem ſibi dilectam cum parvulo filio, inſcio Marito, qui ejuſdem Regis juſſu pro Anacleto militabat, ſecum in Siciliam adduxit. Offendit id non leviter Raynulphi animum, quumque componi res minimè poſſet, ad arma hic ſe convertit, compluresque Apuliæ Dynaſtas in ſuas adduxit partes. Hos Rogerius variè compeſcuit, ducenſque contra cognatum deſertorem, cui Capuæ Princeps adhæſerat, ab eis victus, fuſuſque eſt juxta Noceram, ita ut in Siciliam ad novum conſcribendum militem redire cogeretur. Interim Apulienſes abſente Rege Lotharium Auguſtum auxiliatum evocantes, claſſem ab fœderatis ſecum Piſanis obtinent, rurſuſque deficiunt; quos Vere ineunte anni MCXXXIII. Rogerius adortus; fuſis illorum copiis, omnes ſibi ſubdit; Trojam, ſolo æquatis ædificiis, in vicum redigit, parique pœna Melphim, & alia oppida mulctans, victor in Siciliam redit.

Altero Vere Salernum regreſſus, Sarno & Nocera expugnatis, adeo procerum fœderatorum res afflixit, ut Raynulphus ſeſe in ejus poteſtatem committeret: Exceptus hic benignè, Capuæ Principem, ac Neapolis Ducem Regi reconciliaturus interceſſorem ſeſe exhibuit. Verùm ille Piſis ſe continens Principatum amiſit, alter novo ſacramento ſeſe obſtringens, in Regis gratiam rediit. Beneventani & ipſi facta deditione fidem ſpondere compulſi ſunt. Hinc Panormi ovans Rogerius excipitur; ſed brevi lethalem in morbum incidens, ubi ex eo convaluit, Elviram conjugem morte ſublatam indoluit. Quam ſanè jacturam adeo graviter tulit, ut omnium oculis ſe proripiens, confectus & ipſe undique ſit habitus. Hujus rei fama in Apuliam delata cauſam novis motibus præbuit. Suſcepit ex Elvira Rogerius filios quinque: Rogerium Apuliæ Ducem, Tancredum Barii, & Amphuſium Capuæ Principes a Patre deſignatos, Guillelmum denique & Henricum, quos adhuc in cunis mater reliquit. Jam verò falſo de Regis obitu rumore Raynulphus Comes deceptus, adjuncto ſibi Neapolis Duce, Capuam occupare anno MCXXXV. tentat. Quibus & ipſe Capuanus Princeps Piſanorum ſuppetiis inſtructus acceſſit. Hinc Julio menſe Salernum Rogerius noſter ingenti cum exercitu reveſtus, Capuam munit, Averſam funditùs evertit, urbemque Neapolim adoritur, Piſanos denique, qui Melphim diripuerant, in fugam agit. Altero anno rurſus Neapolim obſidet; At quum Lotharius, Innocentii Pontificis hortatu, Neapolitanis auxilio adveniſſet, oppugnationem ille ſolvit, atque ad ſua tuenda progreditur.

Infeliciter belli alea Rogerio deinceps ceſſit; anno enim MCXXXVII. Innocentius ipſe Lotharii copiis munitus per Campaniam digreſſus Capuæ Principem in ſuam ditionem reſtituit, & Beneventum occupat. Lotharius ex alia parte Barium, & Melphim ſibi vindicat, Salernum obſidione coarctat, tandemque recipit, ubi unà cum Pontifice Raynulphum Apuliæ Ducem conclamat. Abeuntibus nihilominus Lothario & Innocentio, Rogerius Octobri ineunte e Calabria ſolvens, Salernum, Capuam, ac Noceram recuperat; Ducemque Neapolis ad ſe redire compellit. Tum S. Bernardi Clarevallenſis Abbatis legationem audit, qui pacem inter ipſum & legitimum Eccleſiæ Paſtorem enixè ſuadebat. Eà rejectà, ad montem Cervinum cum Raynulpho juſto prælio confligens; victus fugatuſque, Bernardum denuo accerſit, deque unione, & pace Salerni primùm, mox in Sicilia agit. Interim Anacletus vita excedit, cujus loco Victor ſubrogatur. Hic, Bernardo adnitente, ſeſe Innocentio ſubmittit, verùm Tridenti mortuo etiam Lothario Imperatore, Rex noſter bellum cogitavit, compluribuſque oppidis, quæ defecerant, & tri-

tribus per Apuliam expugnatis, in Siciliam ſe recepit. Quibus auditis, Innocentius Concilium Romæ apud Lateranum coegit, ubi Anacleti Actis reſciſſis, Rogerium diris ſolemniter eſt execratus.

Nec diu Raynulphus Dux vivere deſiit; Rex verò majori cum exercitu Italiam invadens, Rogerio filio cum parte copiarum Apuliam committit, ipſe in Capitanatam ducit; audito autem Innocentium cum fœderatis Principibus milite inſtructum in Campania prope Sanctum Germanum caſtra poſuiſſe, conjunctis viribus hoſtibus ſeſe oppoſuit. Ibi de pace actum, ſed incaſſum. Hinc Pontifici ad tutiora loca ſe recipienti per filium inſidias ſtruens, in ſuam poteſtatem illum cum aliquot ex Patribus, ac Roberto Capuano Principe redigit. Ex his igitur hucuſque enarratis, atque ex Alexandro Celeſino Abbate, qui Methildis Comitiſſæ rogatu Rogerii Regis vitam tribus libris complexus eſt, nec non ex Chronico Falconis Beneventani, aliiſque, fideliter excerptis, patet, quænam ſit fides adhibenda hac in re Faſelli ſcriptis, illorumque operibus, unde ea Faſellus eruit. Reliqua inferiùs habes.

13. Baronius ad annum MCXXXIX. Innocentii diploma exſcribit datum in Territorio Marianenſi VI. Kal. Auguſti Pontificatus anno x. quo Rogerium Regio honore, ac dignitate cohoneſtatum, Apuliæ Ducem, & Capuæ Principem confirmat. Quod verò ad Neapolim attinet, fallitur noſter Hiſtoricus, dum eam urbem, ait, ad hæc tempora Græcorum Imperio paruiſſe; dudum quippe Græci omni fere Italia exceſſerant, Sergiuſque Neapolis Dux, ſive Comeſtabulus, nunc Rogerio adhærens fidei jusjurandum illi dederat, nunc in illum conjuraverat. Quid de Sergio actum fuerit, non invenio, Neapolitani rurſus Rogerio ſeſe obſtringentes, illi deinceps perpetuò ſubduntur.

14. Conſpicitur hodie in majori Cephaledenſi templo ejuſdem Regis equeſtris ſtatua in perenne beneficii monumentum.

15. Hæc ex Blondo, & Collenutio, qui ſus deque ætatis illius geſta confundunt, excerpſit. Conſule ſuperiùs adnotata. Cæterò offendiſſe Innocentii animum rurſus Rogerium lego; occupato enim ab Rogerio Apuliæ Duce, & Amphuſo Capuæ Principe Patris nomine Piſcariæ Comitatu, nonnullas ad ſedem Romanam ſpectantes arces ſibi etiam Rex vindicaverat; de qua re acriter Pontifex conqueſtus, ad earum deditionem illum compellebat; hinc Beneventi inter Joannem Diaconum Urbis Præfectum, Rogeriumque, & filios conventum eſt, compoſitiſque diſcordiis, pax denuo firmatur.

16. Lucius, quæ dudum præceſſor Innocentius conceſſerat, ſolemniori ritu firmavit. Rogerio enim apud Montem Caſinum illum convenienti, & ſuppetias contra Romanos, aurique ingentem ſummam ad rebelles frænandos præbenti Mitræ, Virgæ, Annuli, Dalmaticæ, & Sandalium uſum Galliæ olim Regibus conceſſum liberaliter indulſit. Tunc Amphuſum Capuæ Principem, Tancredumque filios morte immatura ſublatos Rogerius amiſit, quos ſummè dilectos ob bellicam virtutem, aliaſque eximias animi dotes, uberrimis lacrymis eſt proſecutus.

17. Ereptum e Græcorum manibus Ludovicum ab Siculis noſtris alii tradunt. Emmanuel enim Comnenus ob ſibi illatas ab Rogerio clades, ingentem contra Siciliam adornaverat claſſem ſub Stephani Talaſſiarchæ, & Joannis Auxuchæ præfectura. Hæc Venetis auxiliariis ſibi adjunctis, Corcyram inſulam anno MCXLIX. invadit, tandemque expugnat; inde in Siciliam enavigat; verùm dira tempeſtate disjecta tota diſſipatur. Suas Rogerius emiſerat naves, ut Corcyrenſibus adeſſent, quumque circa eam inſulam illę vela darent, in hoſtiles incidunt, quæ Galliæ Regem captivum Byzantium abducebant, Rex hic minimè apud Joppen, ſed in Calabriam tranſmiſit, at-
que

que in urbe Potentia aliquandiu, regium cultum Rogerio ſuppeditante; degens, inde in Galliam ſplendidè deductus eſt. Quæ a Fazello deinceps ſubduntur de ſuburbiis Conſtantinopolitanis direptis, ac Imperiali palatio oppugnato, Guillelmo Rogerii filio conveniunt. Claſſem denique Siculam malè ab ipſo Rogerio ductatam Author dicit. Rex enim ſuis eam Talaſſiarchis commiſerat, atque in Sicilia magnis excitandis operibus intentus ſubſtiterat. Poſt infelicem navalis pugnæ exitum Romano Pontifici Eugenio hujus nominis tertio, arma, ac pecunias miniſtravit, quibus ille Romanos ſibi adverſantes compeſcuit, Urbemque ſuæ ditioni aſſeruit. Inter hæc Rex Rogerii filii morte turbatus, nec diu Sibillæ uxoris Burgundiæ ducis filiæ, quam poſt Elviram duxerat, obitu perculſus; Guillelmum ſuperſtitem in Regni conſortium adſciſcere decrevit, cui & Margaritam Navarræ Regis filiam nuptui tradidit. Ipſe verò cum Beatrice Reteceuſi Odriſii Marſorum Comitis ſorore ad tertias ſubinde nuptias convolavit, ex qua Conſtantiam ſuſcepit, cujus etiam jure ſubinde Marſorum Comitatum obtinuit.

18. Neapolitanum Regnum perperam hic appellat Regiones ultra pharum, quæ eo titulo poſt primam a Sicilia diviſionem tantùm donatæ leguntur.

19. Ex Elvira quinque, uti vidimus, habuit filios; Conſtantiam verò ex Margarita genuit, quæ mortuo patre in lucem edita.

20. Joachimus Abbas circa hæc tempora in ephœbia agebat; floruit enim ſub Guillelmo II. & Enrico VI. iiſque regnantibus ob prophetiæ donum innotuit. Fabulis hinc omnino accenſenda ea, quæ de Conſtantia illum protuliſſe ſcribunt. Anilis quoque fabula Conſtantiæ monachatus. Hæc denique Poſtuma fuit, ideſt extincto jam genitore nata, uti advertimus.

21. Sepulchrum ſibi ex porphyrete in Cathedrali Cephaledenſi Eccleſia eximium ſtatuerat, in quod illius exuviæ, prout teſtamento præceperat, illatæ ſunt, poſtmodum verò Panormum deductæ in templo maximo aſſervari dicuntur.

DE

DE GUILLELMO PRIMO HUJUS NOMINIS SICILIÆ REGE; QUEM MALUM APPELLANT.

CAPUT TERTIUM.

GUillelmus unicus ſuperſtes filius Rogerii patris ſucceſſor, cum Regno palatium etiam, & theſauros opulentiſſimos ſuſcepit. Fuit

Guillelm. Regni cõfirmationem petit.

Guillelmus ingenio alioqui ſolerti, & militià ſtrenuus, cupiditate verò, ac avaritià ſimul, & crudelitate nulli ſecundus. Initio ſui Principatus confirmationem Regni ab Adriano Quarto Romano Pontifice poſtulavit. Facere id quidem Pontifici erat in animo, ut plerique ſcribunt. Verùm, adverſantibus ei quibuſdam, non licuit. Quapropter Guillelmus ob repulſam irà percitus, coacto maximo militum exercitu Beneventum, Ceperanum, Baucumque in Hernicis, quę Romani Pontificis erant ditionis, invadens, ſuo Imperio adſcripſit. Adrianus his injuriis offenſus Guillelmum Regem diris involvit, & omnes ejus ditioni ſubjectos Siculos, Calabros, Apuloſque, quò faciliùs ab eo deficiant, ab omni fidelitatis illi præſtito ſacramento liberat. Quo facto, Apuliæ, Calabriæque Proceres ſtatim Adrianum

Ab Adriano Rom. Pont. repellitur.

Beneventum vocant, non modò deperdita, ſed Apuliam univerſam, Calabriamque haud dubiè recepturum. Beneventum itaque Adrianus accelerans fidem a Proceribus datam reipſa probavit. Nullo enim fere negotio cum ſuis his, quæ perdiderat, & Calabria, & Apulia Guillelmi Regnis per proditionem potitus eſt.

Guillelmus, his cognitis, ſtatim majori inſtructus exercitù, Apuliam ingreſſus omnia ferro & igne conſumit, mox in Græcos, & Apulos movens, qui apud Brunduſium caſtra poſuerant, incautos facilè ſuperat, atque in fidem deditos recipit. Mox Pontificem per

Fœdus cum eo init.

Epiſcopum Catanenſem (1) ad fœdus, pacemque ſolicitans, promiſit, ſe non modò erepta ei omnia reſtituturum, ſed & ex ſuis quędam alia, ſi vellet, ei condonaturum, ſi Siciliæ, Neapolitanique regni confirmationem ei largiretur. Pontifex his, qui pacem cum Guillelmo impedierant, graviter offenſus, inconſultis omnibus, Guillelmum & in gratiam admittit, & in Siculo, Neapolitanoque regno, exacto ante de Eccleſia veneranda, obſervanda, tuendaque ſanctiſſimo jurejurando non modò affirmat, ſed & perpetuò aſcribit. (2) Proceres, qui a Guillelmo deſciverant, ut primùm conciliatum Regem Pontifici audierunt, fugâ ſalutem ſibi quæſierunt. Ex quibus Robertus Capuæ Princeps ad Lyrim fluvium a ſuis Regi proditus, oculis, & Principatu orbatur, atque in carcerem conjectus miſerabiliter perit.

Contra Saracenos movet.

His rebus pacatis anno ſalutis 1145. Guillelmus ingenti claſſe collecta contra Saracenos in Ægyptum trajicit, plures Saracenorum urbes cœpit, expugnataque, ac deprædata Acri urbe eorum potentiſſima, dum retro vela vertit, in claſſem Imperatoris Conſtantinopolitani hoſtis acerrimi incidit, quam quantumvis numero impar, virtute tamen, ac animo major aſſidens, confeſtim centum quinquaginta captis navibus, in Siciliam rediit. Poſtmodum excitatis inter Fridericum primum Cæſarem cognomento Barbaroſſam, & Alexandrum

drum tertium Romanum Pontificem, qui Adriano ſucceſſerat, bel- *Pōtificē Meſſanę excipit.*
lorum procellis, Pontificem metu ab Urbe fugam meditantem Guil-
lelmus Rex ſuis triremibus e Terracina in Franciam deduxit. Un-
de cum idem poſtea Franciæ, & Angliæ Regum conſilio Romam
rediret, & ad mare Jonium delatus, Meſſanam Siciliæ Gallico navi-
gio perveniſſet, Guillelmus Rex adoratum, magnoque plauſu ex-
ceptum, ab eo regnorum quoque ſuorum titulis inſignitus incolu-
mem cum ſuis triremibus Romam uſque perduxit. (3) Quocirca
in his adminiſtrationis primordiis Guillelmus apud Italos Magni co-
gnomentum aſſecutus eſt.

Sed poſtquam domi ſe continuit, e contra ignaviſſimo otii lu- *Mores mutans*
xu, atque avaritiæ ignominia, Mali cognomentum ad ætatem uſ- *Mali nomen*
que meam promeruit. Legem quoque contra omne jus condidit, ut *acquirit.*
theſauri antiqui Regis ſint, & non inventoris, neque domini fun-
di, quam Fridericus Cæſar ſecundus, & primus Siciliæ Rex poſtea
confirmavit. Avaritiæ verò in eo tum multa alia, tum illud maxi-
mè memorabile eſt exemplum, quòd Siculis ducta per manus fama
adhuc vulgo in ore eſt, quòd omni auro, argentoque totâ paſſim
inſulâ in ſuos theſauros congeſto, nummos ex bubulo corio ſuo in-
ſigni excuſſos expendi, voceque preconis per oppida, ut quicquid *Ejuſdem Auri*
auri, argentique uſquam eſſet, ſub capitis mulcta ſibi deferretur, *fames.*
edixerit. Quod cum certatim ſupplicii metus ad eum undique coe-
giſſet, ut certiùs exploraret, an quid uſquam contra edictum cela-
retur, equum ſonipedem e regiis armentis generoſiſſimum Panormi
aureo nummo venale in foro ab advena proferri juſſit. Cumque diu
preco inſcriptum exiguo pretio equum, nullo emptore occurrente,
fruſtra proclamaret, tandem adoleſcens quidam generoſæ indolis
equi cupidine incenſus ad manes paternos, ubi genitrix unicum num-
mum depoſuerat, clam refugit, ex ore parentis ſepulti pretium ca- *Facinus im-*
balli filius extrahit, traditque venditori. Guillelmus ubi auri penu- *mane.*
riam ad tam immane, ac impium facinus perveniſſe comperit, om-
ne aurum egeſtum tum ſibi perſuaſit, ſuæque auri fami ſatisfa-
ctum credidit.

Regnum deinde per Majonis perditæ vitæ hominis arbitrium
adminiſtravit. Unde conſpiratio ipſum graviſſima poſtea excepit. Fu-
it Majo natione Apulus, patriâ Barenſis, humili ortus genere; quip- *Majonis ortus,*
pe cujus pater oleum Bari vendere ſolitus ſit. Hunc tenui fortuna *& mores.*
Guillelmus Notarium primò in curia, poſtmodum gradatim Cancel-
larium, (4) ac demum Magnum regni Admiratum inſtituit, & ad
opes maximas provectum longè ſupra cæteros regni proceres amore
proſequebatur. Quibus hic opibus, licentiaque abutens, nihil crude-
litatis, nihil violentiæ ut aliquid ageret, prætermittebat. Ingenium
illi ad omnia verſatile, cui facundia non diſpar, atque ſimulandi,
& diſſimulandi quæcumque vellet, facilitas inerat, in Venerem præ-
ceps, ſtupro virgines fœdare laudi ſibi ducebat, tantòque ſe cla-
riorem exiſtimabat, quantò ſplendidiores concubitus quacumque
ratione aſſequi potuiſſet. Is itaque cum jam totius regni adminiſtra-
tionem haberet, Regemque, quicum ſolus regni negotia (cæteris
proceribus excluſis) tractabat, quò vellet, attrahere poſſe confide- *Regnum affe-*
ret, in regnandi cupiditatem prolapſus, quò faciliùs voto potiretur, *ctat.*
Hugonem Panormitanum Archiepiſcopum ſummæ induſtriæ, factio-
niſque cujuſvis virum, perfidiæ ſocium, ad ſe pellexit. Huic cum
men-

Cum Hugone, & Pan. Pont. fœdus init.

mentem in parte quidem aperuiſſet, dominandi tamen aviditate diſſimulata, paucis perſuaſit, ut amóto Rege ignavo, atque inutili unà impuberum Regis filiorum tutelam ſubeant, regnumque pueris ad pubertatis uſque annos incolume conſervent. Quod cum inter eos conveniret, quo ſocietas firmiori vnculo ſtabiliretur, fraternum fœdus Siculorum more, & jurejurando contrahunt. Inita fraternitate, Hugo Majonis operâ in familiarem Regis admittitur, ut quod ipſe Regi ſuggereret, Hugonis teſtimonio confirmaretur.

Proceres perdere procurat.

His conſpirationis initiis jactis, proceres quoque, qui ei ad facinus obeſſe potuiſſent, de medio tollere operæpretium duxit. Erant eo tempore inter proceres Robertus Comes Lauricelli Regis conſobrinus, Simon Policaſtrenſis Comes, & Eberardus Comes Squillacenſis. Ex horum pernicie ſceleris ſui primitias auſpicari Majo deliberat. Interea verò Rex Meſſanam primò, atque inde trajecto freto, Salernum proficiſcitur. Quò cum Robertus Lauricelli Comes confeſtim, velut & cæteri proceres, & affines aulici, ad Regem viſendum conveniſſet, Majo adventu ejus præcognito, ſic contra eum Regis animum immutavit, ut loquendi cum Rege illi copia negata fuerit; quo mœſtus, iratuſque retrò diſceſſerit. Paucis verò poſt diebus Rex cum Panormum rediiſſet, adeo immanes induit mores, ut præterquàm Admirato, & Archiepiſcopo, acceſſum ad ſe nemini concederet.

Robertũ Lauricelli Comitẽ.

Interea cum ex Græcia Emmanuelis claſſem Apuliam propediem invaſuram fama percrebeſceret, omneſque & exteri, & domeſtici, belli, ob ſuſpectam jam Majonis ambitionem, undique timore trepidarent, Aſcontinus Regis Cancellarius, & Simon Comes magno cum exercitu, & ad hoſtium impetum arcendum, & ad plebem in officio continendam in Apulia juſſu Regis erant. Hinc Majo oblatam ſibi occaſionem non negligens, multis verbis Regi perſuaſit, Robertum Lauricelli Comitem, quem ſe a Rogerio Rege avunculo in ultima voluntate, regno, ſi filius parùm idoneus videretur, præfectum jactare mentiebatur, jam tum ad Imperium aſpirare; Cui niſi maturè occurratur, facillimè omnia in ſeditionem, tranſverſumque itura. Quocirca ex Regis conſenſu Aſcontino per certum nuntium mandat, ut Robertum Capuam Regis nomine evocet, deinde capiat, & demum ſub cuſtodia vinctum Panormum tranſmittat. Robertus, quem non latebat in tot ſuis de virtute, & fide publica meritis Majonis fraus, etſi ab Aſcontino accerſitus Capuam petierit, urbem tamen, in qua jam paratas ſibi eſſe inſidias cognoverat, ingredi noluit, ſed in Apuliam rediit.

Quã affectati Regni accuſat.

Simonẽ Policaſtri Comitẽ.

Verùm cum non multò poſt inter Aſcontini, & Simonis Comitis milites ſuggeſtione Majonis, qui exinde contra Simonem maledicendi cauſam habere ſperabat, eòuſque orta eſſet ſeditio, ut in Duces mutua quoque jam injuria proreperet, Aſcontinus non tam verè, quàm hoſtiliter literis ad Majonem deſtinatis, Simonem omnium, quæ ad eum uſque diem inter milites fuiſſent, diſcordiarum authorem fuiſſe, accuſabat. Robertum quoque Lauricelli Comitem illius indicio paratos apud Capuam carceres evaſiſſe, nuntios inter ipſos crebrò diſcurrere, latens inter eos, ac periculoſum agitari negotium, qua cauſa deinceps ei minimè credendum exercitum aſſerebat. His acceptis, Majo ſingula ita Regi acerbiora, crimen delatum etiam adjiciens, expoſuit, ut Robertum, & Simonem jam conſpi-

ſpi-

ſpirationis reos Rex pro certo haberet. Quod & faciliùs Regi perſuaſum eſt, quòd eamdem in conſanguineos, affineſque omnes jam inde ab initio Principatus ſuſpicionem induiſſet. Hinc Simon Comes a Rege (alio in ejus locum exercitus Duce ſubrogato) vocatus, ut comparuit, indictâ causâ, captus, carcerique addictus eſt. *Qui carceribus addicitur.*

His geſtis, Rex ita deinde palatio ſe incluſit, ut nulli per multos menſes, niſi Admirato, & Archiepiſcopo aut verba, aut vultum communicaverit. Quo factum eſt, ut certis de ejus morte rumoribus non modò per Siciliam, ſed per Apuliam quoque divulgatis, Apuli in ſeditionem omnes abirent. Robertus quoque Lauricelli Comes pleraque maritima Apuliæ oppida occupavit. In Regione etiam Neapolitana cuncta turbine ſunt oppleta. Robertus Surrentinus, qui hæreditario ad ſe jure Capuæ Principatum pertinere aſſerebat, copiis adauctus a Capuanis ſuſcipitur, & Principatu potitus eſt. Emmanuel verò Conſtantinopolitanus Imperator, falsâ mortis Regis famâ auditâ, cum Roberto Lauricelli Comite ſpe recipiendæ Apuliæ fœdus iniit, claſſem, proceres, ac pecuniam ad eum Brunduſium tranſmiſit. Hæc ubi Panormi per certos nuntios divulgata ſunt, Admiratus continuò eos, qui nondum a Rege deſciverant, literis Regiis, ſuiſque crebriùs ad fidei conſtantiam, rebelliumque impedimentta hortatus, interea Panormi quoſcumque poterat ſibi conciliare, animumque ſuum de cædendo Rege aperire pergit. Qui cum maturiùs id agendum cenſeret, ne fortè, crimine detecto, capitis pœna cum omnibus conjurationis ſociis plecteretur, eſſetque tum fortè Panormi Gotfredus Montis Caveoſi Comes virtute, militiâ, liberalitate, ac conſilio inſignis, rerum nihilominus inter hæc novarum non parùm cupidus; hunc, quòd opem ejus plurimum in ea re neceſſariam ſibi arbitrabatur, in odium ante, indignationemque Regis coactum ſibi conciliavit. Tenebat oppida hic in Sicilia Netum, Sclafanum, & Caltanixettam, ſed Netum, quod & naturâ, & arte, & populi frequentiâ eſſet munitiſſimum, pluriſaciebat. Hinc igitur Majo ad excitandam Regis apud Gotfredum invidiam deſumſit occaſionem. *Rumor de Regis morte.* *Majo conjurationis ſocios quærit.*

Cum namque Regi perſuaſiſſet, ut Netum a Gotfredo eriperet, & ſibi pro tutela Regni deligeret, Comeſque jucundiſſima ſede præter rationem ſpoliatus, id in Rege factum, utì dolebat, ita & ulciſci ſtatuit. Majo offenſum ad ſe Gotfredum clam accerſit, ac primùm triſtari ſe quamplurimùm de amiſſione oppidi dicit, Regique ante factum pro jure, ſuæque probitatis amore ſe pluries obſtitiſſe, ei jurejurando affirmat, hominis temeritatem, atque inſaniam illi damnat, odioſamque reddit. Demum brevi futurum vaticinatur, idque audiſſe etiam ſe ex ipſo Rege aſſerit, ut Proceres nullos contingat in Regno ſupereſſe, qui non ab eo crudelitate etiam afficerentur, ni tempeſtivè, & prudenter ſuccurratur. Proinde de Sceptro Regem ſtolidum, ac Tyrannum tollendum, priuſquam tantæ peſtis exitio regnum tam fortiter propagatum, tantis majorum titulis, totque, ac tam præclaris victoriis illuſtratum unius hujus hominis tyrannide corrueret. Gotfredus, patienter audito Majonis conſilio, tametſi quò ſimulata ejus verba tenderent, ſatis intelligeret, diſſimulavit tamen, artemque arte ludendam inde concipiens, omnia hæc ab eo ipſo pendere ingenuè ſubjunxit, quòd abſque Admirati judicio, nihil omnino Regem vel meditari vulgus perſuaſiſſimum crede- *Gotfredo Comſe aperit.* *Qui illi ſcelè adhæret.*

ret, eoque ſi culpa ſe aſſerere deſiderabat, Regis ineptiis, ac tyrannide palam ſignificatis, non diutiùs ipſum toleraret, ſed ad vindictam publicam, communi omnium odio, ac conſenſu depoſceret. Cui facilè omnes obſecuturos, ac ſe omnium primum non defuturum concluſit.

Majo ſocios Gotfredo manifeſtat. Placuit Admirato mirum in modum Gotfredi reſponſio, cujus prudentia ſimul, & fortitudine laudata, ut fœderis ſocium amplexus, oſculatuſque, mox Hugonis Archiepiſcopi in idem mentem, animumque, ac plurium aliorum procerum unita conſilia aperuit, qui peremto Rege, Admiratum ipſum ad Regnum evehendum ſtatuerant. Tandem verò, quò animum ejus exploraret potiùs, quàm quòd ex animo id cogitaret, ſe tantæ moli imparem imbecillitatis conſcientiâ ſubintulit. Satiuſque ducere, ut Regis filius patri ſubrogetur. Gotfredus, quem nec in his verſutia hominis fallebat, ex compoſito reſpondit: Proceres nunquam paſſuros, ut Tyranni filius regnet, qui nonniſi paternæ impietatis hæres eſſe poſſet. Sibi porro in tanta rerum mole tutius videri, ut ipſi Admirato, qui jam non minus, quàm Rex ab omnibus & venerari, & coli cepiſſet, Regia conferatur dignitas. Quibus auditis, tum demum apertè Majo id futurum quidem ajebat, ſi rem ipſe totis viribus amplecteretur. Tum Gotfredus *Gotfr. cū Majone fiſſè fœderatur.* omne ſuum ad hoc ſtudium, auxilium, vires, ac artes ſpondet, & quò præ gaudio lachrymantem hominem, ac labantem ejus animum firmiorem redderet, ſeipſum quoque jurejurando adſtringit.

Sed longè illi a promiſſis aliena mens erat, quippe quòd indignum, turpe, miſerumque cenſeret, venditoris olei filium ad regnum evehi. Sed id porro Gotfredi erat conſilium, ut quam primùm Majo Regem occidiſſet, ipſe ſtatim cum ſuis in homicidam, tanquam mortis Regiæ ultor, irrueret, Regiſque filium natu majorem patri ſubſtitueret hæredem. Hanc Gotfredus adverſus Majonis *Hunc occidere proponit.* dolos fraudem meditatus, plurimùm illi interim blandiebatur, rogans ſubinde, ne tam præclari facinoris gloriam mora minueret. Sed ubi Gotfredus ſegniùs eum videt rem gerere, de fidei ſuæ apud eum ſuſpicione jam tum addubitans, converſo a morte Regis conſilio, in Majonem tendit inſidias, quem vel in præſentia Regis, ſi aliter fieri non poſſet, ſibi deſtinat interficiendum; ad quod facinus confœderatos habebat Simonem Sangrenſem, Rogerium filium Riccardi, & plures alios Proceres, factioſoſque milites plurimos. Igitur die quodam in palatium Admirati percuſſores ingrediuntur. Sed cum e veſtigio triremes ad portum ex Callipoli Apuliæ urbe adveniſſe intùs *Ab incepto abſterretur.* ſignificatum eſſet, nuntii novitate militum animos ab incepto abſterrente, Admiratus fortunæ beneficio liberatus eſt. Gotfredus veritus ne, ſi fortè Majo milites introductos vidiſſet, in ſuſpicionem conceptæ contra ſe cædis deveniſſet, ad rem ex tempore excogitatâ aſtutiâ, ſuſpicionem prævenire cogitavit. Factum igitur omne ei ex ordine fingit, non quòd ad eum, ſed ut ad Regem de medio tollendum milites in arcem introduxiſſet. Et ni Callipolitana claſſis ſuperveniſſet, Regem procul dubio eo die fuiſſe interiturum narravit. Vix Gotfredus verba finierat, cum domeſtici Majoni ſuggerunt, Gotfredum armatis cum militibus eum interfecturum in palatium ingreſſum fuiſſe. Quos ipſe rejecit, & ex mandato ſuo, & contra Regem, & non contra ſe eas inſidias adveniſſe reſpondit.

Butera in Regem rebellat. Dum his rumoribus Sicilia turbabatur, Bartholomæus Garſiliatus militibus inſtructus a Rege deſciſcens, Buteram oppidum ſibi oc-

capit. Quod cum prærupti montis, ad cujus verticem ſitum eſt, beneficio, munitiſſimum eſſet, ſeditioſi complures ex agris finitimis eò confluere, omnia prædari, loca vicina populari, & cum pleriſque factioſis primoribus inſulæ contra Regem conjurare cœperunt. Quod ubi Rex cognovit, Eberardum Comitem probatæ, ac incorruptæ virum fidei ad eos Legatum miſit, qui ab incepto eos, promiſsâ veniâ, revocaret. At illi ſe contra Regem nihil moliri reſponderunt. Sed eo conſilio id tentaſſe, ut Majonis Admirati, & Archiepiſcopi Hugonis conjurationem in Regem, regnique in Majone ambitionem detegerent. Quòd ſi Rex de proditoribus ſupplicium ſumeret, ad pedes Regios ſe Panormum venturos promittunt. Hæc omnia Eberardus fideliter, uti acceperat, Regi detulit. Verùm Guilelmus Rex, etſi primùm atrocitate rei attonitus, in conjuratos indignatum ſe oſtendiſſet, mox tamen eum ſibi mortem attentare, quem ipſe ex infimo, ac ignominioſo fortunæ ſtatu ad tam ſplendidum, ac ſummum nitorem, florentiſſimumque jubar evexerat, immane, & fide indignum ratus, Eberardi verbis, atque authoritati derogavit, & penes Admiratum fides ſtetit. Hinc Majonis in Eberardum atrox exarſit odium, ſed ſagaci diſſimulatione in idoneum tempus ultionem differebat.

Eberardus Comes fruſtra eò obſides.

Majonis prodita conjuratio.

Interea Gotfredus Comes relictis per ſua oppida præſidiis, Buteram & ipſe transfugit. Quod ubi Panormi percrebuit, tota civitas contra Majonem in ſeditionem efferbuit, Comitem Simonem injuſtè carceri addictum, ſubmiſſis vocibus, ac commixto murmure depoſcunt. His Admiratus conſternatus, ubi non jam facilè plebis tumultum aliter compeſci poſſe videt, Simonem juſſu Regis de carcere extrahit. Quo liberato, ſtatim civitatis ſtatus immutatus eſt, ut cum eo tranquillitas omnis reddita videretur. Poſt hæc cum Buteræ ſeditio in dies invaleſceret, & acriùs urgeret, qua facillimè tota Sicilia brevi ad hoſtes defectura prævidebatur, Rex Simonem Comitem ſecum ducens contra Buteram exercitum movet, oppidum obſidet, ac totis viribus oppugnat. Sed cum neque expugnari, neque ad deditionem flecti poſſet, tandem conſilio Simonis Squillacenſis Comitis res eò deducta eſt, ut Gotfredo Comiti, & ſociis extra regnum facultate liberè abeundi conceſſa, Rex Buteram oppidum receperit.

Gotfredus Comes Buterâ ſe recipit.

Hac factione in Sicilia ſublata, paucis poſt diebus Gotfredus Meſſanam proficiſcitur in Apuliam trajecturus; quo tempore Aſcontinus Cancellarius ad Regem veniens, Majone inſtigante, Simonem Comitem novis criminationibus adeo apud Regem oppreſſit, ut confeſtim inauditus, in carcerem detruſus, paucis poſt diebus interierit. (5) Mortuo Simone, Gotfredum, qui cum ſociis ad transfretandum juxta conventa cum parata navi Meſſanæ morabatur, a trajectu Rex impedit, ac diligenter ſub cuſtodia uſque ad ſuum reditum obſervari jubet. Deinde magno cum exercitu trajecto freto Brunduſium, ibi cum Conſtantinopolitanis militibus, qui eò a Roberto Lauricelli Comite evocati advenerant, dimicaturus venit. Ubi Græcis bellum detrectantibus vel ob id, quòd Roberti copiæ nondum eis auxilio advenerant; Rex prælium contra invitos ſuſcipiens, licèt principio quidem ancipitem pugnam experiretur, impares tamen numero, & viribus Græcos fudit, ceciditque, quorum partem cum Ducibus Panormum tranſvehi imperavit. Rex ea potitus victoria con-

In Apuliâ liber dimiſſus.

Rex cōtra Græcos movet.

tra Barum oppidum, quod ab eo jam deſciverat, & arcem Regis

Barium funditùs delet.

oppidani demoliti fuerant, exercitum transfert. Barenſes ſeſe inferiores regiis copiis confeſſi, depoſitis armis, inermes victori occurrunt, veniam precantur. Rex itaque urbem ingreſſus, ubi arcis ſuæ ruinas conſpicit: Juſto (inquit) judicio vobiſcum agam, ut ſicuti vos domui meæ non pepercistis, ita nec me veſtris parcere æquum ſit. Atque ita duorum dierum ſpatio eis cum omni ſuppellectili liberè abeundi conceſſo, funditùs urbem delevit.

Barenſis excidii fama Robertum Lauricelli Comitem, alioſque proceres, qui a Rege deſciverant, adeo perterruit, ut relictis oppi-

Robertus, & socii Apulia excedunt.

dis, quæ poſſidebant, extra regni terminos ſuæ ſaluti conſuluerint. Quos imitatus Robertus Surrentinus, qui ſibi Capuam occupaverat, in trajectu fluminis Aquilæ a Riccardo Comite, qui & ipſe defecerat, propter fidem datam captus, Regique traditus, non multò poſt Panormi oculis ab Admirato eſt privatus. Quo facto, Riccardus Comes de Aquila etſi a Rege rebellionis veniam promeruerit, proditoris tamen infamiam non effugit. Guillelmus Rex hoſtibus Græcis, & domeſticis in Apulia devictis, rebuſque in ea parte fœliciter geſtis, Panormum rediit. Ubi Gotfredum Comitem Majonis ſuaſu ocu-

Simon Squillacen. moritur.

lis orbatum perpetuo carceri addixit. Sed & Simon Squillacenſis Comes, qui Policaſtri remanſerat, a Rege Panormum in capitis pœnam evocatus in ipſo itinere fœlici morte deceſſit. (6) Guillelmus Aleſinus, Boemundus Tarſenſis, Robertus Bovenſis, Tancredus præterea, ac Guillelmus Rogerii Ducis ex nobiliſſima pellice filii, & plures alii proceres in palatio Panormi in compedibus tenebantur; quorum aliquibus excæcatis, pleriſque contumelioſè flagellatis, cæteros teterrimis in locis Admiratus detruſerat, ſuæque libidini deſervire coegerat. Neque his ejus animus quieſcebat, dum Eberardum Comitem ſupereſſe videret incolumem, cui cum nihil criminis imponi

Eberardus lingua, & oculis privatur.

poſſet, ex calumniis occaſionem prodendi eum cepit. Cum namque aliquando Eberardus cum paucis venatum exiſſet, Admiratus eum actionis calumnioſæ causâ ſatis accommodâ amplexus, confeſtim Regem adit, Eberardumque cum multitudine militum urbe abſque Regis conſenſu receſſiſſe, pro deſcitionis manifeſto argumento inſimulat. Quare continuò nuntiis a Rege miſſis reus ab itinere revocatus in vincula conjicitur, nec multò poſt effoſſis oculis lingua etiam privatur.

Majo itaque viris fortibus, ac proceribus omnibus, qui ſibi impedimento potuiſſent eſſe, jam ſubactis, ſublatiſque ad maturandum facinus, quod neceſſitate ductus diſtulerat, tutò accingitur, priùs

Majo sibi populum conciliat.

tamen populum ſibi largitionibus, muneribus, dignitatibus, quò ſibi contra nobiles, & ad regnum occupandum faverent, conciliare pergit. Simonem Seneſcalcum ſororium ſuum toti Apuliæ, & Neapolitanæ regioni præficit. Stephanum quoque germanum fratrem claſſis Præfectum, ac Admiratum inſtituit. Ipſe interim indigentibus multa largitus, facilemque ſe omnibus præbens, ac legatos undecumque venientes humaniter excipiens, milites bello ſtrenuos Italos, Langobardos, ac Francos, quorum opera ad facinus peragendum ſatis indigebat, ad ſe allicit, clericos etiam magnis honoribus, beneficiiſque evehit. Interea Robertus Lauricelli Comes, qui extra Apuliæ fines ſeceſſerat, Apuliam crebris incurſionibus populabatur. Quò Rex exercitum mittere coactus, victoriaque potitus, hoſtes plures, & cum

eis

Rex rebelles ſuperat.

eis copiarum Ducem Riccardum Mandra, & Epiſcopum Theatinum cepit, Panormumque deductos ad ſupplicium pertraxit. Per idem quoque tempus inter Emmanuelem Conſtantinopolitanum Imperatorem, & Guillelmum Regem fœdus hac lege initum eſt, ut hinc inde captivi redderentur. Quo facto, omnibuſque jam hoſtibus devictis, Majo cunctas difficultates ſuperaverat, & non modò Admirati, ſed Regis etiam dignitate tuto fungi videbatur, omneſque Guillelmi jam ineptias, inſanias, ac tyrannides non clam, ut ante, ſed palam traducebat, deridebatque. Quòd ſi durius quid eis, præter cætera omnia, Rex præcipiebat, ipſe confictò edicto id ſua quaſi authoritate revocabat, quo plebis animos ad ſe a Rege pelliceret.

Africa urbs a Saracenis obſeſſa.

Circa ea tempora Africam urbem, quam Mahdiam Saraceni appellant, quamque Guillelmus Rex a Rogerio Rege patre captam adhuc tenebat, Abdul Mumen Rex Marocci magno ſecum Maſmudorum Saracenorum, qui Atlantis montis, & Marocci Regiones incolebant, comparato exercitu, duriſſimè terrà, marique obſideret, claſſem centum ſexaginta triremium, cui Gaytus Petrus Eunuchus nomine quidem, & habitu Chriſtianus, animo verò, ac re Saracenus præerat, ex Hiſpaniis revocatam contrà Rex emiſit. Abdul Mumen Rex inopinato Chriſtianæ claſſis adventu perterritus, intra caſtra coegit exercitum, claſſem verò ſexaginta triremium in terram ſubduxit. Quòd ſi Chriſtiana claſſis primo appulſu ex uno latere, obſeſſi verò portis effractis ex alio latere in Maſinudos, ut rei militaris uſus ſuadebat, irruiſſent, victus proculdubio, fuſuſque Saracenorum ceſſiſſet exercitus. Sed contra accidit. Nam Petrus Siculorum triremium Præfectus certam Chriſtianis victoriam invidens, ultro, cum victor eſſet, in fugam, cunctis ſtupentibus, converſus, vela dedit ventis. Quem cum cætera claſſis ut invita, ita & ægrè ſecuta eſſet, Saraceni de proditoris dolis jam facti certiores, triremibus illico in mare coactis, fugientes inſecuti, ſeptem triremes e noſtris capiunt, cæteris fœdè, ac turpiter in Siciliam fugatis.

Petrus Gaytus rè malè gerit.

Hæc victoria ſicut Saracenorum animos extulit, ita Chriſtianorum militum, qui urbis præſidio erant, fiduciam plurimùm dejecit, cum pauci eſſent, & commeatus etiam inopia premerentur. Verùm cum veterani bello ſtrenui, & inexpugnabiles eſſent, nihil eorum, quæ in tanto rerum diſcrimine virtus potuit, omiſerunt. Nam non ſolùm acerrimè Saracenis obſiſtebant, ſed & urbe frequenter egreſſi nonniſi multa hoſtium ſtrage edita, intra mœnia ſe recipiebant. Quorum fortitudo invicta Abdul Mumenum Saracenorum Regem, jam conſumptis quæ ad expugnandam urbem erant neceſſaria, ad obſidionem ſolvendam impulerat, niſi per transfugam quemdam obſeſſis alimenta omnia deficere, ac jam tum ad equorum, canum, aliorumque immundorum animalium ingluviem pervaſiſſe inopiam, cognoviſſet; atque ita mutato conſilio, Chriſtianos omni via, eorum etiam ipſis propoſitis incommodis, ad deditionem, ac ad dupla etiam, ſi vellent in Africa manere, ſtipendia invitare cepit; quòd ſi etiam in Siciliam redire mallent, liberum eis, conceſſis etiam ad id navigiis, trajectum pollicitus. His auditis, Chriſtiani milites ad deliberandum triginta dierum inducias impetravere, atque in eo temporis intervallo miſſis ad Guillelmum Regem in Siciliam Legatis, ſi auxilia non haberent, deditionem ſe facturos promiſerunt. Itaque miſſis Panormum eorum nuntiis, urbis periculum, & famem extrema

Chriſtiani ſe ſtrenuè defendunt.

Deditionē paciſcantur.

mam exponunt, ſuppetias, aut frumentum ſaltem ad tolerandam obſidionem poſcunt. Sed Majo, qui falsò Regi perſuaſerat, ſe ſatis frumenti ad unius anni commeatum Africæ urbi tranſmiſiſſe, palam majores ſumptus toto anno Regi Africam, quàm omne regnum emolumenti præbere querebatur. Quòd ſi ea ab hoſtibus caperetur, nihil mali Regem paſſurum, ſed potiùs lucrum. Ita igitur inauditi ſupplices ad Africam redierunt. Reverſis igitur abſque re frumentaria legatis, cum Chriſtiani milites famem diutiùs ſufferre nequirent, ad pactum diem, prout convenerant, urbe Abdul Mumeno Regi tradita, in Siciliam cum largitiè ad transfretandum a Saraceno Rege navigiis trajecerunt.

Liberi in Siciliã trajiciũt.

Interea cum nefaria Majonis regnandi cupido, atque conjuratio eò proceſſiſſet, ut diadema, aliaque regni inſignia, quæ ſibi ad rem paraverat, multis palam etiam oſtenderet, nec quiſquam tamen tam apertam machinationem Regi detegere auderet, vel ob id, quod non modò id non perſuaſum iri, ſed & quantum diſcriminis Eberardo Comiti, aliiſque aliquot proceribus contigiſſet, certò ſciebant, indignitas rei omnium mentes ita adverſus Majonem commovit, ut Proceres plerique in Apulia communi conſilio, quod palam non poſſent, id clandeſtina in Majonis mortem conjuratione anniterentur. Erant hi Johatas Comes, Riccardus de Aquila Comes Fundanus, Rogerius Acerranus Comes, Gilbertus conſanguineus Reginæ, quem Rex nuper ex Hiſpania advocatum Gravinæ Comitatu donaverat, Marius quoque Burellus vir diſertiſſimus, Salerni ad populum habita oratione, ad idem jurejurando promittendum plebem adegit. Tum multi alii toto regno nobiles, civitateſque, & oppida cum eis fœdere, & ſacramento ſe adjùnxerunt.

In Apulia fit cõtra Majonẽ conjuratio.

Cæterùm Andreas de Rupecanina exul, cum congregato exercitu, Aquinum, Sanctum Germanum, & quædam alia Regis oppida ſibi occupaſſet, paulò poſt ab oppidanis, qui ſponte eum receperant, circumventus, mortis periculum vix evaſit. Melphenſes præterea excitati decreverant nulli deinceps Majonis mandato parere, nec in ſua urbe Præfectum, quem idem Majo aut militibus, aut regionibus præfecerat, recipere. Tota igitur Apulia his rumoribus æſtuans in Majonem conſpiraverat. Sicilia ſola quieſcebat; quippe quòd in ea Procerum nullum Majo reliquiſſet, cui ad tam arduum facinus aggrediendum animus ſupereſſet. Nam Comes Sylveſter Rogerii primi Siciliæ Comitis ex filio nepos, etſi Apulorum probaret conſilium, quibus etiam ſacramento ſua auxilia in actione promiſerat, domi tamen delituit, ne vel minima ſuſpicione notaretur. Rogerius quoque Creonenſis Comes, cujus filiam Majo conſtupraverat, injuriæ ſuæ vindictam patienti diſſimulatione, in opportunum tempus rejecerat, aut aliis reſervabat.

Melphenſes.

Siculi Proceres quieſcunt.

Majo ubi contra ſpem ſuam Procerum vires in Apulia in immenſum creſcere animadvertit, Melphim primùm, Surrentum, Neapolim, deinde Tarentum, Hydruntum, Brunduſium, Barolum, urbes maritimas, quæ nondum apertè deſciverant, per literas Regias monet, ut in fide perſtent, neque Comitum, ac proditorum rumoribus autem præbeant. Sed cum eò res deveniſſet, ut Regis literas, quas non Regis, ſed Majonis proditoris & manu, & conſilio ſcriptas eſſe perſuaſiſſimum habebant, nemo ſuſciperet, vana hæc illi in ſcribendo ſolicitudo fuit. Proinde cum eâ viâ nihil proficeret, Stepha-

Majo fruſtra eos cõpeſcere tentat.

phano germano fratri in Apulia Præfecto, ſcripſit, ut duplicatâ ſtipendiorum largitione, ac lucri ſtudio milites ad obſiſtendum Roberto, cæteriſque Comitibus invitaret. At cum Simonem Seneſcalcum in quoddam munitiſſimum oppidum ſe Comitum metu recepiſſe cognoviſſet, ſeneſcentibus jam malis, aliâ viâ incedendum ratus, Mazarienſem Epiſcopum Melphim, ac in Apuliam Legatum miſit, cujus authoritate Apulorum animos in officio continere poſſe ſperabat. At ille non modò eorum indignationem non compeſcuit, ſed cum pejora de Majonis proditione, & vitiis, quàm illi audierant, deferret, auxit etiam iras, permovitque ad acerbiora. *Mazare Epiſc. ejus Legatus.*

Interea cùm Calabria quoque, cujus antea fides inconcuſſa ſemper extiterat, Apuliæ procellis agitari cepiſſet, ea res Majonis terrorem ultra modum exaſperavit. Quocirca de idonea Legatione, qua principiis hiſce obſiſteretur, apud ſe ſtatuendum maturè cenſuit. Erat ei gener Matthæus Bonellus genere Siculus, nobilitate inſignis, multorum oppidorum Dominus, affinitate cum pluribus Calabriæ proceribus conjunctus, integræ apud omnes opinionis, militiâ, ultra quàm ætas exigeret, ſtrenuus, qua magnum jam inde ſibi nomen pepererat, ſed inconſtans animo, cui adoleſcenti Admiratus, quòd eum non ſecus quam filium diligeret, filiam ſuam adhuc parvulam deſponſaverat. Is verò cujuſdam Regis Rogerii ex pellice filiæ, quæ Hugoni Moliſino Comiti nupſerat, forma captus, deſponſatæ ſibi ab Admirato virginis, eo quòd ignobilis eſſet, ceperat nuptias abhorrere. Quod cum Admiratus reſciſſet, palatium Comitiſſæ diligentiùs cuſtodiri præcepit, ne, ſi ad eam aditus amatori fieret, filia ſua repudium pateretur. Quæ omnia tacitè eumdem Matthæum offenderunt. Cum tamen immutatæ voluntatis indicia nulla in eo animadvertiſſet, Majo hunc unum ad tam arduum negotium deligens Legatum ad Calabros miſit. Matthæus, ſuſcepto legationis officio, Calabriam trajecit. Cæterùm dum ibi populum, indictâ concione, adventus ſui causâ expoſitâ, ad Majonis innocentiam tuendam miro lenocinio perducere nititur. Rogerius Marturanus magnæ eo tempore authoritatis in Calabria vir, omnium, qui aderant, nomine ei reſpondit: Se ſatis mirari, Matthæum Bonellum, virum alioqui & genere claro, & virtute inſigni præditum, Majonem inſontem aſſerere, quem palam omnium voce Regis proditorem eſſe conſtet, quinimò econtra, ipſum uti Regis fidum familiarem decere, Principis ſui decus vindicare, vitam tueri, ac demum proditorem de medio tollere. His, & id genus aliis artificioſis, prolixiſque ſermonibus Matthæus Bonellus pertractus, ab officio ſuſcepto ad communem ſententiam reductus, Majonem certo die ſe interfecturum Rogerio, aliiſque, qui aderant, proceribus ſacramento pollicitus, receſſit. *Matthæus Bonellus.* *Legatus Majonis in Calabr.* *Illû interfectùrû pollicetur.*

Nec minùs interea de Rege interficiendo Admiratus ſolicitus tenebatur. Verùm cum jam dies facinori dictus inſtaret, atque ipſe de more cum Hugone Archiepiſcopo de amovendo Rege, de filiorum ejus cuſtodia, de ſervandis theſauris, qui ingentes erant, de ſedandis populi rumoribus conſilia capiunt; tandem de theſaurorum, puerorumque cuſtodia, quos uterque uti ſibi debitos penes ſe eſſe volebat, contentio oritur. Jamque in longum protractâ controverſiâ, cum neuter alteri cederet, Admiratus tandem Archiepiſcopo fœdum in Regem propoſitum prætexens, jam ſe incepti facinoris penituiſſe dixit. Hugo, etſi hæc ex animo Majonem non fuiſſe locutum ſuſpi- *Majonis, & Hugonis Arch. inimicitiæ.*

ca-

caretur; aſſenſum præbuit, conſpirationemque diſſolvere ſimulavit. Majo deinde Regem, ut ab Archiepiſcopo uncias auri ſeptingentas extorqueret, induxit. Quo cognito, Archiepiſcopus tantæ injuriæ vindictam contra Majonem ſuſcipiendam ſtatuit. Atque ita qui fraterno modò erant fœdere aſtricti, nunc alter alterius morti clam inhiant. Admiratus illum veneno, Archiepiſcopus hunc plebejo furore ob inceptum contra Regem facinus, extinguere tentat.

Seſe mutuò perdere procurant.

Sub idem tempus Nicolaus Logotheta, qui in Calabria Regis loco præſidebat, conjurationem Matthæi Bonelli Majoni longo ordine perſcribit. Quod etſi primùm ob ſummum, quo Bonellum proſequebatur amorem, non crediſſet, poſtmodum verò pluribus fide dignis identidem ſibi referentibus (etſi ægrè) fidem tandem adhibuit, atque Bonellum ulciſci omnino deliberat. Interea Bonellus e Calabria reverſus Thermas oppidum, quod Panormo 24. paſſuum millibus abeſt, appulerat. Ubi cum ex milite quodam probatæ ſibi fidei, quem Panormi reliquerat, Majonis in ſe conſlatum, ac ardens odium didicit, callidè ſtatuit non priùs Thermis abſcedere, quàm Admirati mentem explorando prælеniret. Proinde per literas, & nuncium ſedatas eſſe ſuâ operâ Calabriæ ſeditiones, Majonem certum reddit. Proceres omnes, & imprimis Rogerium Marturanum amiciſſimos ei factos, atque ad peragendum quicquid ipſe præciperet, paratos. Rogatque, ut pro tantæ rei beneficio, & triſti belli principio ad lætos exitus a ſe perducto, redeunti filiæ ſuæ nuptias, quas tanto tempore diſtulerat, paret, & promiſſi conjugii gaudiis venientem excipiat. Quibus literis allectus Majo ſententiam mutat, non veriſimile ratus eum, qui filiæ ſuæ nuptias expetebat, mortem ſocero moliri, atque in eos, qui Bonello crimen impegerant, irritatur, eique reſcribit, ut ſemoto metu, Panormum veniat, voti, ac deſiderii compos futurus.

Bonelli conjuratio detecta.

Majoni inveriſimilis viſa.

Itaque Bonellus ubi Panormum venit, ab Admirato benignè ſuſceptus eſt. Subinde clam Hugonem Archiepiſcopum febribus correptum adit, eique quid in Calabria cum Proceribus tractaſſet, aperit. Ille, ut rem acceleret, admonet, urget. Is verò nullius admonitionis indigus, facinori perpetrando nonniſi tempus idoneum quærit, nec occaſio quæſita ſibi defuit. Nam cum decumbenti Hugoni Admiratus venenum propinari juſſiſſet, & ille fraude ſuſpecta non abſorpſiſſet, miratus Majo, quòd tardiùs moreretur, idque ex potionis exilitate eveniſſe ratus, cicutam multò præſentiorem parat, quam ſecum deferens, horam diei circiter undecimam Archiepiſcopum domi viſit. Erant autem ejus ædes, quæ mea ætate in cœnobium Divi Franciſci monialium tranſlatæ inter templum maximum, & Papyritum amnem ſitæ Abbatiæ novæ vulgò nomen retinent. Igitur Majo ægrotantis grabato propiùs aſſidens, dum de ſtatu ſuo eum rogat, celerrimè incolumitatem eum adepturum, ſi pharmacum nunquam ad ejus ægritudinis genus non probatum remedium coram eo diligentiſſimè paratum accipiat. Archiepiſcopus ſuſpectum eum habens, ad hæc: tanta ſe corporis ſui debilitate teneri, ut non ſine ſui maximo periculo iterum pharmacum etiam per medicos decretum ſumere poſſit, reſpondit. Interea in tantum temporis eorum colloquia proceſſere, ut ſol jam occiderit.

Venenū Majo fruſtra Hugoni parat.

Tum Archiepiſcopus nuntium Matthæo Bonello mittit, qui tempus patrandæ rei jam adveniſſe nuntiet, milites ſuos clam paret, paratos diſponat, ſe interim Majonem variis ſermonum ambagibus de-

Bonellū Hugo ſollicitat.

ten-

tenturum, dummodo ipſe ut vir fortis agat. Bonellus accepto nuntio nihil moratus, in penitiorem domus partem militibus convocatis rem conceptam aperit, paucifque hortatur, ut omni metu, periculoque vacui ad facinoris tam egregii gloriam forti animo ſe accingant. At milites longa oratione nihil indigentes, quippe quos ad rem peragendam & fides data adſtrinxerat, & Majonis dudum incenderat odium, ac lucri a Matthæo promiſſi ſpes ardentiſſimè inflammaverat, nihil detrectarunt. Horum itaque plures in via cooperta, ac teſtudinata ab Archiepiſcopi ædibus ad Regis uſque palatium protenſa, quà Majonis fuga timeri poterat, per congrua loca diſponit. Deinde viam, qua ad ſuas erat tranſiturus ædes, quæ illæ (utì exiſtimo) ſunt, quas ætate mea Georgius Bracchus inhabitabat, occultis præmunivit inſidiis, nec cæteras plateas, angiportuſque, ne quà fugere poſſet, ſegniùs obſervandas curavit. Turbæ quoque, quæ Majonem ſequi debebat, quoſdam immiſcuit, ipſe verò cum paucis ad portam urbis, quæ Sanctæ Agathæ de Guilla eo tempore dicebatur, quæque hodie ampliata ea parte urbis nulla eſt, exeuntem ab Archiepiſcopo Admiratum prævenire propoſuerat; eum namque locum, quòd ibi via plurimùm coarctata, deinceps ſeſe in trivium dividebat, inſidiis maximè opportunum judicabat. *Bonellus inſidias diſponit.*

Interea cum inter Hugonem, & Majonem tunc ſuis ſermonibus hic amorem ſuum, curamque, quam de ſalute ægroti non minorem, quàm de ſua habere jurabat, ille commendando amicum, laudandoque, ac morbi periculum querendo, jam pluribus horis pertractis, in multam noctem conſediſſent. Admirato tandem infecta re, quam propoſuerat, ne importunior eſſet, viſum eſt diſcedendi tempus. Abeunte itaque illo, Archiepiſcopus fores diligenter obſerari juſſit. Ille verò obequitans cum Epiſcopo Meſſanenſi, qui ei a latere proximus equitabat, cum prope locum inſidiarum in viæ anguſtias incidiſſet, a Matthæo Notario patriâ Salernitano, & in familia a votis, & Adenulpho a cubiculis, qui vix ſequentem multitudinem perrumpentes ad eum pervenerant, Matthæum Bonellum in paratis inſidiis cum militibus eſſe didicit. Quo nuntio perculſus Majo primùm conſtitit, mox reſumptis animis, Matthæum ad ſe edita voce accerſiri jubet. Bonellus, ut ſua conſilia detecta conſpexit, ex inſidiis proſiliens, ſtricto gladio in illum ſubito impetu ferox ſupervenit. Coram (inquiens) o proditor, quem requiris, adſum ſceleribus tuis finem impoſiturus, qui uno ſimul ictu in te tam Admirati, quàm Regis adulterum nomen abradam. At Majo etſi in re tam ſubita animo prorſus dejiceretur, primum tamen enſis ictum in alteram deflaens partem evaſit, ac irritum fecit. At Bonellus vehementiori impetu in eum iterum irruens, fruſtra orantem, generique fidem implorantem percuſſit. Ille accepto lethali vulnere humi confoſſus corruit, occubuitque. *Majo ab Hugone diſcedit.* *De inſidiis ſit certior.* *A Bonello interficitur.*

Qui in ejus comitatu erant, ſimul & Epiſcopus Meſſanenſis ceſo Admirato, quà quiſque potuit, diffugerunt. Matthæus quoque Notarius vix inter noctis tenebras graviter vulneratus effugit. Bonellus, ejuſque milites re proſperè, & ad votum patrata, cum incertum haberent, quo id factum animo Rex eſſet accepturus, Panormo ipſa nocte profugi Caccabum, quod illius erat oppidum, pervenerunt. Cognita Majonis morte, tota civitas in gaudium ſupra quam ſcribi poſſit, effuſa, tunc primum apertum in Majonem odium declaravit. *Qui Caccabū profugit.*

Ejus mors Regi nuntiatur. ravit. Guillelmus Rex ingenti ea nocte, inſolitoque ab arce plebis tumultu excitus, quid novitatis in urbe accidiſſet, mirabatur. Cui Oddo ſtabuli Magiſter rem omnem ordine nuntiavit. Indignatus eſt quidem prima fronte Rex, non tamen ſine proditionis, cujus ille inſimulabatur, ſuſpicione, quam ad ſe priùs deferri debuiſſe querebatur. Margarita verò Regis uxor, quæ plurimum Majoni tribuebat, impatientiùs, moleſtiùſque ejus mortem ferens, in Bonellum, ejuſque ſocios vehementer exarſit.

Interea Regis juſſu delecti ſunt milites, qui Admirati domum cuſtodirent, & urbem tota nocte pervigiles, ne quid ſeditionis inter cives oriretur, percurrerent; evitari tamen non potuit, quin in propinquorum, affiniumque Admirati domos plebs irruens obvia ibi quæque deprædaretur. *Henricus Ariſtippus Majonis loco.* Illuceſcente verò, Rex Henricum Ariſtippum Catanenſem Archidiaconum Latinis, & Græcis literis ſatis eruditum familiarem ſibi delegit, qui vicem, & officium Admirati interea gereret, præeſſetque notariis, & cum eo de Regni negotiis pertractaret. Is igitur, & Sylveſter Comes cum fraudem, doloſque Admirati Regi ordine narraſſent, animum tamen ejus erga Bonellum mitigare non potuerunt, niſi inventa poſtea in ejus theſauris Regia diademata ſcelerum ejus fidem indubitatam feciſſent, per quæ tum demum Rex ſe ab Admirato deceptum liquidò comperit. Proinde re comperta, eodem die e veſtigio capti ſunt uterque Stephanus, Majonis alter filius, alter germanus frater cum Matthæo Notario, quo *Socii Majonis capti.* plurimùm utebatur familiariter. Tranſlati quoque ſunt ad arcem Regiam theſauri quotquot in proditoris domo ſunt inventi. Andreas Eunuchus, & plerique alii tormentis acti multa fraudis publicæ indicia depoſuere. Stephanus quoque ejus filius in carcere nimis adactus nihil jurejurando ſcire ſe affirmavit, niſi Epiſcopum Tropenſem mutuò a patre trecentas auri uncias accepiſſe. Accitus Epiſcopus non modò eas, ſed & tarenorum ſeptingenta millia a Majone recepta Regi reſtituit.

Poſt hæc juſſu Regis Caccabum ad Bonellum miſſi ſunt legati, ut omni metu depoſito Panormum properet; Regem namque Majonis mortem poſt deprehenſa ejus facinora acceptàm habuiſſe. *Bonellus a Rege Panormum revocatur.* Bonellus etſi in Rege parùm confideret, plebis tamen, & Procerum favore fretus, militibus inſtructus Panormum auſus eſt venire. Urbi appropinquantem viri, ac mulieres turmatim magno applauſu, ingentique gaudio veluti patriæ, ac Regis liberatorem excipientes, ad Regem perduxere. A quo benignè, ac priſtinâ benevolentiâ ſuſceptus, eâdem quoque populi frequentiâ domum adductus eſt. Atque ita malefidi hominis digna occiſione non modò in Sicilia, verùm & tota Calabria, & Apulia, & Campania adeo ſibi plebis, procerumque animos conciliaverat, ut ejus univerſi virtutem, ac audaciam cum admiratione extollerent, ac a Rege rebellandi voluntatem omnem penitùs abjicerent. Siculi verò, ac Panormitani præſertim, adeo eum venerabantur, ut palam edicere non vererentur, ſeſe etiam adverſus Regem, ſi ob Admirati cædem in eum ſeveriùs animadvertere præſumpſiſſet, arma ſumpturos.

Hugo Archiep. moritur. Interea cum Hugo Archiepiſcopus longa fatigatus ægritudine mortem obiiſſet, cujus ope, & conſilio Bonellus plurimùm valebat, Eunuchi palatii, qui machinationum Admirati in Regem & conſcii, & participes fuerant, potentiam Bonelli ſuſpectam habentes, omnibus

bus artibus in id incumbebant, ut Rex adverſus eum concitaretur. Freti itaque Reginæ conſilio Guillelmo ſuggerunt, Bonellum viribus, & favore non modò Siciliam, ac proceres omnes, qui Regem offenderant, ſed & Apuliam, & Calabriam omnem juramento, occultiſque fœderum legibus obſtrinxiſſe, ut Rege ſublato, in libertatem omnes aſſererent; & niſi providè ſuccurreretur, quocumque ſervor animi, cupiditas gloriæ, & populi impetus traheret, eò graſſaturum eſſe eum, qui jurisjurandi, & affinitatis jure poſthabito, Majonem ſocerum ſuum prodiderit, & interfecerit, virum utique innocentem, magni conſilii, Regis denique dexteram. Tum falſa eſſe confirmabant quæcumque ipſe, ejuſque ſocii adverſus Admiratum confinxerant. Nec Majonem inventa in theſauris ſuis diademata ſibi paraviſſe, ſed Regi, quæ Kal. Januarii pro ſtrenis, juxta morem, ei tranſmitteret. Proinde a Matthæo Bonello tot fœdera, tot ſocietates non in Majonis ſolùm exitium initas, ſed aliò etiam tendere, majus quoddam ambire, altiùſque conari ejus conſilium. *Bonel. in Regis ſuſpicioné adducitur.*

Hæc, & hujuſmodi alia ab Eunuchis frequenter inculcata Regis animum ita contra Bonellum immutarunt, ut neque jam amplius inter familiares eum admitteret, neque Majonem alia de cauſa ab eo interfectum Rex crederet, niſi ut liberiùs cum ſociis quod ſecum ſtatuerat, exequeretur. Cujus tamen vindictam, dum tepeſceret populi ſervor, differebat. Interim nihilominus ſexaginta tarenorum millia, quos curiæ ex ſponſione pro receptione ſui patrimonii promiſerat, ab eo repeti jubet, quorum ſolutionem Admiratus generò parcens clam Rege eòuſque diſtulerat. Itaque Bonellus inopinata, repentinaque debiti veteris exactione percuſſus, ſimulque videns ſolito rariùs ad Regem ſe vocari, ac ne pro more admitti, dubitabat quid hæc novitas portenderet, quem & ſcrupulum auxit, quòd Adenulphum Camerarium Majonis plurimùm apud Regem poſſe, & tam hunc, quàm alios hoſtes ſuos inſolentiùs, apertiùſque quàm conſuetudo pateretur, odium in ſe exercere videbat, quæ aut ſine conſenſu, aut ſine inſtinctu Regis fieri, perſuadere ſibi non poterat. * Nam eò furoris, & audaciæ jam proceſſerant, ut Philippus Manſellus Adenulphi nepos cum militibus armatis viam marmoream noctu perambulans a pleriſque viſus fuerit, domum Bonelli, quæ in eo erat vico, ſeriùs pertranſire. Quod ubi Bonellus pro certo cognovit, ſequenti nocte milites ſuos & circa ſuam, & circa Adenulphi domum per viam coopertam uſque ad portam Yhalgæ ita diſpoſuit, ut nullo metu ſe teneri, & æmulorum ſe non ignorare conſilia oſtenderet. *Qui inter familiares eū nō admittit.* *Veteris debiti exactione vexat.* *Aversú Regis animú Bonellus noſcit.*

His igitur, aliiſque compluribus rerum indiciis de voluntate erga ſe Regis certior, ſibi maturè providendum cenſet, antequàm deliberandi libertas ſibi invito auferatur. Matthæo de Sancta Lucia Conſobrino, multiſque aliis Siciliæ Proceribus, qui literis ejus acciti Panormum convenerant, omnes ſuas moleſtias ordine retulit, jamque ſe Eunuchorum odiis laceſſitum, a Rege etiam ad veteris debiti ſolutionem urgeri, a quo conſervatæ ſalutis præmium expectabat, rogans eos per fidem amicitiæ, fœderiſque nuper inter eos firmati religionem, ne ei, qui pro ſalute Regni nihil periculi detrectaverit, de ſua ſalute periclitanti deſint. Admonuit etiam maturè capiendum eſſe conſilium, ut hoſtium dolos, Regiſque deliramenta præcaveant. Siquidem unius fuerint animi, omnem fortunam communi velint conſtantia ſuſtinere, nunquam a ſe plebis animos, nun- *Proceres auxiliatú evocat.*

quam militum gratiam defecturam, ac denique nil eis præter ſententiam ceſſurum; ſin verò diſſimulando ſubterfugere quiſque maluerit, neminem eorum, qui in mortem Majonis conſenſerint, evaſurum.

Procer. in Regē conjurant.

At illi tantarum rerum novitate permoti, cum mirarentur, & graviſſimè ferrent inde ſibi periculum, & ingratitudinem emerſiſſe, unde meritum ſperabant, præcipuè indignabantur Adenulphum eò lapſum audaciæ, ut in Matthæum Bonellum manifeſtas auderet inimicitias exercere. Tum verò putabant tantam cauſam deinceps non habendam eſſe neglectui, aut ejuſmodi Regis tyrannidem, inſaniamque oportere diutiùs ſufferri. Quibuſdam itaque impetu, pleriſque conſilio rem tentandum conſulentibus, conſilium prævaluit, placuitque conjurationis ſocios adhiberi Simonem Comitem Rogerii Regis ex pellice, Tancredumque (7) Ducis Rogerii Guillelmi Regis fratris præmortui filios, quorum utrumque quicquid adverſus Regem decretum foret, ſecuturos ſciebant; illud quidem, quòd Principatum Tarenti contra patris teſtamentum ei Rex abſtulerat, aſſerens patrem in multis erraſſe, ſpuriorum amore deceptum. Hunc verò, quòd eum inter palatii muros Rex detinebat incluſum, ejuſque etiam frater Guillelmus non ſine Regis magna invidia nuper obierat.

Jurejurando ſe invicè adſtringunt.

Hos igitur ſibi Matthæus Bonellus, pluresque alios Comites, ac potentes viros, in quibus & Rogerium Avellini Comitem Regis conſanguineum jurejurando ſibi aſtringit, confœderatque. Fœderis autem hæc erat ſumma, ut primò Regem caperent, captum vel in inſula aliqua, vel alio loco ſecretiori includerent obſervandum, ac demum Rogerium Regis primogenitum Ducem Apuliæ novennem fere puerum Regem crearent, rati populo id gratiſſimum fore, quòd nihil malignandi animo gerere viderentur, ſi patri Tyranno ob facinora ſua ſublato filium ſuum ſubſtituant. Ad hoc autem facillimus patebat aditus, ſi Malgerium palatii Præfectum largitionibus poſſent corrumpere, alioqui parùm proceſſura res videbatur, cum ille trecentos ferme milites ſecum haberet aſſiduæ arcis cuſtodiæ deputatos, qui ſic erant per portarum anguſtias diſtributi, ut quantumvis ingentem numerum militum ab ingreſſu facilè arcerent, & ſi furtim aliquos ingredi contigiſſet, certum foret ibidem eos ſine ſpe ſalutis intercipi.

Palatii cuſtodē corrumpunt.

At cum ingenio eſſet Malgerius maximè auſtero, & ab omni comitate alieno, timebant rem tam ſeriam dubia ſpe illi credere, & idcirco aliò conſilium convertunt. Erat in arce Malgerii miniſter Gavarectus vulgò appellatus, in quem omnem arcis cuſtodiam, dum ipſe diſcurſando, ac quieſcendo otium terebat, vicario nomine, rejicere ſolebat. Hunc igitur primùm lucro promiſſo tentant; ut flexum vident, rem ei aperiunt; conſentit ille, ad facinus ſe miniſtrum offert. Proinde patrandi ſceleris is erat ſtatutus modus. Præfixo die carceri addictos vinculis abſolvat, eoſque ad rem peragendam ſocios aſciſcat, arma illis opportuna provideat, qui, dato ſigno, repente in auxilium proſilirent. His præparatis, Bonellus Miſtrettum oppidum, quod ſui juris erat, profecturus, quò cætera ſua oppida omni commeatu, ac præſidio muniret, ſocios præmonuit, nequid ſe abſente tentarent, nec cuiquam alteri rem tantam crederent, ſed reditum ſuum præſtolarentur.

Diſcedente Bonello, ex ſociis quidam monitorum immemores

rem

Digitized by Google

Eam militi incertæ fidei, ſed amiciſſimo aperiunt. Ille alteri, qui fortè, eo ignorante, unus erat e conjuratoribus, rem ſibi ſignificatam indicavit, facinus deteſtatus, quod Siculis omnibus non ſolùm perpetuam proditionis infamiam, ſed & jacturam pariturum foret. Ille, ut vafro erat ingenio, non ſe manifeſtavit; quinimo & hominem laudavit, qui tam nefario ſceleri non conſentiret. Sed quamprimùm ab eo explicari potuit, Simonem Comitem, alioſque conjurationis principes adit, rem refert, conſilium, ut ea nocte capiant, hortatur; illuceſcente enim ad Regem proculdubio conjurationis indicia perventura, niſi maturetur. Conjuratores moræ periculum veriti, cum temporis anguſtia Bonellum e Mistretto oppido evocari non pateretur, per ſeipſos facinus edere ſtatuunt. Gavarettum igitur præmonent, ut die ſequenti carceri mancipatos circiter horam tertiam, qua Rex in ampliorem locum cum Ariſtippo de ſtatu Regni diſſerturus exire ſolebat, educat, atque ita Gavarrectus horâ indictâ viros nobiles, quos jam armis inſtruxerat, vinculis educit, Principibus ante in palatium introductis. Illi Simonem Comitem, qui cum in palatio nutritus fuiſſet, viarum anfractus cognoſcebat, ſecuti ad eum locum, ubi Rex cum Ariſtippo colloquia habebat, pervenerunt.

Conjuratio detegitur.

Conjurati ad Regem perveniunt.

Rex cum primò Simonem Comitem fratrem nothum, Tancredumque Rogerii fratris præmortui filium ad ſe pergentes vidiſſet, indignatur primùm eis aditum patuiſſe, miratuſque quid vellent, ubi tandem vidit reliquam eos multitudinem armatam comitari, rem, ut erat, mente concipiens, fugere cœpit; ſed a conjuratoribus repente concurrentibus comprehenſus eſt, quem cum Guillelmus Comes Aleſinus, & Robertus Bovenſis ſtrictis enſibus ad necem depoſcerent, rogavit eos, a quibus tenebatur, ne ſe interfici paterentur, cum ultro ſe regno abdicare polliceretur. Tum Riccardus Mandra irruentium impetum propulſans, Regem vetuit occidi. Rege capto, & fidæ cuſtodiæ aſſignato, conjuratores ad penetralia palatii ingreſſi diripere, & prædari cœperunt, ſubinde in Eunuchos Regis prolapſi cunctos interfecere. In Saracenos poſtea, qui urbem inhabitabant, impetu facto, eorum bonis direptis, omnes occidebant. Quorum plerique relicta urbe veteri, quam eo tempore mediam appellabant, in eam urbis partem, quæ trans Papyretum eſt, ſecedentes fortiter ob viarum anguſtias Chriſtianis obſiſtebant. His geſtis, conjuratores Rogerium majorem natu Regis filium, quem pater antea Ducem Apuliæ creaverat, eductum ab arce per totam urbem in equo albo, veluti Regem, circumducunt, quem avi ſui Rogerii auſpiciis regnaturum, & in Regem populi communi conſenſu coronandum, adventante Bonello, qui eo ipſo die expectabatur, conclamabant. Gualterius quoque (1) Archidiaconus præceptor pueri, convocata multitudine, Regis tyrannidem publicè traducebat, juſjurandumque ab omnibus Comiti Simoni, quem Principem appellabant, conjurationis primario præſtandum exigebat. Plerique eum increpabant, quippe quòd & minùs fideliter eum agere dicebant, ſi in cujuſque verba eo rerum ſtatu jurandum foret; id Rogerio puero deberi, quem Regem futurum dicebant. Epiſcopi verò partim palam de eis ſententiam ferre, partim diſſimulare videbantur. Plebs autem cum conjurationem Bonelli conſilio ceptam cognoviſſet, illius adventum avidè præſtolabatur.

Qui Regno cedere promittit.

Eunuchi, & Saraceni cæduntur.

Guillelmi filius Rex appellatur.

Cum

Plebs in conjuratos insurgit. Cum verò Bonellus tranſacto triduo non appareret, cœperunt inter ſe murmurare, ac Regi a paucis prædonibus capto commiſereri. Et cum id indignum, ac ſatis miſerabile, neque a populo ſufferri debere, tum illud multò indigniſſimum, ac nullo modo tolerandum muſcitabant, quòd theſauros ad Regni defenſionem multo labore a Rogerio Rege optimo conquiſitos inde latrones eſſent aſportaturi. Hæc primùm inter paucos jactata ubi per vulgus diſſeminata ſunt, repente omnes veluti divino numine acti, atque ardentiſſimi alicujus Ducis impetum ſequentes, ad arma concurrunt, palatium obſident, Regemque e vinculis, & carcere ſolutum ſibi darî expoſtulant, aliàs ſe de illis non ſecus, quàm de proditoribus ſupplicium ſumpturos comminantur. Conjuratores tam ſubita rerum mutatione territi per muros ſeſe diſtribuunt, inſtanteſque ne propiùs *Armis nequidquà cōpeſcitur.* accederent, molibus ſuper eos dejectis acerrimè depellunt. Verùm cum pauci admodum intùs eſſent, & ambitus palatii diffuſior pro ſui defenſione multò majorem virorum copiam expoſceret, ad preces converſi, quò populi furentis iram, & impetum mitigarent, rogarunt eos, ut dum ſaltem Matthæus Bonellus, cæterique Proceres, quorum id conſilio inceptum fuerat, redirent, ab armis deſiſterent.

At populi ſemel excitatus furor ſedari non pòtuit; cumque magis etiam inſtarent, & acriores etiam minas precibus adderent, oſtendi ſibi Regem depoſcentes, illi populo furenti cedentes, cum Bonellus non compareret, Regem, qui in tetro, occultoque carcere detinebatur, adeunt, & cum eo primùm paciſcuntur, ut liberos ſe, ſalvoſque, & incolumes eſſe permittat, ſi dimitti vellet; mox *Rege inſtanter lib. cum peti.* ad Joariæ feneſtras eum perductum inde populo oſtendunt. Tunc viſo Rege de tantæ dignitatis faſtigio in tantas calamitates prolapſo, in miſerabili habitu, creſcente commiſeratione, totius populi clamor, & tumultus ingens exoritur, portas arcis ocyùs aperiri poſtulant, cenſentque non decere proditores evadere. Rex autem manu ſilentium indicens, jubet eos quieſcere, ſatis (inquiens) ad promerendum, ſatis fidelitatis; deinceps ut arma deponant, imperat. Populus Regi paruit. Itaque tumultu plebis ſedato, reſeratis foribus, conjuratores habita a Rege, quò voluerunt, abeundi poteſtate, Caccabum transfugiunt. Hæc autem repentina varietas magnam malorum brevi tempore toti Regno congeriem attulit. Nam non ſolùm plurimam virorum nobilitatem, & theſaurorum Regis partem exhau*Regis filius ſagitta percuſſus.*ſit, ſed Regni etiam viribus multum detraxit. Rogerius etenim Apuliæ Dux, Regis major natu, paulò ante Rex a conjuratoribus, & populo ſalutatus, dum in eos, qui palatium obſidebant, per feneſtram Piſanæ turris incauto proſpectu caput egerit, ſagitta a Dario hoſtiario percuſſus eſt. Ex quo tametſi lethale minimè vulnus accepiſſet, culpà tamen Regis puer interiit. Nam cum liberato patri puer applaudens occurreret, indignatus pater quòd illum hoſtes quaſi ſibi prælatum Regem appellaverint, a ſe maximo pedis impetu repulit. Puer digreſſus Reginæ quæ a patre paſſus fuerat, retulit, nec diu poſtea vulnere (ex patris percuſſione) lethali facto puer interiit.

Porro Rex tot malis attritus, pudoreque recentis adhuc carceris ſuffuſus, abjecta Regia veſte, dignitatiſque jam ſuæ oblitus, hu*Rex pudore affectus mores mutat.* mi mœrens ſedebat, ignarus quid conſilii in tanto rerum turbine caperet. Reſeratiſque, & inobſervatis palatii foribus, etiam inter medios hoſtes ſine diſcrimine omnes ad ſe venientes benignè, ac familia-

ſtariter admittebat, quibus doloris ſui cauſam recenſens, lachrymas etiam ab iis, qui eum antè oderant, extorquebat. Tandem ab Epiſcopis, aliiſque Proceribus, qui ad congratulandum ei advenerant, monitus, in Aulam, quæ palatio juncta ſubeſt, deſcendit, ibique convocato populo, primùm eorum in ſe fidem commendavit, qui de proditorum manibus eum eripuiſſent, ſubinde ut in ea perſeverarent, hortatus eſt. Quibus adjecit etiam hæc in ſe mala meritò incidiſſe, quòd re divina, præceptiſque poſthabitis, proximum minùs dilexerit, curaturus deinceps, ut errata corrigeret, vectigalia populo a ſe graviter impoſita caſtigaret; quippe quòd diligi, quàm timeri tutius, ſecuriuſque eſſe jamdudum cognoſceret. Cum hæc paucis abſolviſſet, lachrymis ſermonem etiam impedientibus, deſignatus Epiſcopus Syracuſanus vir eruditione, & eloquentia inſignis Regis nomine proliXiùs eadem apud populum propoſuit. Ut verò Panormitanorum animos ſibi arctiùs devinciret, decrevit, ut ex agris collecta, & vinetis quæcumque ad commeatum pertinerent, abſque vectigali in domos liceret inferre, quod plebi gratiſſimum fuit. Ita Guillelmus ſeditione a Regno dejectus, ſceptrum ex inſperato ſtatim recipit. Adeo namque volubilis fortunæ varii, atque ancipites motus exiſtere conſueverunt, ut interdum humana mens ubi deſperatione conſternata conſpicitur, repente inſperata conſequatur. *Emendationē pollicetur.* *Panormitanis vectigalia remittit.*

Interea Panormi nunciatum eſt, Simonem Comitem, Tancredum Rogerii Ducis filium, Guillelmum Aleſinum, Alexandrum Converſanenſem, Rogerium Sclavum nothum Simonis Comitis filium, pluresque alios, qui in conjurationis facinus conſenſerant, cum Mattheo Bonello Caccabi eſſe, ingentemque militum multitudinem cum illis conſpiraſſe. Quocirca Legatus ad Bonellum miſſus Regis nomine quidnam hic militum delectus ſibi vellet, & an conjuratorum conſiliis ipſe adhæſerit, perquiſivit. Bonellus, conjurationis culpa ſe quidem vacare, reſpondit, mirari tamen ſe Regem tot Regni Proceres, & plebem in eam deſperationem adduxiſſe, ut ſæpiùs ab eo læſi in furorem aliquando compulſi fuerint. Nam quòd legem tulerit, ne virginibus abſque Regis venia per parentes nubere liceret, & cæteras id genus alias conſtitutiones juri antiquo contrarias, tyrannicum, atque intolerabile fuiſſe. Quòd ſi Rex his, cæteriſque perniocioſiſſimis a ſe editis legibus abrogatis a Roberto Guiſcardo inſtitutas, & a Rogerio Comite ſuo avo obſervatas in uſum revocaret, nihil periculi fore in eum; ſin verò annuere contempſerit, nullo pacto diutiùs eos hæc perpeſſuros. Rex e contra præ metu nihil ſe abrogaturum; quòd ſi depoſitis armis, & renunciatione conjurationis patefacta, ad ſe veniens recta poſtulaverit, quàm facillimè ſe æqua conceſſurum reſpondit. *Legatū ad Bonellū deſtinat.* *Bonelli reſponſum*

Diſplicuit conjuratoribus Regis reſponſio, qui cum Bonelli vecordiam damnaſſent, indignatus Bonellus extemplo militibus accinctus Panormum petit, tribuſque paſſuum millibus procul ab urbe loco caſtrametatus eſt. Rex hoc viſo, Meſſanam ad urbis Præfectum, quem Strategotum vulgò appellant, nuntium miſit, ut triremes quotquot habebat, viris, & munitionibus inſtructas Panormum tranſmitteret. Bonelli interea adventu Panormi cognito adeo omnia ſunt turbata, ut ſi urbem tentaſſet, nullo proculdubio obſiſtente eam ingreſſus Regem rurſus in Palatio carceri, & vinculis fuerit impliciturus. Sed ille alio motus conſilio Caccabum revertitur. At ex Siciliæ *Rex ſubſidia Panormum evocat*

pidis, his cognitis, militum ingens multitudo Regi auxilio venit. Quorum acceſſu conjuratores animo disjiciuntur. Rex verò reſumptis viribus per Robertum de S. Joanne Canonicum Panormitanum tantum apud Bonellum profecit, ut conjuratores, qui ad eum confluxerant, triremibus extra Regnum liberè tranſveherentur, Bonellus verò ipſe ab omni criminis objectu immunis in gratiam Regis reſtitueretur. Bonellus igitur Panormum veniens ingenti omnium gaudio receptus, tranquillitatem urbi reſtituit. Cumq; cæteros omnes regno abegiſſet, ſoli Rogerio Avellini Comiti conſanguineo ſuo & ob ætatis defectum, & ob preces Adelitiæ aviæ illius, ſuæque conſobrinæ pepercit. Riccardum Mandra Rex Panormi retinens militibus præfecit. Henricus Ariſtippus, Sylveſter Comes Marſicenſis, & Riccardus Syracuſanus Epiſcopus deſignatus regni negotia adminiſtrabant, quibus & adjunctus eſt Matthæus Notarius eductus de arce, & muneri priſtino reſtitutus, ut regni conſuetudines, quæ jam in palatii direptione amiſſæ fuerant, quas callebat, rurſus in ſcripta redigeret.

Conjuratores liberos dimittit.

Regni negotiis Præfecti.

Dum hæc Panormi aguntur, Rogerius Sclavus cum Tancredi Ducis filiis, paucisque aliis, qui prius à Bonello diſceſſerant, Buteram, Platiam, cæteraque Langobardorum oppida, quæ pater ejus tenuerat, ſibi occupavit, atque inde unà cum Lombardis in Saracenos, quorum in Sicilia ingens adhuc multitudo vel mixtim cum Chriſtianis, vel ſeorſum in propriis pagis habitabat, irruens quotquot obvios habuit, interfecit, præter paucos, qui ad auſtralem Siciliæ partem ad tutiora loca pro ſalute profugerant. Poſt hæc Rogerius Sclavus Syracuſanorum quoque, & Catanenſium regiones crebris incurſionibus infeſtabat, tantumque viri virtus, & audacia vicinis populis terrorem attulerat, ut Regii præfecti ejus impetus reprimere non poſſent. Quæ res novo repente metu Regem percuſſit, qui neque id abſque Matthæi Bonelli conſilio fieri arbitratus, ipſum in palatio ad conſtitutum diem capi, & in ſtricta vincula conjici jubet. Capto Bonello, ſtatim plebs ad palatium concurrit, eum inde extractura. Sed cum arcis portæ ex omni parte eſſent clauſæ, ignem portis ferreis magna lignorum ſtrue ſubſtructa injiciunt. Inter hæc ex Bonelli militibus unus, cum Adenulphum Camerarium è Palatio redeuntem obvium haberet, non immemor inimicitiarum, quas in ſuum Ducem exercuerat, audacter in eum irruit, atque interfecit, & deinde per mediam civitatem ab urbe fugam capeſſens, tandem à Regis militibus captus, Panormumque adductus meritas dedit pœnas. Quare & Bonellus in apertiorem ſuſpicionem adductus, effoſſis oculis, nerviſque ſuper talum inciſis in perpetuum carcerem detruſus eſt. Matthæus de S. Lucia illius conſobrinus, & Joannes Romanus oculis & ipſi privati in diverſa ergaſtula ſunt damnati.

Rogerius Sclavus contra Regem.

Matt. Bonellus capitur.

In Carcerem conjicitur.

His peractis Rex exercitum contra Rogerium Sclavum inſtruit, atque primum contra Platiam movens, parvo labore oppidum cepit, funditusque evertit. Inde contra Buteram, quò ſe poſt auditum Regis adventum hoſtes receperant, caſtra movet, ac obſidet. Rogerius ubi ſe cum Tancredo obſeſſum videt, ſocios primùm, ac deinde oppidanos ad fortiter obſiſtendum ſatis luculenter hortatus, oppidum & loci naturâ, & militibus ſtrenuis munitum obſidionem diutiſſimè pertulit. Verùm cum paulo poſt inter proceres, & oppidanos ob annonæ diſtributionem diſcordiâ ſubſecutâ, oppidani deditionem facere decreviſſent; hoc cognito, Rogerius, proceresque deditionem, & ipſi

Rex contra rebelles ducit.

hac

Digitized by Google

hac lege fecerunt, ut oppido recepto, liberè eos abire liceret. Hoſtibus itaque Rex liberè dimiſſis, oppidaniſque aliò rejectis, Buteram receptam funditùs delevit, ac deinceps edicto publico habitari prohibuit. Dum Sicilla his ſeditionibus vexatur, Robertus Comes Lauricelli magnam Apuliæ partem invadens, ad Orgeolum oppidum uſque pervenerat, cui proceres ibi multi, qui ob Admirati flagitia a Rege deſciverant, ſe adjungunt. In Calabria quoque Comitiſſa Catacenſis contra Regem Tabernam oppidum munitiſſimum commeatu, & præſidio munierat. Quo motus Guillelmus Rex, ſubactà Buterâ, in Calabriam exercitum eduxit. Sed ne quid in Calabria clandeſtinæ proditionis timeret, Rogerium Martoranum ad ſe antè in Siciliam evocat, atque proditionis crimine inſimulatum in carcerem cogit, & ſine ullo juris ordine oculis privat. Henricus quoque Ariſtippus Regis juſſu captus, & Panormum ductus, non diu pòſt miſerè in carcere deceſſit.

Motus in Apulia per Comitē Lauricelli.

His geſtis, in Calabriam contra Tabernam exercitum movet. Verùm cum id oppidum & arduitate ſitus, & multorum militum præſidio eſſet inacceſſum, Regis exercitus differri illius oppugnationem, & in Apulia, ubi majora bellorum inſtabant pericula, dimicare malebat. Sed Rex non inde diſcedere, niſi victor, ſtatuit. Quocirca cùm deſtinata oppugnatione, primoque inſultu oppidum invaderet, oppidani deſuper miſſis molaribus, ac doliis, plures obſidentium interficiebant, quorum ſtrage milites, qui collem ad oppugnandum oppidum aſcenderant, deterriti ad exercitum rediere. Sed in concepto rigore immotus Rex oppidum rurſus oppugnari, ac ſecundò fortunam tentari jubet. Milites, dato ſigno, oppidum adorti, tumulum quemdam, arduum quidem, ſed modica ſuperiùs diſtentum planitie, ac ex uno latere muris oppidi contiguum, magno niſu occupant. Capto tumulo, ſcalis illatis, muros impetu maximo, non abſque periculo tranſcendunt, ac ſubitò oppidum, Tabernenſibus muros negligenter cuſtodientibus, perrumpunt, capiunt, & evertunt. Comitiſſa una cum matre, & Alpherius, & Thomas Comitiſſæ avunculi, & cæteri viri principes ad Regem perducuntur. Quorum Alpherius ibidem ultimo ſupplicio addictus, Thomas Meſſanæ ſuſpenſus, reliqui milites vel manuum abſciſſione, vel oculorum effoſſione mulctati ſunt. Comitiſſa, & ejus mater Meſſanam primùm, inde Panormum adductæ carceri mancipantur. Robertus Comes Lauricelli ubi Tabernam oppidum captum, & deletum a Rege cognovit, etſi equitum, peditumque numero ſuperior eſſet, metuens tamen Langobardorum fidem, quam ſuo magno periculo ſæpiùs ancipitem probaverat, maluit Regi cedere, quàm cum infido milite belli fortunam experiri, Tarentum itaque reverſus, præſidioque ibi relicto, in Aprutium iter deflexit.

Tabernā Rex oppugnat.

At tandem vi capit.

Comes Lauric. fugā evadit.

Sub idem tempus Gaytus Ioarius Eunuchus, Magiſter Camerarius palatii cum multas a Rege præter meritum, ut querebatur, injurias in exercitu pertuliſſet, cum ſigillis Regiis ad Comitem Lauricelli transfugiens, in itinere captus, & ad Regem perductus, Regis juſſu ſcaphæ impoſitus mari ſuffocatus interiit. Rex deinde Tarentum profectus urbem civibus ſeſe dedentibus recepit. Ubi quoſdam Lauricelli Comitis milites captos extra mœnia furca ſuſpendit. Dehinc totam Apuliam, ac Campaniam pertranſiens, univerſa, quæ hoſtes occupaverant, ſine bello fere recuperavit. Quantum enim in-

Tarentum Rex accipit.

gnatus ; & Sylveſter Comes tandem impetrarunt, ne tanta, tamque nobilis civitas interiret. Sed ſolùm ex conjuratis quotquot in ea reperirentur, per Strategotum, & Judices vincti ad Regem perducerentur. Quod cum factum eſſet, omnes eos ipſo die Rex ſuſpendi juſſit. Inter eos autem cum vir quidam, qui nec juramentum contra Regem præſtiterat, nec in ſeditione quicquam omnino egerat, quia tantùm Notarii Matthæi propinquis per jurgia injurias intulerat, a Matthæo falsò ad Regem velut totius conjurationis Salernitanæ caput delatus, immeritum ſupplicium incurriſſet, juſtum Dei in Regem, exercitum, urbemque judicium apparuit. Nam cum adeo paulò ante ſerenus eſſet aer, ut nullum prorſus nubis appareret veſtigium, tanta repente tempeſtas in Innocentis ſanguinis effuſione eſt exorta, ut Regis, & cæterorum caſtris divulſis, quiſque de propria ſalute deſperaret, domuſque Matthæi Notarii, ubi ſponſalia neptis ſuæ cum proceribus, ac matronis plerique nobiliſſimis celebrabantur, vi tempeſtatis corruens, viros nobiles, ac mulieres circiter ſexaginta cum ipſa puella, quæ nuptui tradebatur, oppreſſerit.

Cōjuratos morti addicit.

Ultio divina pro innocentis ſanguine.

Porro Rex ubi ſedata videt omnia, hoſteſque tum publicos, tum clandeſtinos vel in Græciam transfretaſſe, vel cum Comite Lauricelli ad Imperatorem Germanorum conceſſiſſe, Panormum reverſus palatio ſe concluſit, ibique quieti, & otio ſe dedidit. Nec multò poſt Sylveſtro Comite defuncto, Syracuſanus deſignatus, & Matthæus Notarius ſoli conſilio Regis ſupererant, & Regni negotia diſponebant, quibus ſocius datus eſt Gaytus Petrus Eunuchus, qui Gayto Joario in Camerariatus palatii munus ſucceſſit. Matthæus verò Notarius, cum jam plurimùm poſſet apud Regem, Admirati mores imitari conabatur, omnibus ſe comem, atque affabilem præbens, & eis præſertim, quos oderat, ipſumque jam Regem adulatione, confictiſque ad votum obſequiis delinire cœpit, ſciens hunc Majoni aditum ad tantam Regis benevolentiam fuiſſe. Liberalitatem porro Majonis, cùm avaritiam a cunis imbibiſſet, & facundiam, cùm naturæ vitio balbus eſſet, aſſequi nequibat, totis tamen viribus in id incumbebat, ut in locum Admirati apud Regem irreperet.

Rex quieti, & otio ſe dat.

Matthæi Notarii ambitio.

Sub id tempus, cùm ſuperatis hoſtibus, Rex nihil ultra ſibi crederet formidandum, repentinus eum domi caſus invaſit. Pauci namque viri, qui in carcere palatii diverſis de cauſis detinebantur, veniam deſperantes, fortunæ ſe committere decreverunt. Cuſtodibus igitur carcerum largitionibus corruptis, tempus congruum nacti, unà cum paucis impetu facto, ad portam palatii deſcendunt eo conſilio, ut Anſaldo arcis Præfecto, quem ibi ſedere cognoverant, trucidato, evadendi per vim aditum ſibi perrumperent. Quos cum Anſaldus in ſe irruentes vidiſſet, nihil animo turbatus extrà interiorem portam citiſſimo ſaltu deſiliens, eam ad ſe toto niſu detractam, obſeratamque venientibus oppoſuit ; ipſe inter exteriorem, interioremque ingreſſum loco tutiſſimo conſtitutus. Illi ſpe fruſtrati ad inferiorem ingreſſum palatii ſe tranſtulerunt, ſive ut ad Regem inde flexo greſſu contenderent, ſive ut in ſcolis Regis filios deprehenſos invaderent, quos Gualterius eorum præceptor in Campanariam arcem, quæ poſtrema palatii pars eſt ad meridiem obverſa, primis rei motibus prægcognitis deduxerat. Sed ſubita virorum multitudine circumventi, qui cum Oddone magiſtro ſtabuli repente confluxerant, ad unum omnes interfecti ſunt, quorum cadavera canibus projecta prohibuit Rex ſepeliri.

Carceres Palatii effracti.

Fugientes trucidantur.

pelliri. At ne deinceps ejuſcemodi caſus, qui jam ſecundò periculum adduxerat, eveniret, conjuratos omnes ex palatio ad caſtrum maris transferri juſſit.

Rober. Calat. vinctos vexat. Robertus autem Calatabianenſis Caſtelli maris præfectus extremæ crudelitatis homo, cum Eunuchis (qui Saraceni erant) plurimùm faveret, quoſcumque Chriſtianos captos ad ſe perduci contigerat, ingentibus catenis, ac crebris torquebat verberibus, & per diverſa Lombardorum oppida, cum poteſtate a Gayto Petro impetrata profectus multos viros innoxios pro conjuratis captos diverſis pœnis affligebat. Sed & Bartholomæus Parriſinus, aliique Juſticiarii, Strategoti, Camerarii Gayti Petri auxilio innixi, plebem innumeris & contumeliis, & rapinis præmebant, quo pecuniam ab illis extorquerent. Rex verò toto animo in quietem proclivis, ne quævis occaſio eam ſibi interrumperet, miniſtros præmonuit, ne res ſerias, quę illi vel mœrorem, vel ſolicitudinem poſſent ingerere, ad eum deferrent. Et quoniam Rogerius Rex pater ejus in agro Panormitano *Rex Palatium novú molitur.* Favariam, Minnermum, aliaque ad voluptatem loca conſtruxerat, ejus æmulatione & ipſe palatium novum, quod cæteris palatii partibus & artificio, & pulchritudine præcelleret, conſtruere decrevit.

Cæterùm incœpta, ac maximo ſumptu ejuſce operis & mira celeritate parte expedita, antequàm ſupremam operi manum imponeret, diſſenteriæ morbum incurrit, ac duorum ferme menſium gravata valetudine convaleſcens, cum jam eum medici firma ſalute fruiturum ſperarent, repente recidivo morbo conſumptus obiit. Qui cum adhuc in extremis ageret, Proceribus Regni, & Salernitano, atque Rhegino Archiepiſcopis accitis, teſtamento Guillelmum filium natu *Moriês de Regno diſponit.* majorem poſt ſe Regem, Henrico alteri filio Principatum Capuæ, quem jamdudum illi conceſſerat, reliquit. Margaritam Reginam ejus uxorem voluit totius Regni adminiſtratricem, & Baylam eſſe, quouſque Guillelmus per ætatem ad gubernandum aptus eſſet. Deſignatum Syracuſanum, Gaytum Petrum, & Matthæum Notarium, quos ipſe ſibi conſulares elegerat, eadem voluit dignitate poſt ſe potiri, ut eorum Regina conſilio cuncta Regni negotia adminiſtraret.

His diſpoſitis, non diu poſt anno ætatis 45. regni autem 15. ſalutis verò 1166. die 9. Maji fato functus eſt, pro ut Guiſcarda refert. (9) Ex quo quicquid de Guillelmo hactenus memoravi, exceptum eſt. Cujus opus manu ſcriptum, vetuſtiſſimum quidem, & pe- *Hugonis Falcandi Hiſtoria.* nè corroſum ex Cænobio Divi Nicolai de Arenis olim mihi operâ Joannis Rithonii Leontini viri diſertiſſimi allatum eſt. Quod aliquot poſt annos ſub nomine Hugonis Falcandi, dum pararem hæc edere, Lutetiæ impreſſum, paſſim hodie legitur. Conſulares, & Regina, ne ſeditionem cognita Regis mors in urbe excitaret, diſſimulato ejus obitu, omnia, quæ ad coronandum novum Regem neceſſaria erant, præpararunt. Inde vulgata ejus morte, ac in palatio more lugubri funere conclamato, totius civitatis luctus repente ſubſecutus eſt. Poſtea Proceribus, ac Epiſcopis concomitantibus corpore ad Sacellum Regium delato, triduum tota civitas in luctu, mœroreque fuit. Mulieres *Regium funus curát Proceres.* principes, ac Matronæ, Saracenæ præſertim, quibus ex Regis morte non fictus dolor obvenerat, totam urbem ululatu complebant. Cadaver verò ejus poſt aliquot annos a Margarita Regina uxore ad templum Montis regalis maximum, a Guillelmo filio poſtea erectum, tranſlatum eſt. Ubi & hodie porphyretico mauſoleo conditum cernitur. (10)

Ele-

Digitized by Google

1. Electus ad Cathedram Catanenſem poſt Joannem fuerat Bernardus; hunc ergo legatum ad Pontificem pro fœdere Guillelmus direxit.

2. Quin & Corona regia Beneventi eumdem decoravit. Acta hæc ceterò traduntur poſt annum MCLVI.

3. Hæc prematurè nimis a Fazello recenſentur. Eveniſſe quippe conſtat anno MCLXVI. paulò ante quàm Guillelmus naturæ penſum exolvit. Hinc ejus inter egregia facinora id poſtremum ab Hiſtoricis enarratur. Meſſanæ porro tribus menſibus Pontificem ſubſtitiſſe tradunt.

4. Majo in Siciliam Rogerii Regis ævo venerat, a quo Notariis curiæ accenſus, ad Cancellarii munus ſubinde evehitur. Hinc Magnus Admiratus a Guillelmo conſtituitur.

5. Paulò inferiùs Simon Squillacenſis Comes in itinere fœlici fato præreptus dicitur; hic truſus in carcerem, & inauditus ibidem mortuus promitur, memoriæ lapſu. Majone igitur inſtigante *Simon Comes Cancellarium ad curiam venientem*, uti Falcandus habet, *multis pulſavit criminibus, qui cum ſingulis audacter ſe diceret reſponſurum, ſuis ei allegationibus uti non licuit; nam captum ſubitò, damnatumque carcer excepit, ubi etiam poſt aliquot annos diem vitæ clauſit extremum.*

6. Simon ex Henrico Marchione, & Flandrina Rogerii Comitis filia natus in Policaſtri comitatu Patri ſucceſſit; uxoremque Thomaſiam habuit. Commendatur in Siculis Annalibus ab eximia pietate, illuſtriumque Cœnobiorum S. Nicolai de Arena, S. Mariæ de Licodia, & S. Andreæ de Platia fundator habetur.

7. Fuit hic poſt Guillelmum II. Siciliæ Rex, uti ſuo loco dicemus.

8. Gualterius hic idem videtur eſſe, qui Agrigentinus Archidiaconus, & Guillelmi II. Regis Præceptor, tandemque Panormitanus Archiepiſcopus fuit.

9. Codex membranaceus in S. Nicolai de Arena Bibliotheca integer hodie ſervatus, quem ſæpiùs conſului, nullum prælert titulum; recentiori autem charactere Hugonis Falcandi nomen præfixum habet. Collatus cum eo quem typis Pariſienſibus dedit Gervaſius Tornaceus anno 1550. adamuſſim reſpondet, nec vel in apice differt; hinc ex noſtro exſcriptus Regius Codex, unde Tornaceus deſumpſit. Amicus, & Iuvegius eumdem memorant ſub Anonymi *de Rebus Geſtis ſub Guillelmo II. Ab anno Chriſti* 1150. *Ad* 1189. titulo, alium quippe a. Falcandi Hiſtoria putaverunt. Prodiit rurſus Francofurti inter Rerum Sicularum Scriptores, ac tertiò Panormi in Bibliotheca Hiſtorica Sicula.

10. Id porphyreticum ſarcophagum e Cephaledenſi Eccleſia Guillelmus II. ſubſtulit, ut patris in eo corpus conderet.

DE

DE GUILLELMO SECUNDO, QUEM BONUM APPELLANT, SICILIÆ REGE.

CAPUT QUINTUM.

Guillelmus II. Rex conclamatur.

PEractis inferiis, corporeque Regio honorificentiſſimè, ut par erat, funerato, Guillelmus filius undecim, licèt quatuordecim aliqui falsò ſcribant, tunc natus annos, ingenti plebis gaudio, fauſtiſque acclamationibus Rex ſalutatur. Fuit is ab incunabulis, primiſque infantiæ rudimentis adeo omnibus charus, ut ne humi quidem incedere, aut ſedere toleratus, ſinu cunctorum jugiter, atque oſculis foveretur, nec uni modò pædagogo addictus, ſed quaſi communis omnium alumnus extiterit. Per ſummam namque tenerioris ætatis induſtriam cuncta paternæ contagionis veſtigia ingenti erroris devio præteribat, & a paternis vitiis adeo prudenter deſcibat, ut naturam ab eo, non vitia accepiſſe videretur, tantæque in puero ſtatim corporis, & animi dotes emicuerunt, ut jam tum non minus authoritatis, quàm gratiæ ævum etiam ipſum promereretur. Sceptro inſignitus, a liberalitate gubernacula auſpicatus, recentis largitatis conſuetudine priſca militiæ ſtipendia duplicavit, quicquid honeſtati proximum pervidebat, ardenter appetebat, omnes humanitatis officio anteire, & quod difficillimum eſt, virtute invidiam vincere contendebat. Qua indole brevi tantam apud omnes claritatem contraxit, ut non modò majorum titulos æquaret, ſed etiam Rogeriorum, atque Roberti Guiſcardi avitorum Principum monumenta ſuperans, Boni cognomen promeruerit. Quod ut augeret, initio ſtatim ſui Principatus carceres omnes aperiri juſſit, & vinctis reis criminum pœnas indulſit, vectigal, quod pater redemptionem appellabat, populo quidem intolerabile, prorſus abolevit, oppida omnia, Proceres, & cives, quos pater vel exilio, vel pœnis aliis mulctaverat, in gratiam recepit. Conſiliares in ea, qua erant, dignitate, pro ut pater conſtituerat, & in agendis negotiis eorum & diligentia, & fides merebatur, apud ſe retinuit. (1)

Ejus egregii mores.

qui nomē aſſequitur.

Verùm cum pubertatis annos nondum eſſet ingreſſus, nonnulla ſeditionis initia Panormi pullularunt. Erant eo tempore in Regis comitatu Archiepiſcopi quidem Romoaldus Salernitanus, & Rogerius Rheginus, Epiſcopi verò Gentilis Agrigentinus, & Triſtanus Mazarienſis, quorum Gentilis Agrigentinus ſimulata religione præclarus; & Deſignatus Syracuſanus ad obtinendum Panormitanæ Eccleſiæ Præſulatum, qui ob mortem Hugonis Archiepiſcopi adhuc vacabat, totis ambo viribus anhelabant. Gentilis quod merito non poterat, id fraude conari inſtituens, Archiepiſcopum Rheginum avaritiâ extremâ infamem, & Archiepiſcopum Salernitanum ſimul, & Matthæum Notarium adverſus Deſignatum Syracuſanum irritavit, ut e curia expelleretur. Quod cum per ſe non poſſent ex ſententia quamprimùm efficere, Gaytum Petrum Eunuchum, penès quem poteſtas omnis erat Regia, contra eumdem ad ſocietatem conſpirationis pertraxerunt. Sed & Reginam quoque, ac Joannem Neapolitanum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, qui fortè Panormi aderat, & ut Panormitanæ Eccleſiæ munus ſibi committeretur, totis animis deſiderabat, ad ſua conſilia contra Syracuſanum pellexerunt.

Turbæ inter Procer. Eccleſiaſticos.

Dum

Digitized by Google

Dum ita Electus Syracuſanus gravi perſecutionis turbine quateretur, Gilbertus Gravinenſis Comes Reginæ conſanguineus Panormum venit eo conſilio, ut tutius regni negotia, ſubmoto Gayto Petro, & cæteris, primus poſt Reginam adminiſtraret. Cui Syracuſanus Deſignatus, ac cæteri Comites ſtatim contra Gaytum Petrum adhæſerunt. Quod cum Gaytus Petrus intellexiſſet, favore Reginæ, apud quam plurimùm poterat, innixus, bello contra eum experiri ſtatuit. Milites largitionibus ad ſe allicit, quibus Hugonem Oddonis filium prudentiâ, & armis ſtrenuum præficit. Riccardum Mandra a conſiliis primùm accipit, deinde Comitem Moliſii, Boviano, Venafro, & cæteris oppidis, quæ ad eum Comitatum attinent, ei traditis, eo animo, conſentiente Regina, evehendum curavit, ut Comes Comiti æqua authoritate poſſet obſiſtere. At cum ne his quidem artibus inſidias Comitis Gaytus Petrus evadere ſperaret, variis perculſus anfractibus, nocturna tandem fuga ſibi conſuluit. Navem quàm celerrimè paratam nautis, armis, cæteriſque neceſſariis inſtruit, theſauris quoque, quos habebat, onerat, ac adveſperaſcente, e Regis palatio egreſſus ad ædes ſuas, quas in ea parte civitatis, quæ tunc temporis Kemonia, hodie Albergaria dicitur, nuper conſtruxerat, ire ſimulans; ad mare perrexit. Ubi cum paucis Eunuchis navem aſcendens ad Abdul Mumenum Mamudorum Regem in urbem Africam transfretavit. Cujus fugâ cognitâ, Gilbertus Comes in amplioris ſpei fiduciam elatus, inſanum Regis fuiſſe conſilium exclamat, qui ſervum Saracenum Regno ſuo præfecerit. At contrà Riccardus Moliſii Comes manumiſſum eum a Rege, & nunquam Sicilia deceſſiſſe, niſi minis coactum, reſpondit.

Gilbertus Comes Panormum venit.

Gaytus Petrus Regno excedit.

A Riccardo Mandra defenditur.

Poſt hæc Regina Riccardi Comitis, aliorumque, qui Gayto Petro faverant, ſuaſu, Gilbertum Comitem a Sicilia hoc commento, quod Matthæus Notarius invenerat, dimovit, ut Imperatori Alemannorum propediem Apuliam venturo cum exercitu occurrat. Igitur Gilbertus etſi hæc omnia ad rem conficta eſſe non ignoraret, veritus tamen ne aliquando magno cum dedecore a Regina expelleretur, Apuliæ, & Campaniæ præfecturâ ſuſceptâ, cum Beltrando filio, Andriæ Comite nuper a Regina declarato, Sicilia deceſſit. Cujus loco Riccardus Moliſii Comes apud Reginam ſuffectus, cuncta Regni negotia per manus tradita accepit.

Gilbert. Comes Sicilia decedit.

Poſt hæc machinatio contra Syracuſanum Electum adventu Gilberti Comitis intermiſſa reſumitur, atque ut a Regina, ac regno ejiceretur, commento ab Joanne Cardinali excogitato, ſimulant Romanum Præſulem Reginæ per literas mandaſſe, ut electos quotquot Epiſcopos haberet, Romam ad munus conſecrationis recipiendum mittat. Electo itaque ex Pontificis mandato abeundi præceptum a Cardinali datur, & dies præfigitur. Sed ille callidè eorum fraudem præveniens, amicitiam cum Riccardo Moliſii Comite clàm iniit. Cujus auſpiciis Regina repente mutata, ut a Rege teſtamento diſpoſitum fuerat, in regni adminiſtratione remanſit. Ita toto anno in ſeditiones expenſo, tandem tumultus quievit. Riccardus tamen Moliſii Comes apud Reginam cæteris familiarior erat. Electus Syracuſanus, & Matthæus Notarius demortui Cancellarii interea officium vicario nomine gerebant. Porro Matthæus Notarius nihil a ſolita ambitione recedens, cum ob multam ejus nominis invidiam fruſtra ad Admirati dignitatem aſpirare ſe cognoſceret, Cancellariatum toto niſu ambibat.

Syracuſ. Electus Reginæ gratiam init.

bibat. Syracuſanus verò Eccleſiæ Panormitanæ præferri confidebat. Sed longè aliter Regina mente diſpoſuerat. Nam cum Stephanum Comitis Perticenſis filium conſobrinum haberet, ex Francia eum, licèt ætate adoleſcentem, accitum, Cancellarium inſtituit, atque univerſa regni negotia in eum remiſit.

Stephanus Panorm. Præſul, & Cancellar.

Panormitani quoque Canonici habita a Regina libera Paſtoris ſibi deligendi poteſtate, in eumdem Stephanum unanimes Archiepiſcopatus ſuffragia populo, & Guillelmo Cardinali Papienſi, qui tum Panormi fortè aderat, factum probante, contulerunt. Electus ergo Syracuſanus ſpe fruſtratus in Cancellarium animo totus commovetur. Qui cum adeo æquè ſuo fungeretur officio, ut neque precibus, neque munere ab æquo flecteretur; Panormitani Robertum Calatabianenſem multis criminibus infamem rapinæ, ſtupri, homicidii reum egerunt. Qui tamen, non obſtante contrario Reginæ juſſu, aulicorum precibus, ac ingenti pecunia oblata, loris a Cancellario cæſus, bonis omnibus Fiſco adjudicatis, in caſtellum maris detruſus paucis poſt diebus interiit.

Omnia bene administrat.

Eodem ferme tempore, cum Cancellarius omnia tum notariorum, tum aliorum quorumcumque miniſtrorum, etiam procerum, munera ad certam, & non liberam (ut antea erat) menſuram reduxiſſet. Proceres commoti conqueri de eo cœperunt, indignum eſſe edicentes puerum, & advenam abſque nobilium conſilio tot dignitatibus præeſſe, ac jam ſuſpicari ſe etiam apertè proclamantes, conſanguineuſnè eſſet Reginæ Cancellarius, cum hic Francus, illa Hiſpana, an adulterinus inter eos eſſet amor. Nec eo minus Gaytus Riccardus Palatii Magiſter cum cæteris Eunuchis, ac Bulchaſſes inter Siciliæ Saracenos, quorum eo tempore ſub Rege frequens adhuc multitudo incolebat, genere nobilis, ac potens, communi malevolentia illi inſidias tendebant.

Ab omnibus cavet.

Cancellarius, qui hæc omnia per Rogerium Tyronenſem, & Robertum de S. Joanne didicerat, alto diſſimulans animo, muneribus inſidiatores alliciebat, atque interea ſibi conſulens, nec quoſvis, utì ſolebat, ad ſe admitti, ſed fidos tantùm juſſit.

Sed cum Panormi nullus eſſet evadendi ſibi modus, Meſſanam cum Rege, & Regina venit. Ubi etſi in ejuſdem juſtitiæ rigoris pertinacia gratiam apud Meſſanenſes inveniſſet, Henricus tamen Comes Caveoſi Reginæ germanus, & Regis avunculus, qui ſe advenæ Cancellario prælatum videns, contra eum etiam conſpiraverat, plures

Inſidiæ in ipſū detectæ.

Meſſanenſes, & Calabros nonnullos contra hominem jurejurando adſtringit, qui certa die eum de medio tollerent. Quo cognito Rex, & Regina Henricum in carcerem primùm, & deinde in Hiſpaniam, unde venerat, & Oddonem Querellum in Franciam mittunt. Riccardum verò Moliſii Comitem conſpirationis cum Henrico ſocium in arce Tauromenii, quæ Mola dicitur, carceri mancipant, in cæteros verò conjuratos extremo ſupplicio ſæviere. His Meſſanæ geſtis, Rex & Regina Panormum redierunt. Ubi Gaytus Riccardus Regis Camerarius, Mattheus Notarius, & Gentilis Agrigentinus Epiſcopus, qui conjurationis Principes adverſus Cancellarium extiterant, tot Principum conjuratorum exemplis nihil conſternati, conceptum ſemel facinus perpetrare omnino deliberant, tantumque jurejurando

Nova in eūdē conjuratio.

egerunt, ut Dominico die, quem Palmis Domini conſecramus, ubi Rex e palatio juxta morem, exiturus eſſet; Cancellarium gladiis in turba ipſa petitum confodiendum ſuſciperent. Sed cum non lateret Regem, & Reginam repetita hæc conjuratio, Notarium Mattheum,

Agri;

Agrigentinum Epiſcopum, Gaytum, Riccardum, & alios Proceres, quos conſpiraſſe conſtiterat, ad arcem oppidi S. Marci vinculis adduxere. (2)

Dum hæc Panormi geruntur, Meſſanæ Oddo Querellus, qui mondum in Franciam diſceſſerat, Meſſanenſem populum contra Francos omnes, & Cancellarium præcipuè commovit, aſſerens per illum Francos id agere, ut, Græcis omnibus expulſis, ipſi bona omnia, & oppida civium occuparent; Reginam verò jam Cancellario nupſiſſe, Regemque ubinam gentium eſſet ignorari. (3) Hoc authore tota Meſſanæ urbs in ſeditionem commovetur. Quo Panormi cognito, Rex & Regina Andreæ Strategoto, & univerſo populo Meſſanenſi, falſos de morte Guillelmi, qui incolumis in palatio fœliciter vivebat, rumores ſpargi, & a conjuratis ad ſeditionem eas occaſiones confingi per literas ſignificarunt. Quas cum Strategotus ad templum Divæ Mariæ ſacrum populo congregato recitare vellet, e plebe quidam voce edita Guillelmum Regem interfectum, & a Cancellario Rege facto has literas confictas proclamavit. Plerique verò ſubmurmurabant, non Cancellarium, ſed Gotfredum ejus germanum fratrem, qui e Galliis propediem expectabatur, Regem, Conſtantia moniali Rogerii Regis filia, quæ in ſacro Panormitano erat, uxore ducta, regnum ſibi juſto titulo occupaturum, & ejus rei gratiâ Oddonem Querellum in Galliam profecturum. His dictis, plebs in furorem verſa Comitem, ſpreto Strategoti mandato, e carcere liberant, deinde Oddonem capiunt, nudatum aſino imponunt, & pedibus in caput beſtiæ porrectis, capite verò ſuper caudam inclinato, per urbem traducunt. Quem, ubi ad portam civitatis pervenit, innumeris confoſſum vulneribus, membratim tandem diſcerpſerunt, caputque ejus in lancea per totam urbem circumductum in cloacas demum publicas projecerunt. Inde Græci Francos omnes, & tranſalpinos tota urbe quotquot erant, interfecerunt. Quibus Meſſanenſes ob patratum facinus ab exercitu Regis non ſatis ſecuri urbem munire pergunt. Ramettam oppidum, Præfecto pecuniâ corrupto, ſibi occupant. Deinde Tauromenium partim dolo, partim vi aggreſſi capiunt; demum arcem Præfecto dormiente, & Gavarrecto in proditionem per pecuniam allecto, recipiunt, Riccardumque Comitem ex ea liberant.

Meſſanæ turbæ excitantur.

Falſi rumores de Regis morte.

Oddo Querell. confoditur.

Hæc omnia ubi apud Panormum Regi, & Cancellario nuntiantur, confeſtim exercitus contra rebelles paratur. Naves omnes, quæ Catanæ erant, ad claſſem inſtruendam in mare pertrahuntur. (4) Frumentis, quæ inde Meſſanam portabantur, trajectis interdicuntur. Sed & Randatienſes, Capitini, Nicoſiani, Maniacenſes, cæterique Lombardi, qui Siciliam incolebant, ad viginti peditum millia in Regis, & Cancellarii auxilium congregantur. Rogerius Giracii Comes, audita Meſſanenſium rebellione, a Rege & ipſe deficit, oppida ſua munit. Cephaleditanum Epiſcopum, & cives contra Regem, & Cancellarium jurare facit, arce ſola in Regis, & Cancellarii fide perſeverante. Panormus urbs & ipſa, cunctorum animis in ſpem, & audaciam rurſum erectis, variis diſſidiis laborabat. Plerique rapinis aſſueti, qui circa viam coopertam, & in ſuperiori parte viæ marmoreæ habitabant, ſpe lucri in eum ſe primò irrupturos, in quem primùm plebs conclamaret, inter ſe fœdus ineunt. Optabant autem apud ſe, ut is Cancellarius foret, penes quem multum eſſe auri, & argen congeſtum conſtabat.

Rex contra rebell. vires parat

Panormi plebs in tumultum excitatur.

At eum aliquandiu conſpiratores fruſtra turrim Campanariam oppugnaſſent, miſſis utrinque nuntiis cum Cancellario hac lege conveniunt, ut liber ipſe, Francique cum eo omnes, abiurato Siciliæ regno, quò vellent, abirent. Siculi verò Proceres, qui cum eo obſidebantur, in Sicilia remanerent, boniſque ſuis, & oppidis potirentur. In hanc ſententiam Riccardus Syracuſanus electus, Matthęus Notarius, Gaytus Riccardus, Romoaldus Salernitanus Archiepiſcopus, Joannes Epiſcopus Melitenſis jurejurando conſenſerunt. Igitur parata triremi, poſtridie ſub auroram Cancellarium e Campanario cum paucis miniſtris eductum ad portum Gallicum, qui hodie Galli dicitur, perducunt. Ubi priuſquam triremem aſcenderet, Canonicis Panormitanis, qui cum reliqua ingenti multitudine aderant, ut Archiepiſcopatui renuntiaret, poteſtatemque alium ſibi eligendi Paſtorem daret, inſtantibus, minis territus dignitate ſe abdicavit. Cancellario paululùm a littore avecto, conſulares ad Campanarium regreſſi, cæteros Francos Proceres quouſque navigia pro eis transfretandis pararentur, ne a furenti populo interficerentur, in Parthenico, & Carini Panormo vicinis arcibus ſatis tuto præſidio ſervarunt. Cancellarius a portu Gallico ſolvens auſtralem Siciliæ oram per Drepanum navigans, Licatam appulit. Ubi nauſiaga ejus triremi, navem Genuenſem nactus, in Syriam cum ea transfretavit

Liber Cancellarius, & Franci dimittuntur.

Præſulatui Panorm. renunciare cōpellitur.

Interea Henricus Montis Caveoſi, & Riccardus Moliſii Comites, pluresque Meſſanenſes 24. cum triremibus Panormum veniunt Regiū magiſtratum renovaturi. Riccardum igitur Syracuſanum Electum, Gentilem Agrigentinum Epiſcopum, Romoaldum Salernitanum Archiepiſcopum, Joannem Melitenſem Præſulem, Rogerium Giracii Comitem, Riccardum Moliſii Comitem, Henricum Montis Caveoſi Comitem, Matthæum Notarium, Gaytum Riccardum, & Gualterium Decanum Agrigentinum Regis Præceptorem Regis familiares, ac Curiæ Conſulares inſtituunt. Decreverunt deinde, ut Gilbertus Gravinenſis Comes cum Beltrando filio Comite, uxore, omnique gaza regno egreſſi in Syriam incolumes tranſmearent. Statuerant etiam & Hugonem Comitem Catacenſem Cancellarii conſanguineum regno pellere. Verùm cum rudis ingenio nullam novarum rerum ſuſpicionem moveret, quin ſpem potiùs ſua interceſſione Reginæ indignationem mitigatum iri præberet, Siciliam incolere permiſerunt.

Comites Panormū veniūt.

Conſulares inſtituunt.

Paucis exinde diebus Gualterius Decanus Agrigentinus Regis præceptor, a conferta plebis multitudine, compulſis per minas Canonicis, conſentiente tamen Curia, non tam electus, quàm vi intruſus Panormitanæ Eccleſiæ Paſtor præficitur. Quæ res factionis Cancellarianæ ſtudioſis, ac Reginæ ipſi expectationem omnem reſtituendi Cancellarii ademit, niſi quòd Romanæ ſedis Præſulem metu, & minis factam electionem ſperarent non probaturum. Verùm Petrus Cajetanus Cardinalis, qui tùm fortè Panormi aderat, a Regina, quæ jam ſenſim a Cancellario animum alienaverat, ſeptingentis unciis acceptis Romam profectus ab Alexandro Romano Pontifice confirmationem, & conſecrationem impetravit. (ſ) Atque ita anno ſalutis 1169. Tertio Kal. Octobris Guillelmi Boni anno quarto in majori Panormitana veteri Eccleſia, præſente Rege, & Margarita ejus matre, cum magna omnium gratulatione Gualterius ab Epiſcopis ſuffraganeis munus conſecrationis ea lege, quam Regi etiam Papa conceſſerat, ſuſcepit, ut a Regis latere, quo eum multò ante dignum cenſuerat, nunquam

Gualterius fit Præſul Panor.

A Rom. Pont. confirmatur.

abeſſet. Gualterius ita tantum dignitatis faſtigium evectus extemplo curiæ ſtatum immutavit, ſummamque ſibi poteſtatem retinens, Matthæum Notarium, & Gentilem Agrigentinum Epiſcopum ſub ſe familiares inſtituit, a quo & Gaytus Riccardus Regius Camerarius & Notarius Matthæus Vicecancellarius, & Lupinus Regis Seneſcal cus creati ſunt.

Summas poteſtas penes ipſū.

Circa id ferme tempus 4. Februarii die ad ejus diei horam primam vehemens terræmotus totam Siciliam, & Calabriam concuſſit, quo Catana urbs uſque adeo ſubverſa eſt, ut non ædificia modò omnia, ſed viros etiam, ac mulieres circiter quindecim millia cum Epiſcopo, maximaque monachorum parte (6) ruina oppreſſit. Plura præterea in Catanenſium, & Syracuſanorum finibus oppida corruere, fontes paſſim novi apparuere, & veteres delituere, Montis Ætnæi vertex, quà Tauromenium reſpicit, factus eſt demiſſior. Arethuſa fons ſalſuginem adauxit. In Tavi monte fons per duas horas abſtruſus, magno tandem impetu erumpens, ſanguineum laticem toto horæ ſpatio effudit. Meſſanæ denique mare pauliſper primùm a littore cedens, ac mox cum furore recurrens, metas tranſgreſſum, portis etiam civitatis ſeſe infudit. His, aliiſque ſignis Siculi perterriti, novam aliquam calamitatem portendi arbitrabantur, ac ne ſtatus in Regno immutatio a Cancellario procuraretur, extimebant. Erant etenim multi Proceres, qui aviditſſimè Cancellarii adventum præſtolabantur, quem & Regina maximè deſiderabat. Cujus votum Robertus Comes Lauricelli libenter ſequebatur, quòd ejus operâ nuper ab exilio fuerat revocatus. Dum igitur in eo rerum metu eſſet Sicilia, repentinus de morte Cancellarii nuntius & Reginæ prorſus animum dejecit, & conſpiratores in ſecuritatem deduxit. Quo factum eſt, ut ſumma rerum poteſtas, & negotiorum omnium cognitio penes Gualterium Archiepiſcopum manſerit, moderatorque & Regis, & regni æquè dignoſceretur.

Terræmotus ingens.

Metus inde Siculorum.

Erat autem tum Rex annorum ferme quindecim, (7) qui, ut primùm regni habenas ſuſcepit, jam inde pacis, quietiſque ſemper fuit ſtudioſiſſimus, ac Romanæ Eccleſiæ a primordiis Imperii ad ſummum uſque vitæ undique obſervantiſſimus. Quod in Alexandro tertio primùm non obſcurè declaravit, qui cum a Federico primo Cæſare cognomento Barbaruſa in urbe Roma obſideretur, ne in diſcrimine ſuccumberet, magnam ei pecuniæ vim, ac triremes duas paratiſſimas miſit, quò fugâ ſalutem, ſi res poſtularet, ſibi quæreret. Pontifex verò acceptâ pecuniâ, triremes, tanquam ſibi eo tempore minùs neceſſarias duobus cum Cardinalibus, qui ipſum ſuper belli negotiis quotidie conſulerent, remiſit, ac Guillelmi tandem conſilio cum Fridericum ardentiùs urbi capiendæ inſtare cerneret, noctu Roma diſcedens, Cajetam primùm, mox Beneventum delatus, fœdus per viginti annos cum Venetis iniit, neque unquam de pace cum aliquo tractavit, quin ſemper in libellis Guillelmus Rex incluſus intelligeretur. Cumque idem Pontifex componendæ cum Friderico pacis gratiâ Venetias petere ſtatuiſſet, Guillelmus Rex cum Proceribus ſuis illi in Apulia obviam factus, compluribus eum equis albis, ac tredecim triremibus inſtructiſſimis donatum dimiſit. Quibus Pontifex Venetias tranſvectus, cum Friderico, qui eò etiam convenerat, atque in veſtibulo S. Marci pedes Pontificis exoſculatus eſt, inito fœdere, cum Guillelmo quoque Rege ultiò, citroque per annos quindecim

Rex Rom. Eccleſiæ obſequēs.

Alexander III. Rom. Pont.

Pacem cū Imper. init.

decim id commune eſſe voluit, Atque ita rebus ex ſententia compoſitis, cum eiſdem triremibus Sipontum reverſus, a Guillelmo Rege iterum maximo honore exceptus eſt. (8)

Mortuo Alexandro, & Lucio tertio in Romanam Eccleſiam ſuffecto, cum Andronicus Græcus Alexio Conſtantinopolitano Imperatori pupillo ephœbo Manuelis filio tutor datus, pulſis Latinis, qui puero, favebant, Conſtantinopolitanum Imperium, necato in undis puero dum laxandi animi gratiâ parvo navigio huc illuc temere dilaberetur, uſurpaſſet, Guillelmus Rex generoſo animo has Andronici in Latinos, puerumque injurias ulturus, ingenti coacto exercitu, in Græciam cum claſſe trajiciens, omnia perturbavit. *Rex cōtra Græcos movet.* Ubi cum Theſſalonicam Macedoniæ urbem vi cepiſſet, pluresque alias Thraciæ civitates variis cladibus affectas partim expugnaſſet, partim diripuiſſet, nec uſquam Andronicus occurreret, qui vel ob id, quòd multos occiderat, & plerosque exilio injuſto damnaverat, & Deo, & Græcis omnibus inviſus erat, tantum effecit, ut tandem Conſtantinopolitani cives Andronicum captum membratim in fruſtra diſcerpſerint, & Iſaac quemdam Regia progenie exortum e Peloponneſo ad Imperium extulerint. (9) Qui cum, ſuadente Lucio Pontifice, unà cum Guillelmo Rege ad repetendam Terram ſanctam ire decreviſſet, Pontificis obitu res interrupta remanſit. *Sacrū bellum ſuſcipere proponit.*

Poſt hæc Guillelmus contra Joſeph Marocci Regem movit. Et devicto Rege, captaque ejus filia, non priùs in redemptionem puellæ conſenſit, quàm Rex Africam urbem, quam Abdul Mumen ejus genitor patri ſuo Guillelmo, ut diximus, olim abſtulerat, ſibi reddidit. (10) Qua victoria celeberrimum nomen acquiſivit. Urbano deinde tertio in Eccleſiam ſuccedente, cum Saladinus Saracenorum Rex, captâ jam Hieroſolymâ, Tyrum a Chriſtianis poſſeſſum dura obſidione premeret, Guillelmus Rex quadraginta triremes paratiſſimas, quibus Margaritus Siculus & naturâ, & peritiâ audaciſſimus præerat, Conrado Montiſferrati Marchioni Tyri præfecto in auxilium miſit. *Contra Saracenos claſſem emittit.* Cujus claſſis adventu obſidionem Saladinus fiedè ſolvere compulſus eſt. Tempore quoque Clementis tertii cum Fridericus Barbaruſa, Philippus Francorum, & Riccardus Angliæ Reges, cæteriq. Principes Chriſtiani Pontificis impulſu contra eumdem Saladinum Chriſtianorum urbes in oriente infeſtantem arma ſumpſiſſent, Guillelmus Rex pacatum cum ſuis triremibus a pyratis mare continens ad ſacrum hoc bellum exeuntibus annonam etiam omniſariam ex Sicilia, & Apulia ſubminiſtravit.

Cum adoleſcere cœpiſſet, religioni addictus, patris theſauris in arce repertis, ad ſacras ædes erigendas totus incubuit. *Sacras ædes ædificat.* Extra mœnia in vallis Panormitanæ radicibus ſuper ædiculam S. Kiriacæ, quæ S. Dominica hodie dicitur, templum muſivo opere toto orbe celeberrimum D. Mariæ Virgini dicavit, cœnobiumque ordinis D. Benedicti illi annexum conſenſu Alexandri tertii Romani Pontificis a fundamentis erexit, quod paucis annis perfecit, (11) locupletiſſimiſque non in Sicilia modò, ſed Calabria quoque fundis dotavit, pro ut ex ejus diplomate dato Panormi Anno ſui Regni 11. ſalutis verò 1176. 15. Kal. Septembris, atque alio item privilegio ibidem dato anno ſui regni 17. ſalutis verò 1182. conſtat. Cumque deinde majeſtas templi, Regiſque frequens acceſſus variam eò hominum multitudinem pertraxiſſent, in oppidi magnitudinem provectus incolatus, Montis Re- *Montis regalis initia.*

galis

Digitized by Google

In Archiepiſc. evehitur. galis nomen loco brevi indidit. Quod Regis liberalitas in civitatem metropolim indulto Lucii tertii poſtmodum evexit, cœnobiique Abbatem Guillelmum nomine, qui ſecundus in ordine numeratus eſt, in Archiepiſcopum conſecravit. Sub idem tempus Gualterius etiam Panormitanus Archiepiſcopus, Guillelmi Regis auxilio templum maximum Panormi, & cœnobium Sancti Spiritus Ciſtercienſis ordinis, quod Panormo ad quingentos paſſus meridiem obverſum abeſt, condidit. Margarita quoque Regis mater cœnobium ordinis Divi Be-*Alia ſub Guill. Cœnobia erecta.* nedicti non longè ab oppido Maniace, atque item alterum, ſed monialium, domicilium juxta S. Marcum oppidum erexit. (12) Ita Guillelmus poſt multam religionem, meritaque Rex pacis, quietiſque amator, cum Angliæ Regis Joannam filiam duxiſſet uxorem, omnibus Chriſtianis Principibus, & populis pro merito Boni cognomento gratiſſimus, poſtquàm quinque & viginti annos rerum potitus eſt, anno *Regis Guillelmi mors.* ætatis ſuæ 36. ſalutis verò 1189. Panormi nulla virili prole relicta die 18. Novembris hominem exuit, & in maximo templo tumulatus eſt. Cujus poſtmodum corpus in templum celeberrimum Montis regalis, prout ipſe ultima voluntate decreverat, tranſlatum eſt. Ubi pater ejus porphyretico, filius ipſe cæmentitio ſepulchro ad pedes genitoris ſepultus hodie viſitur. (13)

1. Compoſitis Regni negotiis, ad Romanum Pontificem Alexandrum hujus nominis III. Legatos direxit, ut illi Apuliæ Ducatum confirmâret. Annuit Pontifex Cajetæ tunc degens, ſuoſque in Siciliam Nuntios Joannem Cardinalem Neapolitanum & Oſtienſem Epiſcopum direxit.

2. Matthæum nempe Panormi in carcere, Gaytum Richardum in Regio ejuſdem urbis palatio. Agrigentinum denique præſulem in arce S. Marci.

3. Oddoni Querello perperam hæc adſcribuntur. Oddo enim Francus origine, & Carnotenſis Canonicus, & Cancellarii olim familiaris in Francos conjurare neutiquam potuit. Dedit equidem ille Græcis, Latiniſque tumultuandi occaſionem, hinc paulò poſt occiſus a plebe dicitur.

4. Id apud Falcandum non lego; En illius verba: *Interim*, Cancellarius, *Catanenſibus ſcripſit, ne nihil omnino victualium Meſſanenſibus ibidem onerari permitterent, omneſque inſuper Catanenſium naves ad terram ſubduci præcepit, ſingulis earum carinis ſingulas tabulas ſubtrahendo.*

5. Ne Gualterii electionem Romanus Pontifex ratam haberet, Petrus Cardinalis 700. auri uncias a Regina Romam deferendas acceperat; Verùm Siculi proceres minis agentes, majorique pecuniæ vi oblata, uti Falcandus videtur innuere, Pontificem ad electionem confirmandam adegerunt.

6. Veſperas in principe templo pro ſolemnitate Divæ Agathæ decantantium.

7. Immo octavum ſupra decimum tetigerat; hinc mortuo Henrico altero ejus fratre, uxorem illi Proceres quærebant. Et de Emmanuelis Comneni Græcorum Imperatoris filia eidem deſpondenda primò cogitarunt; ſed cunctante Patre, ac demum apertè abnuente, illatam veluti injuriam Guillelmus ulturus, fœdera cum Venetis contra Commenum junxit, claſſemque adornavit. Inita dehinc inter Græcos, & Venetos pace, inſtructum exercitum contra Saracenos Ægyptios anno MCLXXIV. Alexandriam Ægypti expugnatum emiſit. At quum ſtrenuè ſeſe Barbari defendiſſent, obſidione ſoluta, in Siciliam claſſis, infecta re, non paucis militibus amiſſis, remeavit. Tum pace Januenſium reipublicæ, enixè eam petenti, conceſſa, uti & Piſanos jamdudum ſibi obſtrinxerat, Friderico Cæſari Guillelmus ſeſe oppoſuit, qui in Italiam invadens, ditionis ſuæ etiam provincias attentare minabatur, &

Col-

Collim validò exercitu circumſederat. Præerant Siculis copiis Rogerius Andriæ, & Tancredus Leccii Comes, Germanis verò Maguntinus Præſul moderabatur. Collatis hinc ſignis ſexto Idus Martii MCLXXVI. integram noſtri victoriam retulerunt. Guillelmum itaque nimis ſibi infenſum conciliare Fridericus ſatagens; unum ex filiis ſuis illi in cojugem obtulit; qua quidem, ne fœderatis ſecum Italiæ Dynaſtis, ipſique Pontifici deeſſet, recuſata, Henrici ſecundi Angliæ Regis filiam per legatos ſuos popoſcit, & obtinuit, nuptiaſque ſolemni ritu circa ejuſdem anni exitum cum ea Idibus Februariis celebravit; Erat Reginæ nomen Joanna.

8. Sub eodem Alexandro rebus Chriſtianorum in Palæſtina nimiùm afflictis ſuccurrit Guillelmus, quod factum Urbano III. ſedente, enarrat paulò inferiùs noſter Hiſtoricus Margarito Talaſſiarcha. Hunc ſubinde biſcentum quinquaginta navibus coactis, contra Saladinum in Ægyptum miſit, quem ad propria tuenda idcirco detentum ab invadenda rurſus Paleſtina ille abſterruit.

9. Anno MCLXXXVI. hanc contra Andronicum expeditionem Guillelmus ſuſcepit, uti num. 12.

10. Patris quippe Theſauros in Regio luco abſconditos Guillelmum inveniſſe vulgò tradunt; dum ex venatione feſſus ſub quercu quieti daret, a Matrona quadam in ſomnis, ut ajunt, admonitus.

11. Hæc prorſus fabuloſa ab recentioribus habentur. Contra Iſuphum Marocci Regem, & Mirsmólinum Hiſpaniæ tyrannum ducere cogitaverat Guillelmus; Iſuphus verò illius formidabiles vires ſuſpectas habens, legatos ad eum Panormum deſtinavit anno MCLXXXI. qui inducias inter Siculos, Saracenoſque ad decem annos impetrarunt. Lucio tertio ad S. Germanum ſubinde progreſſo, Guillelmus in Apuliam delatus occurrit; compoſitiſque in eadem provincia rebus, Panormum rediit, ubi fato functam Margaritam matrem invenit.

12. Quum ex uxore Joanna nullam, binis exactis luſtris, ſuſcepiſſet prolem Guillelmus, Regiſque Rogerii filia Conſtantia Siciliæ hæres, illo decedente, haberetur, Fridericus Cæſar eamdem in Henrici filii uxorem poſtulavit. Abnuit Rex, & Siculi Proceres fere omnes reclamarunt; Verùm Gualterii Panormitani Præſulis operà firmatis tandem connubii legibus Nuptiæ Mediolani ſolemni pompa anno MCLXXXVI. ſunt celebratæ. Tunc Aleſſio Commeno Emmanuelis Græcorum Imperatoris nepote, qui in Siciliam venerat, ſummis precibus inſtante, contra Andronicum tyrannum ingentem claſſem ſub Tancredi præfectura, ac Riccardi Acerræ Comitis, nec non Alduini celeberrimi tunc temporis militis ductu Guillelmus adornavit, quæ in Orientem delata primo impetu Dyrrachium, mox Theſſalonicam, tandemque Anſipolim expugnat. Interim Andronico occiſo, Iſaacium Byzantini Cæſarem proclamant, qui contra Siculas copias aciem dirigit, eaſque circumventas ſub Anſipoli funditùs evertit. Novum ſubinde exercitum Guillelmus, majori inſtructa claſſe, ſub Margarito Duce in Græciam trajicere jubet, qui ad Cyprum inſulam hoſtes improviſò adortus facilè ſuperat, ac ſpoliis, captiviſque onuſtus in Siciliam enavigat.

Non diu poſt Jeroſolymam Saladinus Ægypti Rex ſibi vindicat, totamque Palæſtinam populatur. Pace hinc cum Græcis inita anno MCLXXXVIII. ad ſacrum bellum Guillelmus ſe parat, Margaritumque Talaſſiarcham cum ingenti claſſe præmittit. Hic ſtrenuè apud Tyrum rem gerit, hoſtiumque naves majori ex parte diſſipat. Tum Rex ipſe cruce ſe ſignans quincentis cum navibus, multiſque copiis ſtipatus Tripolim appellit, Guidoni Luſignano Ptolemaidam obſidenti ſeſe adjungit; audito autem proximo Galliæ, & Angliæ Regum in Siciliam adventu, qui & ipſi Reipublicæ Chriſtianæ in Aſſyria auxiliatum properabant, ut illis occurreret, unàque ſubinde contra Bar-

baros

milites ſuos arma capere, urbemque rupti fœderis odiâ causâ, ado-
riri jubet; At dum Angli ad oppugnandam urbem ſe inſtruunt, cau-
tus Tancredus Legatos ad Riccardum mittit, qui exponant nihil ſuo, *Legati Tancr.*
aut Meſſanenſium conſilio, ſed plebis levitate tumulti commiſſum, in *ad Riccardū.*
cujus authores Regem animadverſurum promittunt, iram modò ipſe
deponeret. Philippus quoque Francorum Rex ſua authoritate pluri-
mùm ad controverſiam mitigandam valuit. Quorum precibus, excu-
ſationibuſque Riccardus placatus urbem oppugnare deſiit. At Meſſa-
nenſes, qui nihilominus Riccardi ſemel læſi iram timebant, intra mœ-
nia ſe continere, paciſque tempus ex induſtria differre ſtatuunt, quò-
uſque Veris initio claſſis abiret. Sed ubi Riccardus ludificari ſe ab
oppidanis cognovit, indignatus, admotis confeſtim ad muros ſcalis, *Maſſanā Ric-*
aliiſque inſtrumentis bellicis, injectoque portis igne, tanto impetu per *card. diripit.*
unius diei ſpatium urbem infeſtavit, ut disjectis mœnibus, portiſque
revulſis, urbe tandem ſit potitus magna civium ſtrage edita, quàm
major etiam cædes fuiſſet ſecuta, niſi victor civium precibus veni-
am miſerè petentium motus receptui canere juſſiſſet. Sedato tumul-
tu, & civibus aliquot ſeditionis authoribus morte mulctatis, Tancre-
dus non multò poſt affuit, & pecuniâ mutuò a mercatoribus accep-
tâ, redditaque Joannæ Reginæ dote, novo affinitatis vinculo pacem
cum Riccardo firmavit. Cujus filio Arturo Britanniæ Duci filiam in
uxorem ſe daturum pollicitus eſt, quod nec Riccardus recuſavit. At- *Meſſana cū ſo-*
que ita rebus compoſitis, Philippus prior, ac dein paulò poſt Riccar- *rore excedit.*
dus aſſumpta Joanna ſorore Guillelmi Boni vidua, Meſſana cum to-
ta claſſe ſolventes Ptolemaidam in caſtra profecti ſunt.

Interea Clementi tertio defuncto Cœleſtinus tertius in Romanam
ſedem ſucceſſit. Qui & ipſe ægerrimè a Tancredo Siciliam teneri fe-
rens, tertio poſt coronationem die Henricum Friderico Aenobarbo
Cæſare patre in Armenia defuncto, jam a Germanis in Regem Ro-
manorum electum, ea lege Imperatorem confirmavit, ut ſuo ſumptu
a Tancredo Siciliam repeteret, & Romanæ Eccleſiæ cenſum ſolveret
annuum. Quod ut juſta ratione facere poſſet, Conſtantiam Rogerii
Regis filiam quinquagenariam a Gualterio Archiepiſcopo ſuo juſſu e *Henricus Con-*
ſacro Panormitano clam eductam uxorem ei tradidit, cui hæredita- *ſtantiâ ducit*
rio jure Regnum id a parentibus relictum debebatur. (4) Hoc, famâ *uxorem.*
per manus ductâ, vivo ore omnes tradunt Siculi, aſſeverantque eo-
rum annales quotquot extant, & authores plurimi, quin & diploma-
ta, ac decreta Cœleſtini Papæ, quibus Conſtantiam votiva virginita-
te abſolutam ad legitimas cum Henrico nuptias admiſit, quæ hucuſ-
que & in Archivo Romano, & in decretis publicis leguntur, in id
conſentiunt. Acciditque propiùs ad fidem hæc opinio, quàm quod a
Germanis traditur, Friderico primo Cæſare vivente, Henricum fili-
um cum Conſtantia Rogerii Regis filia ætate florente, cum Guillel-
mi fratris Siciliæ Regis conſenſu matrimonium iniiſſe. (5) Igitur Hen-
ricus cum Conſtantia uxore e Germania ad Regnum Siciliæ ſibi ca-
peſſendum in Italiam veniunt. Quo audito, Tancredus Panormi Bar- *Tancred. Pa-*
bacanes, quos antemuralia nuncupant, pro mœnibus urbis, quo mu- *normū munit.*
nitiorem eam redderet, a fundamentis extruxit. Cui & Siculi Teu-
tonicæ ſævitiæ metu favere quamplurimum. (6) Sed cum Henricus,
& Conſtantia Neapolim oppugnarent, peſte per exercitum graſſante,
ſive (ut alii ſcribunt) a Tancredo ſuperati obſidionem ſolvere, & in
Alemaniam redire compulſi ſunt. (7) Tancredus tandem anno ſa-

Morbo correptus moritur. lutis 1195. Regni verò ſui anno quinto morbo correptus Rogerio natu majori, quem anno ſecundo ſui Regni Ducem Apuliæ inſtituerat, ut diplomata ipſius Tancredi, & inſtrumenta tabellionum publica eo tempore Panormi edita adhuc teſtantur, Rege ſucceſſore declarato, (8) & Alteria, Conſtantia, & Madonia filiabus relictis, in ea urbe deceſſit, & in majori Eccleſia tumulatus eſt.

1. Tancredi Regis Pater Rogerius Apuliæ Dux fuit. Duxerat hic occultè uxorem Roberti Leccii Comitis filiam, ex qua Guillelmum, ac Tancredum ſuſcepit. Rogerius porro Dux Regis Rogerii primogenitus fuit, de quo in notis ad Caput III. Illum itaq. Lecclì degentem Siciliæ Proceres penè omnes, publicis habitis comitiis, Matthæi Notarii operâ ſibi Principem conſtituerunt; Unde autem fuiſſe ſecordem, Fazellus eruerit, non habeo. Sanè ſub Guillelmo II. conſobrino ſæpè Siculi exercitus ductorem conſtitutum invenio. Quin ſumma præditum prudentia, eximium literarum fautorem, Mathematicis probè inſtructum, ingentis denique animi virum eumdem Sychroni authores deprædicant. Erat, quum in Regem inunctus eſt, ſexagenario major.

2. Menſe Januario anno MCXC. atque a Pontifice Clemente III. confirmatur. Id Anonymus Caſinenſis clariſſimé tradit, cujus hæc ſunt verba: *Tancredus Comes Liccii, qui apud Trojam cum quibuſdam aliis juraverat fidelitatem Conſtantiæ uxori Henrici Regis Theutonicorum, & filiæ quondam Regis Rogerii, Panormum vocatus a magnatibus curiæ, de aſſenſu, & favore Romanæ curiæ coronatur in Regem menſe Januario.* Quod copias igitur Clemens Pontifex in Siciliam miſerit, quibus Tancredus ſeſe oppoſuit, hiſtoriæ veritati minimé adhæret.

3. Celebravit ingenti pompa ſuas cum Berengaria Navarræ Regis filia nuptias Meſſanæ Riccardus, quam cum Joanna ſorore Guillelmi vidua in Syriam ſecum claſſe deduxit. Evocatum tunc ab Anglo in Siciliam Joachimum Florenſem Abbatem tradunt, qui irritos Cruceſignatorum conatus prædixit.

4. Quàm hæc diſtent a vero, ſatis ex ſupradictis evincitur.

5. Nedùm Germanis Scriptoribus, ſed Synchronis etiam id memoratur. Cœleſtinum Pontificem cæterò Henrici Cæſaris conatibus contrarium evincunt ejuſdem literæ, quibus Caſinenſe cœnobium, ejuſque Decanum Adanulphum ſacris ille interdixit, quòd Henrico adhæſiſſet.

6. Abnuente Pontifice, in Campaniam Henricus anno MCXCI. copiis inſtructus penetravit; Arcum oppidum expugnatum igne delevit; tum Soram Antimùm, Capuam, Averſam, & S. Germanum metu perculſas ſibi ſubdidit; Salernitanos, Moliſii, Fundorum, & Caſertæ Comites in ſuas adduxit partes; inde Neapolim obſidione cinxit.

7. Acerræ Comes Neapolitanis præerat, oppugnanteſque conſtanter repulit. Januenſium claſſis urbem a mari pulſabat, contra quam Margarito celebri Talaſſiarcha duce, Siculæ naves invectæ ad obſidionem ſolvendam Germanos etiam compulerunt. Rediens ad ſua Henricus, ut novum militem conſcriberet, Conſtantiam uxorem apud Salernum optimé munitum reliquit; Acerræ autem Comes, locis primùm quæ ad Cæſarem defecerant recuperatis, ad Salernum obſidendum properavit; cujus cives in Germanos præſidiarios inſurgentes, illis ad unum confectis, Conſtantiam Tancredo Regi prodidere, quæ Panormum deducta ſummo in honore eſt habita. Hinc Pontifice agente, qui Ægidium Aræcoli Cardinalem Meſſanam delegavit, libera, muneribuſque onuſta Romam illa Siculà claſſe devecta, marito redditur. Tancredus verò cum exercitu in Italiam trajiciens Fundorum Comitem, alioſque Dynaſtas ſibi rebelles, nec non Bertoldum Henrici Ducem in Apulia ſuperat, Germanos finibus arcet, victorque in Siciliam redit.

8. Ex Sybilla conjuge Acerrani Comitis ſorore tres filias, quarum habes hìc nomina, duoſque filios Rogerium, & Guillelmum Tancredus acceperat. Illum natu majorem cum Irene Iſacii Angeli Græcorum Imperatoris filia collocavit, ac nedum Apuliæ Ducem, ſed in ſoclum adſcitum Regem renuntiaverat. Sed immatura hic ætate anno MCXCIII. fato concedens, ſummo mœrore Patrem affecit, qui ſequenti mox anno vitam etiam cum morte commutavit, Guillelmo parvulo filio Regni hærede relicto. Malè in annum MCXCV. Tancredi mortem reponit Fazellus,

DE ROGERIO SECUNDO SICILIÆ REGE. (1)

Tancredi filius Rex ſalutatur.

TAncredo mortuo, Rogerius alius, quem Guillelmum plerique falsò appellant, a Siculis Rex ſalutatur. (2) Verùm Henricus audita Tancredi morte, continuò magna Germanorum manu instructus, cum uxore gravida ad Regnum ſibi jure uxorio debitum repetendum Neapolim revertitur. Rogerius, qui Siciliam, & potiorem Neapolitani Regni partem poſſidebat, hoſtis adventu cognito, terreſtres navaleſque apparatus & ipſe collegit, ac Neapolim omni commeatu, & præſidio munivit. Henricus nihil cunctatus Neapolim obſidet. Sed cum obſidio in longum protraheretur, ſuperioris cladis non immemor, nec ignarus quantum diuturna mora in bellis ſociorum animos avertere ſoleat, tum ſumptus bellicos etiam ſibi defuturos prævidens, ad ingenium ſe convertit, fraudemque concordiæ ſimulatione prætexuit. Tandemque Rogerium juvenem, & viribus propriis diffidentem eò ſua arte pertraxit, ut, diviſo Regno, Siciliam Henricus, reliquum verò Rogerius teneret. (3)

Henricus ſi de Siciliæ Regé circumvenit.

Hac concordia, dum Rogerius plus ſatis Henrico confidit, anno ſalutis 1195. pridie Kal. Decembris Henricus Panormum venit, ac more Regio intra urbem receptus Rex etiam declaratur. (4) Rogerius interea, dum ad ſua jura prætendit, nil tale metuens in urbe Panormo cum Alteria, Conſtantia, & Madonia ſororibus tertio Kal. Januarias captus Henrico deditur. Nec mora, regno omni a Germanis occupato. exauthoratus, miſer, mœſtuſque cum ſororibus in Alemaniam relegatus, & luminibus privatus eſt. Ubi, ut ſpem omnem ei ſucceſſionis Henricus adimeret, & de jure hæreditatis futuræ poſteris litigandi ſurriperet cauſam, genitales illi partes deſecans, Eunuchum fecit, ac carceri ad mortem uſque addixit. Ita Rogerius Rex ſub alieno cœlo, extincta in eo Nortmannorum ſobole, ex qua olim in Sicilia permulti, & magni etiam Principes annos centum trigintaquinque regnaverunt, longis fletibus, quereliſque (translato ad Svevos Regno) feſſam tandem emiſit animam. (5)

Rex Siculus cũ ſororibus, & matre captus.

In carcere mortuus.

1. ROgerius Rex fuit Siciliæ quintus, ſed patri præmortuus malè hic cum Guillelmo confunditur.

2. Guillelmum Tancredus Pater poſt Rogerii obitum in Regem quoque coronavit. Sextus igitur ex Nortmannis Siciliæ Rex Guillelmus dicitur.

3. Satis ſuis non fidens viribus Sybilla cum filiis Calatabellottæ arcem ſibi aſylum delegit. Eò legatos ſuos Henricus miſit, qui Tarenti principatum, & Lecli ditionem Guillelmo offerrent.

4. Henrico, quum in regnum invaderet, ſuppetias Piſani, & Januenſes

tulere, quorum claſſe, Cajetam delatus, eamdem deditione ſibi vindicavit; mox Neapolim nullo obſiſtente receptus, Campaniam, Apuliam, & Calabriam pari felicitate acquirit. Proceres enim, qui ſub Tancredo olim defecerant, ſeſe illi adjunxere, eorumque exemplum alii ſecuti victori adhæſerunt; Comes verò Acerranus, cui Provincia commiſſa erat, hoſtibus longè imparem ſe videns, loco ceſſerat. Soli Salernitani Cæſaris iram timentes fortiter obſtitere, quos tamen Henricus dura obſidione oppreſſos expugnavit, illorumque urbe direpta, primores ultimo ſupplicio crudeliter affecit. Italiâ ſibi vindicatâ, a Rhegio Meſſanam trajecit, quæ portas illico aperuit, tum Januenſium, Piſanorumque compoſitis diſcordiis, Catana, & Syracuſis potitur. Panormum ſubinde navigavit, ubi exceptus, Siculorum Procerum conventu convocato, ſolemni pompa in Regem ab Archiepiſcopo Panormitano inunctus eſt. Erant in Henrici comitatu Philippus ejuſdem germanus frater Sveviæ Dux, qui Irenem ſubinde Rogerii Regis viduam ſibi copulavit; Bonifacius Montiſferrati Marchio, Marcovaldus magnus Imperii Seneſcalcus, Spanhemenſis Comes, Robertus Durenſis, Arnoldus de Heremberga, Hermannus Buttinghenſis, Archiepiſcopus Capuanus, aliique Epiſcopi, ingenſque Procerum Germanorum, & Italicorum turba.

5. Sarcophago quoque, ubi Tancredi, & Rogerii corpora condebantur, aperto, ex amborum capite diademata regia ſubſtuliſſe Henricum tradunt.

INDEX

A

Abdella Siciliæ Amira XIII. 334.
Abraamus Tuneti Rex. 313.
Abulphamerus Saracenus 331.
Abulcaſſenus Siciliæ Amira XII. 333.
Abucabus Sarac. cum fratre diſcordat. 334.
Abulmumen Rex Marocci 313.
Abulabas Saracenos diſſidentes compeſcit. 300.
Abuſaides dux Saracen. 331.
Aceſtorides Corinthius Tyrannidem ambit. 180.
Acis Symethi filius. 28.
Acimneſtus Ennæ Tyran. 135.
Acræ urbs condita in Sicil. 33.
Acrocatus Spartanus. 206.
Adam, & filii proceræ ſtaturæ. 22.
Adelaſia Rogerii Comitis tertia uxor. 364. Balduino Regi Jeroſol. nubet, & ab eo dimiſſa moritur Pactis. 371.
Adenulphus Majoni a Cubicalis. 390.
Adelcamus Primus Siciliæ Amira Alcamum condit, Meſſanam expugnat & Liparam, ac demum Panormum. 319.
Adranum urbs fundatur 122.
Adranus Palicor. Pater. 28.
Adrianus Imperator Ætnam aſcendit. 294.
Adrianus dux Græcus contra Sarac. 323.
Adrianus Rom. Pont. Guillelmum I. diris devovit. 382. Beneventum adit, & Regni confirmationem eidem Regi tribuit. ibid.
Adrymetum urbs Africæ, ab Agathocle expugnatur. 193.
Ægeſtus in Sicilia natus. 20. urbem ſibi cognominem condit. 21.
Æneas in Siciliam delatus 21.
Æolus Liparæ Rex, ejuſque filii, & filiæ. 16.
Æolici antiqui Græciæ populi. 27.
Æmilius primus in Sicil. Rom. Prætor. 234.
Æmilius Rom. Conſul Pœnos fundit. 224.
Æsas aurea qualis. 4.
Ætnæ montis incendia. 130. 263. 270. 288. 308.
Ætna Nympha ex Thalia orta. 28.
Africæ regna quot ſint. 318.
Africæ Regum ſeries. 314.
Africa urbs a Saracen. expugnata. 389. Guillelmo II. reddita. 413.
S. Agatha Virgo & Martyr Catanenſis. 292.
S. Agatho Rom. Pont. Siculus. 306.
Agathocles Syracuſarum Tyrannus. 178. Ejus pater figulus, a quo expoſitus. ibid. Principatus ejus initia impudentiſſima. 179. Uxorem ducit nobilem. 180. Contra Leontinos movet. 181. Tyrannidem invadit. 182. Rex appellatur. 183. Mylas expugnat, & Siculos vincit. 184. Contra Pœnos fœliciter pugnat. 186. Ab iiſdem mox vincitur, & fugatur. 187. In Africam claſſe defertur. 188. Libyæ littora tenet. Naves ſuas incendit, urbeſque expugnat. 190. Contra Pœnos fœliciter movet, & filium a morte liberat. 196. In Siciliam rediens Agrigentinos vincit. 199. In Punicam claſſem debacchatur. 200. In Africam contendit. & mutatâ fortunâ reditum parat. 202. Segeſtam in Sicilia diripit. 203. Ex morbo Syracuſis moritur. 205. 207.
Agatharchus Syrac. claſſis Præfectus. 76.
Agathirſus Æoli filius Agathirnam condit. 16.
Agrigentum conditur. 33.
Agrigentini ad bellum contra Pœnos ſe parant. 98. Ab his obſidentur, in eoſque erumpunt. 100. Patriam relinquunt. 101. A Romanis expugnatur. 220. Levino Conſuli ſe dedunt. 260. Rogerio ſubduntur. 363. Agrigentini Saraceni contra ſuos deficiunt, & a Græcis auxilia petunt. 332.
Agrippa Auguſti Cæſaris dux 289.
Agyrinenſes Dionyſio adhærēt 137.
Alabbas Siciliæ Amira III. 327.
Aleſſanus Amira VII. 331.
Aleſſanus Sic. Amira VIII. 331.
Alcaimus Calipha. 332.
Alcamus a Saracenis conditur. 320.
Alberius Panormi Archiepiſcopus. 308.
Alcibiades Athenienſis ſuos ad bellum Siculum accendit. 63. In Patriam revocatus fugâ ad Lacedæmones evadit. 66.
Alduinus ſub Guillel. II. contra Græcos, & Saracenos movet. 415.
Aleſa urbs fundata. 120.
Alexander III. Rom. Pont. a Guillelmo I. variè adjutus, ac Meſſanæ exceptus. 383. A Friderico Imper. vexatur. ibid. Guillelmo II. Apuliæ Ducatum confirmat. 414. Ab eo ſuppetias recipit. 412. Honorificè in Apulia habetur. 413.
Alexius Græcus dux cōtra Auguſtum rebellat. 361.
Alexius Michaelis Imper. filius. 413.
Alexius Imper. Byzantin. 370.
Algerium urbs Africæ. 313.
Alteria Tancredi Regis filia. 417.
Altemirus Sarac. dux a ſuis occiſus. 330.
Amalaſuenta Gothorum Regina. 300. 303.
Ambroſius Siciliæ ad Imperatorem legatus. 296.
Amedus Abulaſſanus Amira XI. 333.
Amira Saraceni quatuor. 315.
Amirarum Siciliæ ſeries. 329.
Amilcar Pœnus. 181. Syracuſanos decipere tentat. 192.

occiditur. 194.
Amilcar a Romanis vincitur. 224. Erycem recuperat. 231. Lilybœo cedit. 233. Romanos ſuperat ad Thermas. 238. Veneris Erycinæ templum diruit. ibid.
Amphuſus Roger. Regis filius. 376.
Amphitheatrum Catanēſe. 303.
Anacletus Antipapa. 374. 379.
Anaxilas Rhegii Tyrannus Meſſanam occupat. 35. Nomen illi appingit. 36. Pœnos in Siciliam evocat. 40.
Andromacus Tauromenii Princeps. 162.
Andronicus Imp. a ſuis occiditur. 413.
Angelmarus a Rogerio deficit. 366.
Angli Meſſana pelluntur. 416. Eam obſident, & capiūt. 417.
Anni a Mundi exordio. 22.
Annibal Pœnus in Sicilia. 92. Selinuntē expugnat. 93. Himeram diripit. 95. Agrigētum obſidet. 98. & demum delet. 101.
Annibal contra Romanos in Sicilia. 221. Lilybæum ſtrenuè propugnat. 228.
Annibal Romanis bellū infert. 233.
Anſaldus de Pactis Meſſan. ad Rogerium in Calabria venit. 345.
Anſgerius Catanæ Epiſc. 363.
Anſipolis a Guillelmo I. expugnatur. 415.
Antander Agathoclis frater. 188. Hiſtorias ſcribit. 206.
Antiphemus Gelam condit. 33.
Antenion Servorum Rex. 266.
Antoninus in Italiā deſcēdit. 383.
Antropophagi unde dicti. 4.
Apollocrates Dionyſii filius. 162.
Apollopharus, & Apocaps fratres. 334. 335.
Appius Claudius Rom. Conſul primus in Siciliam trajicit. 217. Victor per inſulam excurrit. 218. Pacem cum Hierone firmat. 219. Segeſtam, Adranum, &c. expugnat. 421.
Apulia Rogerio erepta, mox ab eodem recuperata. 374.
Arca Noe ſuper Armeniæ montes quievit. 22.
Archagatus Agathoclis filius. 195. occiſus in Africa a militibus. 202.
Archagatus Agathoclis nepos. 208.
Archagetæ, ſive Apollinis ſtatua 22.
Archias Corinthius Colonos Syracuſas deduxit. 32.
Archimedes contra Romanos ingenio, & machinis pugnat. 248. Ejus mors. 556.
Archiepiſcopus Siciliæ in Concilio 308.
Arethuſa Nympha Syracuſana. 28.
Arianus Comes a Guill. Guiſcardo deficit. 377.
Ariſton Actor Tragediarū. 260.
Ariſteus. Pecoris, olei, & mellis in Sicilia inventor. 11. Ut Deus a Siculis olim cultus. 28.
Ariſtus Legatus Lacedæmonius 119.
Ariſtonus Agrigentum condit. 33.
Armenia unde primi orbis incolæ. 4. 22.
Arnulphus Patriar. Jeroſolymitanus 371.
Aſtorinus Siciliæ Cancellarius. 284.
Aſdrubal Pœnus Panormū oppugnat. 229. Contra Romanos ducit. 124. 225.
Aſinius Pollio Prætor in Sicilia. 272.
Aſſiſanus Siciliæ Amira XVII. 334.
Athenienſes Leontinorum auxiliarii Mylas capiunt. 58. Niſam, & Himeram fruſtra oppugnant. 59. Domum redeunt. 60. Exploratores in Siciliam mittunt. 62. Qui a Segeſtanis decepti ſunt. 63. Contra Syracuſas movent. 64. Quas durè obſident. 66. Contemptui a Siculis habentur. 67. Pugnant cum Syracuſanis & vincunt. 68. Novo contra eoſdem prælio victores. 69. Syracuſanam claſſem diripiunt. 75. Siciliā abire conſtituunt. 80. Fuſi, & victi a Syracuſanis. 83. Caſtra movent. 84. A Syracuſanis in via ad Erinum flumen petuntur. 85. In Latomiis clauſi. 87. Contra Pœnos fœderati. 197.
Attila Hunnorum Rex. 298.
Attilius Rom. Conſul Panorm. obſidet. 224. Victor de Pœnis ab illis mox funditur. ibid.
Auguſtus Cæſar contra Sextum Pompejum. 283. Ejus exercitus in Sicilia conjurat. 290. Quem compeſcit. 291. Provincias ordinat. 291.
Aurelius Imper. Siciliam vidit. 294.

B

Bagelardus Goffr. filius Patriē in Apulia, & Calabria ſuccurrit. 343.
Balduinus Jeruſalem Rex. 370. Adelaſiæ Comitiſſæ nuptias doloſè obtinet. 371.
Barca Pœnus Italiam caſtellum expugnat. 240.
Barda Cæſar Ignatium Patriar. Conſtantinop. vexat. 327.
Barium funditùs deletum. 388.
Bartholomæus Gualfiliatus a Rege deficit. 386. Buterā occupatā Majonis aperit conjurationem 387.
Baſilius Macedo Imp. contra Saracenos rem benè gerit. 321. 322.
Baſilius Dux Græcus in Sarac. ducit, & vincit. 328.
S. Baſſianus Epiſ. Laudenſ. 393.
Belcanes Sarac. in Sicil. Præfect. 345. Contra Normann. claſſem emittit. 347. Ipſe cum exercitu Meſſanam tuendam ſuſci-

ſuſcipit. 348. Victus fugit. ibid. Aciem inſtruit, & vincitur. 349. Siculos ex Enna vexat. 350.
Beliſarius claſſe in Sicil. delatus 299. Wandalos in Africa fundit. 300. Catanam, & Syracuſas ſibi vindicat. ibid. Panorm. obſidet, & capit. 301. Neapolim, & Romam recipit. ibid.
Bellum inter Agrigentin. & Syracuſ. 55. Inter Leontin. & Syracuſ. 58. Inter Athenienſes, & Syracuſanos. 62.
Bellum navale inter Syracuſ. & Græcos. 75. Inter eoſd. quo Græci funduntur. 77. Inter Roman. & Pœnos 223. Aliud 224. Inter Dionyſianos, & Pœnos contra Catan. 131. Inter eoſd. in portu Syracuſano. 132.
Belli apparatus a Dionyſio factus. 122.
Bellum inter Agathoclem, & Pœnos. 191. Inter Roman. & Pœnos. 219. Inter eoſdem ſub Panormi mœnibus. 226. Aliud 240. Inter Hieron. II. & Mamertinos. 236.
Bellum ſervile primum 264. 273. Servile ſecundum. 266. 276.
Bellum Siculum. 267. 281. Civile Roman. 272.
Bellum navale inter Octavianū, & Sext. Pompejū. 284. Aliud, quo Pomp. vincit. 287. Ultimum, quo Pomp. fuſus fugit. 289. 290.
Bellum inter Nortmann. & Saracen. ſub Ceramio. 353.
Bellum ſacrum a Rom. Pont. indictum. 369.
Bemmeneleꝛus. a Bettumeno occiditur. 345.
Benavir Amira Syrac. Nicotrū in Calabria diripit. 363. Victus a Roger. & occiſus. ibi.
Bentiminus Catan. prodit. 360.
S. Bernardus incaſſum Rogerium ad pacem hortatur. 379. In Siciliam venit. ibid. Victori Pſeudopont. ut ſeſe ſubmittat, perſuadet. 379.
Bernardus Catanenſis Electus Legatus ad Pont. Rom. 405.
Beroſus Annianus ſubleſtæ fidei. 22.
Bettumenus Catanæ Amira Rogerium ad Sicil. invadendam invitat. 345. occiditur a ſuis. 351.
Boemūdus Roberti Guiſcardi filius ſtrenuam patri operam præbet. 361. Cum Rogerio fratre de Apulia contendit 369. Antiochiam expugnat. 370. Ejuſd. Princeps factus ſacrum bellum redintegrat. ibid. Contra Alexium Aug. pugnat, & Conſtantiā Regis Galliæ filiam uxorem ducit, Beritum ſubdit, ac tandem moritur. ibid.
Boemundus II. Patri ſuccedens fit Antiochiæ Princeps. 171. Balduini Regis filiā uxorem accipit. Contra Damaſcum ducens occiditur. 372. Ejus mors præmatura a Pazello reponitur. 377.
Bomilcar Pœnus patriam prodere tentat. 291. Tyrannidē occupat, & occiditur. 198.
Bonellus vide *Matthæus.*
Boniſacius Corſicæ Comes Saracenos in Africa fundit. 316.
Brachinus Saracen. Serlonem interceptum occidit. 358.
Brontes Cyclops & ſocii. 8. 26.
Brutii ab Agathocle vexantur. 207.
Bukaſſar Saracen. Amira. 408.
Bulcher Siciliæ Amira Græcos vincit. 325.
Buſa Saracenus Syracuſas expu...
Buſilla Roger. Com. filia Alemanno nupta. 367.
Butes Drepanum venit, & Lycaſtam uxorem ducit. 11.

C

Cæcilius Rom. Conſ. Panor. defendit contra Pœn. 239.
Cæcilius Niger Siculus Ciceroni oppoſitur. 272.
Cæleſtius, & Pelagius Hæret. Syracuſas veniunt. 279.
Caſaris, & Pompeji ſimultates. 272.
Cajus Caligola hæſticos ludos Syracuſis celebrat, & Sacra Siciliæ contemnit. 292.
Calabri in Majon. conjurāt. 391.
Calacta a Ducetio Siculo conditur. 52.
Calataxibetta Arx cōditur. 350.
Calillus rebelles Saracen. Siculos opprimit. 237.
Caliphatū Damaſci feries. 312.
Calippus Dioni inſidiatur. 161. Syracuſas opprimit, & Rhegii occiditur. 162.
Callicrates Athenienſis, ejuſq. illuſtre facinus. 89.
Calliſtus Rom. Pont. Roger. Regi adhæret. 373.
Calpurnius Piſo Meſſanæ. 269.
Camaſena urbs ubi ſita. 27.
Camarina urba conditur. 35. Athenienſib. fœderatur. 59. Syracuſan. auxilia parat. 68. Pœnis ſubditur. 109. deſerta a civibus 116. Romanis cedit. 238.
Camicus a Cretenſibus fruſtra oppugnatur. 20.
Campani ad Pœnos tranſeunt. 101. Dionyſio auxilia præbent. 115. Ætnā produnt. 119. Dionyſio fidem ſervant. 131. Rhegiū occupant. 209. Catanæ ab Hierone locantur. 48. Ætnam incolunt. 51.
Campus Sennaar in Meſopotamia. 22.
Capuanus Princeps Honorio Romano Pont. adhæret, mox Rogerio Regi. 378.
Caravelus Cardin. Roger. coronam præbet. 378.
Caravenum urbs in Africa conditur. 310. Ejus Principes. 311. 313.
Carbo ter Conſul a Pompejo occiditur. 266.
Carcinus Agathoclis pater. 205.
Cardinalis de Comitibus Anacleti ad Roger. Legatus. 378.

Carbo-

Digitized by Google

Damaſtus Amirarum Saracen. ſedes. 310.
Damocles Dionyſii familiaris 107. Ejus cum Dionyſ. congreſſus. ibid.
Damonis, & Pythiæ facinus. 108.
Damophilus Ennenſis in ſervos crudeliſſimus. 164. 169. ſervili primo bello occaſionem dat. 273.
Daphnes Agrigentinis auxiliatur. 90. Pœnos vexat. 100.
Daſton Camerinam condit. 33.
Demoſtenes Athenienſis dux in Sicilia. 74. Syracuſas oppugnat. 76. Niciæ conſilia ſpernit. 78. Syracuſanis ſe dat. 87. Morti addicitur. 87.
Democratia Syracuſis inſtituitur. 205.
Deucalion, & Pyrrha in Sicil. 28.
Dexippus ſuppetias Agrigentin. miniſtrat. 99. Gelæ præficitur. 113. In Patriã redit. 114.
Dialectus Græca in Sicilia. 33.
Dianæ feſtum Syracuſis. 252.
Dicon Syracuſanus in Olympiis victor. 142.
Dinocrates Centuripinos tentat. 185. Ab Agathocle fugatur. ibid. Contra eumdem pugnat. 203.
Dinomenes Hieronis filius. 49.
Diocles Legislator Syracuſanus. 88. 96.
Diocletianus Imper. Chriſtianos vexat. 295.
Diodorus Agyrinenſis Hiſtoric. floret. 292.
Dion Platoni adhæret. 146. Ejus virtutes. 148. Exulare cogitur. 150. In Siciliam redit. 152. Syracuſas invadit. 153. Cum Dionyſianis feliciter pugnat. 155. Leontinum ſecedit. 157. Hoſtibus occurrit. 158. Tropheum erigit. 159. Ut privatus vivit. 160. Tyrannidis oſor. 163. occiditur. 161.
Dionyſius Ammonis filius, ſive Bacchus. 8. Bellum Saturno infert. 9.
Dionyſii majoris Tyranni mores. 103. Ejus dominii initia. 104. Uxorẽ ducit. 105. Ex ea filii. 106. Crudelis in ſuos. 107. Ejus de Tyranno effatum. 108. 109. Sacrilegus. 108. Pœnis ſe opponit. 109. Italiæ Principatũ affectat. 110. Duces Syracuſanos accuſat. 112. Geleníibus auxilia præſtat. 113. Cuſtodes corporis obtinet. 114. Contra Pœnos movet. 115. Inſulam Syracuſ. munit. 117. Erbeſſum obſidet. 118. Syracuſas munit. 120. In Pœnos ducit. 222. A Locrenſibus uxorem obtinet. 224. Motyam continenti adjungit. ibid. Ad Taurum montem Pœnis ſe opponit. 130. Eos vincit, & naves diſſipat. 134. Suſpectos milites dimittit. 135. Rhegium adoritur. 136. 138. Ejus apud Brutios facinus inſigne. 139. Ad olympios ludos ſuos mittit. 141. 142. Urbes in Adria condit. 142. Fœdera contra Pœnos jungit. 143. Spartanis auxilia præſtat. 244. Pœnos aggreditur, & paulò poſt moritur. 145.
Dionyſius Junior. Ejus vita, & mores. 145. Apud Locros habitat, eoſque vexat. 147. Ejus vires quantæ. 148. Patria pellitur. 156. Tyrannidem denuo invadit. 164. Timoleonti ſe dat. 168. Corinthum relegatur. ibi. Ubi ſordidè vivit. ibid. Ejus ad Delphicum templum donaria. 177.
Domus 60. Lectorum Agathoclis opus. 204.
Domnus Siciliæ Conſularis. 297.
Dorienſes Syracuſ. incolunt. 32. Himeram habitandam ſuſcipiunt. 47.
Doricus Syrac. militũ dux. 118.
Drepanum Pœnis, mox Roman. cedit. 338.
Drogo Nortmannus Græcos fugat. 342.
Ducetius Siculorum Rex. 54. Neas condit, Murgantium expugnat, & Menas transfert. ibid. Palicam ædificat, Ennam invadit, Motium capit. ibid. Cum Syracuſanis vario marte pugnat. 55. Relegatur Corinthum. ibid. In Sicil. rediens Calaètam condit, & moritur. 56.
Duilius Rom. Conſ. Pœnos ſuperat. 222.
Dyrrachium a Guiſcardo expugnatur. 361. & a Guillelmo Rege II. 415.

E

EBerardus Comes Squillacenſis. 384. Buteram fruſtra obſidet. 386. Oculis privatur. 388.
Electus Syracuſanus. vide *Syracuſanus*.
Eleuſinia Sacra Cereris. 27.
Elephantes in Pœnor. exercitu a Metello funduntur. 226. Primùm Romæ viſi. 239.
S. Elias Monachus Tauromeniũ venit. 328.
Elvira Rogerii Regis prima uxor. 377.
Elyma urbs nulla in Sicilia. 31.
Elymus Frigius in Sicil. 20. Ab eo populi Elymi. ibid.
Elyſa a quo Siculi. 24.
Emmanuel Græcus contra Saracenos. 318.
Empedion Selinuntinus. 93.
Enapion Siciliæ Rex. 28.
Engium Pœnis adhæret. 257.
Enna conditur a Syracuſan. 33. Pœnis, mox Romanis cedit. 238. A Roman. deficere tentat. 250. Fruſtra a Rogerio obſidetur. 350. Eidem ſubditur. 365.
Entella a Pœnis oppugnatur. 246. A Roman. capta. 251.
Entimus cum Antiphemo Gelã condit. 33.
Epicarmus Poeta Meſſanæ moritur. 37.
Epipolæ ab Athenienſibus expugnantur. 79.

Epi-

Epicides Syracuſan. contra Romanos. 246. Patriam invadit.247. Roman. obſiſtit.292.
Epicides Pœnus. 257.
Epiſcopi Siculi Apoſtolici qui? 292. Sub Leone I. Rom. P. 303. Sub Gregorio I. 305. Sub Adriano Rom. P. 308. Sub Baſilio Imper. 328. A Rogerio inſtituti. 362.
Epiphanius Catan. Diſc. 308.
Equus generoſus ſub Guillelmo venalis. 383.
Eremburga 2. Roger. Comitis uxor. 350. 366.
S. Ermogenes Agrigent. Epiſcopus. 306.
Eryx Buthis, & Licaſtæ filius. 11. Urbs a Pyrro expugnata. 216. A Pœnis ſubacta. 251. A Romanis ad Pœnos deficit. 231. Ejus celebre Templum Veneri ſacrum. 291.
Eumachus plures in Africa urbes expugnat. 199.
Eunus Servorum dux 265. Ejus vaticinationes. 273. Inſulã vexat, & Romanos Exercitus fundit. 275.
Euphemius Sicil. Præfectus Sacram Virginem rapit. 318. Accuſatus apud Imper. damnatur. 319. Saracenis Siciliam prodit. ibid. Syracuſis obtruncatur. 297.
Euridemus Athenienſ. dux. 74.
Eurileon Minoam expugnat. 34.
Euſebius Siciliæ Conſularis. 297.
Euſtathius Calabriæ Præfectus inter Saracenos, & Græcos pacem componit. 374.
Euthymius Catanæ Epiſc. 328.

F

Fabula de Georgio Maniace expoſa. 317.
Fœdus inter Guillelmum Regem & Michaelem Imper. 389. Inter eumdem Regem, & Venetos. 414. vide *Pax*.
Fames Siciliam, & Africam vexat. 325.
Fames in Sicil. ſub Saracen. 332.
Fatlus Africæ Rex contra Græcos. 314. Illis conciliatur, & tributa remittit. ibid.
Ferrabrachius dictus, quia ferres haberet brachia. 344.
Feſſa urbs Regni Feſſani in Africa caput. 312.
Flavius Vopiſcus Syracuſ. Hiſtoricus. 295.
Fortunatus Catan. Epiſc. Rom. Pontificis ad Imperator. legatus. 303.
Frangipanis Card. ad Roger. II. legatus. 378.
Franci proceres cum Cancellario Siciliã cedunt. 411.
Francorum Rex in Sicilia. 416.
Fridericus Barbaruſa contra Alexandr. III. Rom. P. 413. Ad ſacrum bellũ pergit. 413. Contra Guillelmum II. ducit. 215. Eumdem ſibi conciliare ſtudet. ibid.

G

Galathea Nympha. 28.
Gallorum legati ad Dionyſium. 110.
Gaytus Martinus Chriſtianos vexat 402.
Gaytus Petrus turbas in Sicilia excitat. 406. Inſula excedit. 407.
Gaytus Riccardus contra Cancellarium. 408.
Gela urbs conditur. 33. Pœnis ſubditur. 103. A Pœnis obſeſſa defenditur a civib. 114. & a Dionyſio. ibid. Ab Agathocle vexata. 186.
Gelenſes Syracuſanis fœderati. 77. Dionyſio adhærent. 114. Patria excedunt. 116.
Gelon Tyrannus Gelæ, ejuſque genus. 38. A lupo ſervatur. 39. Syracuſas ſibi ſubdit. ibi. Segeſtanos expugnat. 40. Athenienſib. ſavet. ibid. Pœnos fugat ſub Himera. 41. Illorum naves incendit. 42. Ejus nomen fit celebre. 43. Rex ſalutatur. 44. Ejus ſimulacrum, & Sepulchr. 45.
Gelon Hieronis filius. 235.
Gellias Agrigentinus Templum incendit. 101.
Genſericus Rex Siciliam populatur. 303.
Gentiũ migratio unde facta. 23.
Gentilis Agrigent. Epiſc. contra Cancellarium. 408.
Georgius Europalates Hiſtoricus. 318.
Georgius Maniaces contra Saracen. 335. Nortmannos ſocios adſciſcit. 388. Meſſanã, Syracuſas, & alias urbes expugnat. ibidem. Diſſentit a Nortmannis. 339. Saracen. ſub Troja fundit. 340. Stephanum malè habet. ibidem. Contra Nortmann. in Italia ducit. 341. Ut rebellis accuſatus revocatur ab Imperatore. ibid. Occiditur in bello. 347.
Geracium in Calabria expugnatur. 351.
S. Gerlandus Epiſc. Agrig. 363.
Gigantes primi Sicil. incolæ. 3. Eorumd. licentia, & ferini mores. 4 An olim extiterint. 22.
Gilbertus Gravinenſ. Comes Electo Syracuſ. adhæret. 407.
Gilippus Spartan. contra Athenienſes. 68. Illos adoritur. 73. Plemmirium oppugnat. 75. Auxilia a Siculis obtinet. 80. Athenienſ. fundit. 85.
Gorgias Rhetor Leontinus. 58.
Gorgilus Corinthius Syracuſas venit. 72.
Gorgus, & Mantyclus Meſſanenſes. 36.
Gothi Siciliã invadere tentant. 497. Italiam diripiunt. 498. Illorum origo, & nomen. 299. Sicilia excedunt. 301.
Gotfredus Nortmannis fratribus ſuccedit. 341. Beneventum occupat. ibid. Leoni Rom. Pont. ſe opponit. ibid.
Gotfredus Rogerii Regis filius moritur. 364.
Gotfredus Montis Caveoſi Com. 385. Majonem occidere tẽtat. 386. Buteram confugit. 387. Oculis privatur. 388.

Gra-

Digitized by Google

Græci in Siciliâ. 32. Calabriam occupant. 324.
S. Gregorius Agrig. Epiſc. 305.
S. Gregorius Magnus monaſteria condit. 305. Fit Pont. 307.
Gregorius Aſbeſta Syracuſ. Ep. turbas in Eccl. excitat. 327.
Gualterius Agrig. Decan. Guillelmi II. præceptor. 411. Fit Archiep. Panorm. ibid. Penes ipſum ſumma Regni poteſtas. 412. Principem Eccleſiam Panormi condit. 414. & S. Spiritus Cœnobium. ib. Tancredi electioni adverſatur. 416.
Guiſcardus vide Robertus.
Guido Luſignanus Ptolemaidã obſidet. 415.
Guillelmus Guiſcardi filius Apuliæ Dux Urbis Præfect. 372. Salerni moritur. 373. Panormi dimid. Roger. dat. 377.
Guillelmus I. Regni conſors cũ Patre. 377. Tarenti Princeps. 376. Confirmationem Apuliæ non impetrat. 382. Adriano Pontif. adhæret, & contra Saracen. movet. ibid. Beneventum occupat. 372. Avaritia fit inſignis. 383. Salernum venit. 384. Græcos ad Brundusium fundit. 387. Barium diripit. 388. Carceri a conjuratis mancipatur. 397. A plebe liberatur. 398. Emendationẽ promittit. 399. Novos Regni præfectos ſtatuit. 400. Motus in Apulia compeſcit. 401. Tabernam arcem expugnat. ibid. Tarẽtum recipit. 402. Salernitanos punit. ibid. Quieti, & otio indulget. 406. Palatiũ novum molitur. 404. moritur. ibid.
Guillelmus II. Bonus appellatus. Ejus egregii mores. 406. Vires contra rebell. parat. 409. Romanę Eccleſię obſequitur. 412. Alexandro III. ſuppetias mittit. 413. Contra Græcos, & Saracen. ducit. ibid. Africam urbem recuperat. ibid. Eccleſiam Montis Regalis fundat. 414. Commeni Imper. filiam in uxorem petit. 415. Joannam Angliæ Regis filiam ducit. 416. Moritur. 414. Alexandriam Ægypti fruſtra obſidet. ibid. Friderico ſe opponit. 418.
Guillelmus III. Siciliæ Rex VI. 419. Circumventus ab Henrico captivatur. ibid. In carcere moritur. ibid.

H

HAbitatores Siciliæ primi in montibus. 6.
Hammon Libyæ Rex. 8. Chamus eſſe creditur. 27.
Hanno Carthaginienſis Sicil. urbes occupat, & moritur. 111.
Hanno Carthaginienſis in Sicilia. 164.
Hanno Carthaginienſis Roman. fundit. 219. Victus a Romanis. 223. 224. A Pœnis mulctatur. 238. Siciliã Romanis relinquit. 260.
Heliodorus magus Catanę combuſtus. 307.
Heloris Dionyſii amicus. 118.
Henricus Imp. Gregorium VII. Rom. Pont. vexat. 361. Romam invadit. 362. A Guiſcardo ſuperatus. ibid.
Henricus Ariſtippus fit Regis familiaris. 394.
Henricus Montis Caveoſi Com. adverſus Cancellarium 408. In Hiſpaniam abit. ibid. Fit Regius Conſularis. 411.
Henricus Cæſar Conſtantiæ nubet. 417. Neapolim oppugnat. ibid. In Germaniam redit. 418. Apuliæ urbes diripit. ibid. Neapolim obſidet, & capit. 410. 420. Guillelmum III. dolo intercipit. 419. Rex Siciliæ coronatur. 420. Salernitanos mulctat. ibid. Moritur. ibid.
Heraclea conditur. 33. 34.
Heraclia Gelonis filia occiditur. 244. & cum ea filiæ virgines. 245.
Heraclides Syracuſanus. 80.
Heraclides Syracuſanus Patria exul. 150. Revocatur ab exilio 159. Syracuſas ſibi vindicat. ibid. Occiditur. 160.
Heraclides Agathoc. filius. 202.
Heraclius Imperator. 306.
Heraclidarum genus. 34.
Hercules in Sicil. venit. 11. Varii ejuſd. nominis. ibid. Gigas fuit. 12. Tyrannos in Aſia, & Africa conficit. ibid. Erycem vincit. 14. Motyam in inſula condit. 16. Siculos Duces ſuperat. 18.
Hermocrates Syracuſ. ejus ſtratagemma. 84. Patria exul. 95. Selinuntem reficit. 96. In Patriam revocatur. ibid.
Hiceta Syracuſ. Tyrannus. 212.
Hiero Senior. 47. Poſt morbũ mores mutat. ibid. Catana potitur. 48. Cumanis auxilia præſtat, & Athenienſibus. ibid. Victor in Olympiis. 49. Catanæ moritur. ibid.
Hiero II. forma, & moribus inſignis. 215. Uxorem ducit. 226. Romanos juvat. 234. Donãria Romã mittit. 235. Ædes excitat magnificas. ib. Ejus mors. 336. Ejus ad Romanos reſponſum. 337.
Hieronymus Hieronis nepos Syracuſ. Rex ſalutatur. 141. Ad Pœnos deficit, & occiditur. 142.
S. Hilarion ad Pachynum Siciliæ appellit. 296.
Himerenſes Pœnis reſiſtunt. 94. Vincuntur. ibid.
Hippo Meſſanæ Tyrannus a Timoleonte necatur. 175.
Hippocrates fœdus cum Roman. rumpit. 245. Suos decipit. 246. Patriam invadit. 247.
Hippocrates Zanclæos intercipit. 35. Gelæ Tyrannus. 38. Camerinam ſibi ſubdit. ibid. Himeram obſidet. 41. occiditur. 42.
Hippona apud Bibonam. 41.
Hipponium urbs in Sicilia. 45.

Homerus de primis Siciliæ incolis ſcribit. 5.
Honorius II, Rom. Pont, Rogerio adverſatur. 373. Diris eum confìgit. 378.
Horrea Syracuſana populo redduntur. 243.
Hurobus Saracenus dux in Syracuſ. obſidione occiſus. 322.
Hugo Gozetta, ſive de Gircea, a Sarac. occiſus. 359. 366.
Hugo Card, Callixti II. legatus ad Rogerium. 377.
Hugo Archiep. Panor, cum Majone fœdus init. 384. Ab eo diſſentit. 392. Moritur. 394.
Hugo Falcandus, Ejus Hiſtoria. 404. 405.
Hugo Comes Catacenſis. 411.
Hybla Megara conditur, 33.
Hyblo Siculorum Rex. 33.

I

S. *Jacobus* Ep. Catan. 307.
Janus idem ac Noe ex Beroſo. 7. Idem ac Javan juxta alios, Eliſæ filius. 24. Ejus mors. 9.
Jatum oppidum Rogerius expugnat. 387.
Japhetus Paganis Neptunus. 23.
Javan, a quo Jones. 24.
Iberes Aſiæ primi Siciliæ incolæ. 25. 30. Ab iis Trinacria nomen. 25.
Ibraimus Africæ Rex. 329. Tauromenium diripit. 330. Calabriã vexat. 331. fulmine ictus perit. ibid.
Icetas Leont. Tyrannus Timoleonti adverſatur. 165. Syracuſ. obſidet. 168. Catanã occupare tentat. 169. Contra Timoleontem ducit. 173. Supplicio afficitur. 175. Ejus imperium. 178.
Idalium caſtellum, vide *Italium*.
Ignis Pœnor. caſtra invadit, & Agathoclem fugat. 201.
Ignatius Patriar. Byzantin. 327.
Imilcar Pœnus claſſe cum Syracuſ. pugnat. 101. Ejus conſilium. 100. Dionyſ. oppoſitus. 125. Motyam recuperat. 128. Meſſanam obſidet. 129. Syracuſ. oppugnat. 132. Templũ Dianę ſpoliat. ibid. Moritur. 135.
Imperium Occid. reſtituitur. 315.
Incolæ primi ante diluvium navibus carent. 22.
Ineſſa, & Hybla ab Athenienſibus vexantur. 69.
Innocentius II. Rom. Pont. bellum contra Roger. gerit, & fit captivus. 373. Liber dimiſſus illum in Regem confirmat. 373. Ejus diploma a Baronio recitatur. 380. Offenſus a Rogerio. ibid.
Io, & Iſis eadem ac Ceres. 8.
Joanna Angliæ Guillelmo II. nupta. 414. Cum fratre in Syriam tendit. 417.
Joachimus Abb. in Sicil. ſub Roger. Rege. 376. Rurſus Meſſanæ. 418.
Jolaus Græcorum colonias ducit. 15. 27.
Jones Zanclã urbẽ occupant. 35.
Jordanus Rogerii filius ab inſidiis evadit Catanæ. 359. Drepano potitur. ibid. Catanam recuperat. 360. Contra patrem rebellat. 362. In gratiam ab eo recipitur. 363. Moritur. 364. An ex pellice natus. 366.
S. *Joſeph*. Hymnographus. 327.
Jovis Olympii fanum extra Syracuſas. 70.
Joydaula Sicil. Am. XVI. 334.
Irenes Auguſta, ejuſq. geſta. 308.
Irenes Roger. II. uxor. 418. Philippo Sueviæ Duci vidua nubet. 420.
Iſacius Imper. a Guillelmo oppugnatur. 413.
Iſuphus Marocci Rex pacem cũ Guill. I. init. 415.
Italium Caſtellum a Pœnis oppugnatum. 240.
Itali ab Agrigẽto diſcedũt. 101.
A Dionyſio ad ſtipẽdia vocantur. 115.
Judith Rogerii uxor. 366.
Julianus Apoſtata. Syracuſis diverſatur. 296.
Julius Firmicus; Maternus Siculus. ibid.

K

Korabas Sicil. Amira VIII. 331.

L

Læſtrygones ſide appellati. 4. Nautæ malé dicuntur. 26.
Lamachus Athenienſis dux occiſus. 71.
Lamias in monte Africæ. 197.
Lanaſſa Agathoclis filia. 207.
Leo II. Rom. P. Siculus. 306.
S. *Leo* Epiſc. Catanenſis. 207.
Leo Copronymus Imper. 307.
Leo III. Rom. Pont. 315.
Leo Apoſtypa Sarac. fundit. 321.
Leo Imper. Catholicos perſequitur. 307.
Leontini Syracuſas migrant. 61. A Romanis deficiunt. 246.
Lepas collis ubi ſitus. 88.
Leptines Tyrannus exul. 170.
Leptines Agathoc. dux. 201. 206.
Lepidus Sicil. occupat. 268. Urbes in Sicil. ſibi vindicat. 285. Ejus naves everſæ. 286. Meſſanam diripit. 290.
Levinus Conſ. Rom. contra Pœnos. 259. Agrigentũ recipit. 260. Ejus ad Senatum oratio. 262.
Libertas Syracuſ. reſtituta. 242.
Liberius claſſis Præfectus. 302.
Libyri Agathocli ſubduntur. 199.
Licinius Nerva cõtra ſervos. 277
Lilymas Libyæ Rex. 192.
Lilybæum a Pyrrho oppugnatũ. 214. A Pœnis, & Romanis. 226. 227. 237. 239. Ejus portus occluſus. 228. 239.
Liparenſes Roman. Legatos liberant. 137. Expilantur ab Agathocle. 204. 207. Ab Auguſto in Campaniam deportantur. 285.
Liſſus urbs condita in Sicil. 141.
Locrenſes a Dionyſio oppugnãtur. 110. 111.
Lotophagi qui fuerint. 25.

Lotharius Imp. contra Roger. 374. Tridenti moritur. 369.
Lucius II. Rom. Pont. Roger. in Regem confirmat. 380.
Lucius III. Eccleſiam Archiepiſ. Montis Regal. erigit. 414.
Lucius Sicil. Præfectus. 307.
Luctatius Rom. Conſ. debellat in Sicilia. 232. 230.
Ludovicus Galliæ Rex liberatus. 380.
Lues caſtra Rom. diſſipat. 159. vide *Peſtis*.
Lunæ defectus. 151.
Lupus Dionyſ. literas rapit. 153
Lycalla Butis uxor. 11.
Lyciſcus ab Archagato occiſus. 195.
Lympetra Stagnum. 31.

M

M*Adonia* Tancredi Regis filia. 417. 420.
Madina Sicil. oppidū nullū. 163.
Mago Carthag. dux. 126. Dionyſio ſe opponit. 143.
Mago Carthag. dux. 168. 169.
Mahdia Africæ urbs conditur. 311. Eadem ac Africa. 313.
Majo, ejus ortus, & mores. 383. Cum Hugone Panorm. Archiep. ſocietatem init. 384. Conjurat in Regem. 385. Ab inſidiis Gotfredi Com. liberatur. 386. Populum ſibi cōciliat. 388. In eum Apulienſes conjurant. 390. Fit Hugoni Archiep. inimicus. 391. Qui ſe perdere invicem procurant. 302. Ejus mors Regi fit manifeſta. 394.
Malaceuus dux Græcus contra Saracenos. 325.
Mamercus Catanæ Tyrann. Timoleonti adhæret. 167. Contra eumdem ducit. 174. Laqueo perit. 175.
Mamertinus Rhetor, & Conſul. 296.
Mamertini Meſſanam occupant. 209. Pyrrhum inſectantur. 211. A Dionyſio funduntur. 211. Illorum origo. 202. Ab Romanis auxilia petunt. 216.
Maniaces. vide *Georgius*.
Maniacellus Patritius contra Saracenos. 326.
Maniacium oppidum. 340.
Manlius Roman. Conſ. Pœnos fundit. 225.
Maomedes inſana dogmata ſpargit. 306. 310.
Maometus Sicil. Amira V. Leontinos, & Raguſiam ſubigit. 129. 130.
Marcellus Rom. Conſ. ſubſidia Syracuſ. affert. 247. Eorum urbem obſidet. 248. Murgātiam expugnat. 250. In rebelles debacchatur. 251. Legatos Syracuſ. recipit. 255. 256. Contra Pœnos ducit. 257. Siculos ſibi demeretur. 258. A Syracuſanis accuſatur. 259. 261. Catanæ Gymnaſium fundat. 258. 261.
Marcellinus Patritius Wandalos e Sicilia pellit. 303.
Marcus Aurelius Imper. 294.
Margarita Rog. Reg. uxor. 385.
Margarita Guillel. Regis uxor Regis tutrix. 404. Maniacēſe cœnobium condit. 414. Moritur. 415.
Margaritus Talaſſiarcha 415. Neapolis obſidionem ſolvit. 418. Fit Tarenti Com. 419.
Marianus Argyrus contra Saracenos. 325.
Marocci Rex Africam urbem Guillelmo reddit. 413. Ejus filia captiva. ibid. Regnum fundatur. 313. Ejus Reges. 319.
S. Martianus Epiſc. Syrac. 393.
Matildis Roger. filia. 377. 379.
Matthæus Bonellus *Majonis* Gener 391. In Majonem conjurat. 392. Majonem confodit. 393. Panormū a Rege evocatur. 394. In ejus ſuſpicionem venit. 395. Proceres Siculos ſolicitat. 396. Ejus ad Regem reſponſum. 399. Capitur, & carceri mancipatur. 400.
Matthæus Notarius vitę periculum ſubit. 393. Regni negotiis præficitur. 400. Ejus domus Salerni ſubruitur. 403. Contra Cancellar. conjurat. 408. E carcere eductus turbas fovet. 410.
Mauritius Imperator. 306.
Maurus Joannes contra Saracenos. 305.
Maximinus Epiſc. Afric. Siciliā corrūpere hereſi tentat. 302.
Mazara urbs oppugnatur. 358.
Mazaræ Epiſcopus Majonis Legatus. 391.
Mecias Dionis frater. 149.
Megallides a ſervis occiditur. 275. Ejus filia Catanæ ſervata. 276.
Megara ab Athenienſib. obſidetur. 69.
Melania, & Rufin. in Sicil. 297.
Meles Baren. cont. Græcos. 326.
Melita a Rogerio expugnatur. 364. Romanis ſe dat. 239.
Menander Dux Athenienſis. 74.
Menon Agathocli venenū propinat. 207.
Meno Pompeji libert. 267. Sardiniam occupat. 282. Cæſari adhæret. 283.
Mercurii ſtatuæ Athenis truncatæ. 64.
Mericus Hiſpanus pro Romanis ſtat. 255.
Meſſala Rom. Conſ. horologiū ſolare Romā transfert. 237. In Siciliam cum poteſtate venit. 263.
Meſſana a Meſſeniis occupata. 35. A Leontinis, & Athenienſib. vexatur. 60. Contra Syracuſan. fruſtra ſolicitata. 65. A Pœnis diripitur. 129. A Syracuſ. obſidetur. 217. Saracen. ſubditur. 344. Roger. Com. ſe dedit. 360. Cōtra Cancellarium rebellat. 409. Anglos excludit, a quibus diripitur. 418.
Metaurum oppidum. 213.
Metellus Conſ. Roman. Pœnos fundit. 225. 226. 239.
S. Methodius Syrac. Patrircha Conſtant. 327.

Me-

Mezentius in Sicilia opprimitur. 315.
Michael Balbus Imper. 316.
Michael Diocliyzius contra Saracenos. 360.
Minoe urbs a Cretis fund. 19.
Minoes in Sicil. venit. 18. Ejus mors. 19.
Miſiſtratum a Roman. oppugnatur. 238.
Monarbi martyrio affecti. 327.
Mons regalis fundatur. 414.
Monſtrum triceps in Sicil. 293.
Morgetes Morgantiam condunt. 17. Duce Lampide in Siciliã veniunt. 33.
Motya ad Lilybœum. 27. A Dionyſio expugnatur. 125. Strenuè ſe defendit. 126.
Motyon a Ducetio capitur. 54. Ab Agrigentinis recuperatum. 55.
Muebavia Saracen. Præf. 311.
Mulei idem ac Rex. 313.
Muſeus Sarac. Hiſpaniam invadit. 311.
Matines Pœnus dux. 257.

N

NArſes de Gothis triumphat. 307.
Naſeres Saracen. ſuperat. 321.
Navis Rhodiæ facinus. 228.
Naves Dionyſii. 123.
Naxus a Calcidenſib. conditur. 32. A Syracuſ. fruſtra obſidetur. 60. Dolo a Dionyſ. intercepta. 145. Deletur. 148.
Nicephorus Phocas contra Saracenos. 323. 326.
Nicephorus Caranteuus Saracenos fundit. 326.
Nicephorus in Michaelẽ rebellat. 360. Ab Alexio occiditur. 361.
Niretas Patr. a Saracenis captus. 326.
Nicetas Sarac. bis fundit. 321.
Nicias Athenienſ. dux ſuis bellum Siculum diſſuadet. 63. Segeſtam contendit, & Hiccaram diripit. 66. Suorum caſtra ſervat. 71. Pemmirium munit. 73. Gilippo ſe dedit. 86. Morti additur. 87.
Nicias Engynus Romanis favet 257. Civibus ſuis vitam impetrat. 258.
Nicoſia a Rog. expugatur. 352.
Nicotrum a Sarac. direptũ. 358.
Ninus, & Ninias ejus filius. 9.
Noe idem ac Janus ex Beroſo. 4. Toti orbi præeſt. 6. Illius inventa. 7. Ejus mors. 23. Extra Aſiam nequaquam progreſſus eſt. 27.
Nomades Prædones Afri. 196.
Nome urbs proxima Syrac. 57.
Normanni in Italia ſtipendia faciunt. 328. Eorum origo. 336. A Maniace diſcedunt. 339. Melphim occupãt. 339. & Apuliam. 342. De Sicilia invadenda cogitant. 346.
Normanni Equitis facinus. 356.
Nypſius Patriã invadit. 157. 158
Nyſa ab Athenienſib. oppugnata. 60. Ejus ſitus. 61.
Nyſſeus Syracuſ. Præfect. 162.

O

OArius Servorum dux. 277.
Obcidallas Afric. Rex. 330.
Octavianus Aug. vide *Auguſtus*.
Oddo Querellus Cancellario favet 408. a Meſſanenſibus occiſus 409.
S. Oliva Vir. Mar. Panor. 303.
Olympium Jovis Templũ. Syr. 89.
Olympius Saracenos fundit 314.
Ophellas Rex Africæ 197.
Oranum urbs Africæ 313.
Oreſtes contra Saracenos 320.
Orion Portus Meſſan. author 28.
Ortygia Syracuſarum pars 32.
Oſiris Saturni filius, Jupiter. 8.

P

PŒni Agrig. defendunt 218. vide *Carthaginienſes*.
Palatiũ novũ cõditur. 375. 404.
S. Pancratius Tauromen. Epiſcopus. 293.
Panetius Leontin. Tyrannus 38.
Panormus a Romanis oppugnatur 239. In ea Saraceni rebellant 332. A Normannis capitur 356. 357. Regia a Saracenis conſtituitur 323. A Piſanis diripitur 354.
Paralus Dionem exeipit 158.
S. Paſchaſinus Lilybætan. Epiſ. 302. 303.
S. Paulus Syracuſ. appellit 293.
Pax inter Dionyſ. & Pœnos 117 137. Inter Pœnos, & Agathoclem 203. 214. Inter Hieronẽ & Romanos 237. Inter S. Põpejum, & Octavianum 283. Inter Græcos, & Sarac. 331.
Pelagius Hæreticus Syrac. 297.
Pelaſgi primi Siciliæ incolæ 25.
Pelorus gigas 28.
Pentagia Rogerio rebellis diripitur 364.
Pantaliſinus Syra. inſtituitur 52.
Pergamon Pyrata Siciliam vexat 267.
Perpenna Sicilia excedit 266.
Peſtis inter Pœnos milites 99. 110. 133. Inter Romanos 239. Inter Pœnos, Sicul. & Romanos 254.
S. Petrus in Siciliam venit 293.
Petrus Siculus celebris Scriptor 328.
Petrus Gaytus vide *Gaytus*.
S. Petri de Palatio Panor. Templum 376.
Petralia a Rogerio expug. 350.
Phalaris Tyrann. Agrigentinus 38. de illius ætate 45.
Pharnabazus Perſa Satrap. 97.
Pheas Athen. Legatus 61.
Pherax Dioni opponitur 159.
Philippus Galliæ Rex in Sic. 413. Syriam abit 417.
Philippus Rogerii Comit. explorator 363.
Philyſtus Dioniſ. adhæret 105. Illũ ne tyrannidem deponat hortatur 118. Ab exilio revocatur 149. fit Dioni adverſarius. ibidem. Dionyſio ſuccurrit 154. In navali pugna occiditur 156.
Philoxenus Poeta 141.
Phintias Agrigen. Tyrannus 212. Urbem ſui nominis condit. 213.
Phœnices in Sicil. appellunt 21.

Pho.

Phocas Aug. a milit. dictus. 306.
Phocenſes, ſive Elymi in *Sic.* 21.
Photius Patr. Conſt. 327. 328.
Pinarius Ennæ Præfect. 250.
Piracmon Cyclops. 26.
Piſani Panorm. diripiunt. 354.
Piſo Rom. Conſ. ſervos debellat. 265.
S. *Placidus* Monaſticam diſcipl. in *Sicil.* plantat. 304.
Platia direpta a Guillelmo I. Rege. 400.
Plato apud Dionyſ. 106. Secundò Syracuſas venit. 149. indeque diſcedit. 150. 151.
Polixenus Dionyſ. cognatus. 111.
Polyphemi ędes in Ætna. 26.
Pompejus Maril militea ſuos facit in Sicil. 263. *Sicil.* regendam ſuſcipit. 267. Ab Antonianis occiſus. 268. Maris Imperator. 281. Totam occupat inſulam. 282. Victus fugit. 289. Occiditur. 290.
Porphyrius Philoſ. in *Sicil.* 295.
Portus Lilybœi occluſus a Romanis. 239.
Prætorum in Sicil. ſeries. 263.
Protilium oppidum. 33.
Proſerpina Cerer. filia. 10. Ab Orcho Moloſſor. Rege rapta. 16. Ejuſd. feſta. 11.
Probus Lilybętan. Philoſ. 295.
Procopius vir princeps. 296.
Proceres *Siculi* cum Bonello cōſpirant. 396. Conjuratio detegitur. 397. Plebem habent infeſtam. 398. E Regno liberè abire permittuntur. 400.
Proceres Eccleſiaſtici ſub Guillelmo inter ſe diffident. 406.
Pugna inter Syrac. & Athen. 74. 79. Naval. inter eoſd. 81. 82.
Punicum bellum primum. 218.
Pyrrha, & Deucalion in Sic. 28.
Pyrrhus Rex in Sicil. 210. Erycem vi expugnat. 213. Inſula excedit. 215.
Pythonis Rhegini facinus. 140.
Pythagoras in Sicil. 45.

Q

Quinqueremes a Dionyſ. inſtitutæ. 182.
Querellus vide *Oddo.*

R

Rancon Lotharii Imperat. dux. 374.
Raymundus Antioch. Princ. 372.
Raynulphus Montis Caveoſi Comes. 377. Arma contra Rogerium. ſumit. 379. Moritur. 380.
Regulus Rom. Conſ. captus. 225. Romanis bellum contra Pœnos ſuadet. 227.
Reſtha Dionyſ. objurgat. 106.
Rhea Saturni ſoror. & uxor. 8.
Rhegini a Dionyſ. expugnantur. 110. Eid. ſeſe opponunt. 121. Denuo a Dionyſ. ſubduntur. 139. Dura obſidione preſſi. 140. Debellantur. 141.
Rhodii Hieroni obnoxii ob beneficia. 240.
Riccardus Angliæ Rex Bellum ſacrum ſuſcipit. 413. Meſſanam adoritur, & diripit. 417. Nuptias Meſſ. celebrat. 418.
Riccardus Acerræ Comes. 415. Neapolim defendit. 418.
Riccardus Avellini Com. 379.
Riccardus Mandra Moliſii Com. 407. Contra Cancellarium conjurat. 408.
Robertus Guiſcardus Apuliam ſibi vindicat. 343. Romano Pontif. ſuppetias præſtat, & Calabriam ſubjicit. ibid. Cū fratre Rogerio diſſidet, 352. Meſſanam trajicit. 356. Panormum incaſsū obſid. 355. Secundò adoritur, eaq. potitur. 356. A Roger. fratre auxilia recipit. 357. Salern. obſidentes expugnat. 358. In Græciā trajicit. 361. Henricum Imp. ſuperat. 362. In Græcia moritur. ibid.
Robertus Angliæ Rex. 337.
Robertus Troynæ Epiſc. inde Meſſanæ. 364. 366.
Robertus Adelaſiæ gener Siciliæ Adminiſtrator. 368.
Robertus Capuæ Princeps miſerè perit. 382.
Robertus Com. Lauricelli Majoni infeſtus. 384. *Apulię* maritima occupat. 385. Extra Regnum fugit. 388. In *Apulia* turbas excitat. 401.
Robertus Surrentin. Capua potitur. 385. Oculis privatur. 388.
Rogerius Comes Scillaceum cepit. 343. Meſſanam trajicit. 346. Prædas agit. 347. Meſſanam ſecundò obſidet, eaq. potitur. 348. Profanas ædes purgat. 349. Ennam obſidet. 350. Troynæ vitæ periculū ſubit. 352. Saracen. fundit. 353. Sub Ceramio funditùs Saracen. copias evertit. 353. Agrigentum oppugnat. 354. Calataxib. arcē condit, Troynę & Petral. potitur. 350. Suis in periculo ſuccurrit. 355. Saracen. ad Mazaram vincit. 359. Zoticen diripit. ibid. Caſtrum novum expugnat. 360. Contra Syracuſas ducit, urbemque expugnat. 363. Agrigentum, & Ennam ſuperat. ibid. Epiſcopatus, & Monaſteria erigit. ibidem. Melitam conquirit. 364. Capuam obſidet, & capit. 365. Jatum oppid. expugnat. 367. Ejus in Eccleſiam merita. 365. Moritur. ibid.
Rogerius Syracuſ. Epiſc. 366.
Rogerius II. Ejus adoleſcentia. 368. Calabriam, & Apuliam conquirit. 373. Rex ſalutatur. ibid. Naufragium patitur. 374. Libyæ urbes expugnat. 375. Ejus virtutes. 376. Moritur. 377. Salernū conquirit. 378. Contra Honorium Roman. Pont. ducit. ibid. Capuam, Salernū, Beneventū &c. recuperat. 379. Ejus ſepulchrum. 381.
Rogerius Guiſcardi filius. 370.
Rogerius Creoneuſis in Majonē conjurat. 390.
Rogerius puer Guill. filius Rex appellatur. 397. Sagitta percuſſus interiit. 398.
Roger. Sclavus cont. Regā. 400.
Rogerius Marcomannus capitur. 401.

Ro-

Rogerius III. Siciliæ Rex V. Patri Tancredo præmortuus 420
Rollon Nortmannus Gallias invadit 336. Ejus progenies. ibi.
Romana Ecclesiæ Patrimonium in Sicil. 307.
Romani Imperii caſus 298.
Romani auxilia Mamertinis decernunt 217. Agrigentum obſident 218. Pœnos fundunt 220. Sicil. urbes ſibi vindicant 222. In Africam ducere ſtatuunt 223. ubi urbes expugnāt 224. Claſſem adornant 232. Claſsē Pœnorū fundunt 134 Syracuſas expugnant 252.
Rupilius Con. Rom. Colonias in Sicil. ducit. 269. Contra ſervos debellat 270. Ovatione contētus 275. Leges Siculis dat. 270 Secundò contra ſervos ducit. 275. Eunum, & ſocios exterminat. 276.

S

S*Aba* Dux Saracenus contra Siculos 316.
S. *Sabinus* Epiſ. Catanenſ. 308.
Saladinus Syriā invadit 413.
Salemus Amira Sicil. X. 331. In ſuos crudeliſſimos 332.
Salvius Servorum Dux 277. Romanos fugat 278. Rex conſtituitur 279.
Salvidianus vincitur 282.
Samii Zanclam occupant 35.
Saraceni unde appellati 309. Hiſpanias occupant 311. Syracuſas diripiūt 315. Ab Euphemio vocati 319. Sic. potiuntur 320. Syracuſas obſident, & expugnant. 322. Calabriam vaſtant 325. Græciā adoriuntur 327. In Amiram Siculum rebellant 330. 332. Fœdus cum Græcis incunt 331. Infantes ſuos circumcidunt 333. Tarentum, & Salernum diripiunt 334. inter ſeſe pugnant 334. Siciliam recuperant 340. Dominatus varios inſtituunt 344. Nortmannos fugant 366.
Saracenus Zelotypus Sororē perimit 348.
Saturnus Siciliam occupat. 6.
Satyrus ultim. Servorū Dux 281.
Scipio vide *Cornelius*.
Scythes Zanclæ Tyran. 34. Capitur 35.
Sebaſtophorus cont. Maniacē 342.
Sedelgarda Guilelmi Guiſcardi uxor 377.
Seditio in Exer. Agathoclis 195.
Segeſtani cum Selinuntinis diſſident 62. Athenienſes auxiliatum vocant ibidē. Novæ inter eoſdem inimicitiæ 90. A Pœnis auxilia obtinent ibidem.
Seleurus Servorū Dux 269. 273.
Selinuntis conditur 33. Ab Annib. diripitur 94. Reſtauratur 96.
Sem Paganis Pluto 23.
Sempronius Siciliæ Prætor 271.
Sennaar campus in Meſopotamia 23.
Septimius Severus Siciliæ Prætor 294.
Sergius Rom. Pont. Siculus 306.
Sergius deficit ab Imperat. 315.
Serlo Rogerii Nepos 35. A Sarac. interceptus occiditur 358.
Servius Fulvius Rom. Con. in Sic. 224.
Servi in Sicilia Romani Prætoris exercitum fundunt 265. 276. In Dominos conſpirant 276. debellantur 277.
Sicani unde in Inſulam venerint 16. Indigenæ creduntur 25. Illorum origo 27. 29. 30.
Sicania Saracenis ſubditur 327.
Sicilia Cyclopū inſula 5. Ejus fertilitas 6. quo Sæculo habitata 23. Japheti filiis aſſignatur 24 A Siculis nomen habuit 17. Ejus ſtatus varius 60. Ad Pœnos omnis deficit 187. P. Romani Populi provincia 233 A Pœnis vexata 249. Ejus regimen per Romanos 264. Ejus urbes fœdus pro libertate ineunt 194. Prætoria Provincia declaratur 305. Ejus Epiſcopi ſub Romano Patriarchatu 307. Status peſſimus ſub Saracenis 332.
Siculi unde 17. 27. 30. Illorum urbes 17. Cum Sicanis contendunt ibidem Ad Athenienſes deficiunt 71.
Simonides Athenienſ. 35.
Simon Rogerii filius Com. 11. 368
Simon Policaſtrenſis Comes cōtra Græcos ducit 384. Majonis aſtu ad Regem delatus 385 Buteram obtinet 387. In itinere decedit 388. 405.
Simon Seneſcalcus Apuliæ præfectus 388.
Solis Eclypſis quid denotat 189.
Soſis inſidiatur Dioni 155.
Soſtrates Syracuſanus Dux 213.
Spinus ſub Totila Rege 304.
Statilius ad Cæſarem deficit 267.
Statua ad Rhegium 297.
Stenius Himerenſis 266.
Steropes Cyclops 26.
Stephanus Mezentius ocio rem perdit 323.
Stephanus Imper. ſororius 340.
Stephanus Primus Epiſc. Syracuſanus poſt Saracenos. 364.
Stephanus Rhotomagenſis Mazaræ Epiſc. 364.
Stephanus Perticenſis Com. filius 408. fit Cancellarius, & Pan. Archiepiſc. ibidem. Inſidias, Meſſanæ, & Panormi, evadit 408. 410. novis inſidiis appetitus, 410. Sicilia excedit 411. moritur in Syria 412.
Sybilla Tancredi Regis uxor. 420
Sylveſter Marſici Comes Majonis inſidias Regi aperit 290. 294.
Symæthus, & *Symæthides* filia 28.
Syracuſani Tyrannos depellunt 51 Cum Athenienſibus bellum gerunt 59. Ad Pœnos legatos mittunt 78. Ad Agrigent. ſubſidia 99. In Dionyſium inſurgunt 107. 116. 118. Ætnā evadunt 119. Ab Amilcare oppugnantur 132. Tyrannos depellunt. 154. In ſeditionem rurſus veniunt 156. Libertatē accquirunt 208. Libertati aſſeruntur 243. Hoſtes depellunt 244. Prætores creant 245. Legatos Romanos repellunt.

lunt 248. Marcello ſubduntur 248. 249. Acradina expugnata, & Inſula 256. A Pyratis vexati. 3 .6.
Syracuſani Electus Regis familiaris 405. Panorm. Archiepiſ. eligi procurat 406. Reginæ gratiam init, In Cancellarium conjurat 407. Denuo Regis familiaris 41 1.

T

T *Ancredus* de Altavilla 337. Ejus filii In Italiam veniunt, ibid. Moritur 338.
Tancredus Rogerii Nepos ad ſacrum bellum progreſſus 369.
Tancredus Lecii Comes contra Imper.& Græcos 415. Rogerii Ducis Apuliæ filius 418. Rex Coronatur a Siculis 416. de conſenſu Rom. Pont. 418. Moritur. ibid.
Taurus Mons a Siculis occupatur 13.
Tauramenium in Dionyſii poteſtatem 137. Ejus fundatio 162 A Saracenis ultimò expugnatum 323 33: Græci Patritii ſedes 348. denuo a Saracenis direptum 333 A Rogerio expugnatum 366.
Teleſinum Regnum in Africa 313
Terillus Himeræ Tyrannus 40.
Tera Tyrannus Agrigentinus 38.
Terræ ab Adam filiis occupatæ ante diluvium quales 22.
Terræmotus in Sic. 292. 296. 412
Theocles Calcid. Dux 32.
Theorides Claſ. Dionyſ. Dux. 139.
Theognia Agathoclis uxor 205.
Theodorus Hieronymum Tyran. Syrac. e medio tollit 242.
Theodorus vir Princ. Sicul. 296.
Theodoricus Siciliã occupat 299.
Theodorus Sicil. Patritius 307.
Theodorus Catanæ Epiſc. Legatus ad Rom. Pont. 308.
Theodoſius Claſſ. Græcæ Dux 316.
Theodotus Sic. repetit 300.
Theophilus Imperator 321.
Theodoſius Monachus excidium Syracuſarum deſcribit 318.
Theodora Auguſta Cultum Ss. Imaginum reſtituit 317.
Thermarum urbs condita 98.
Thermæ Imerenſes a Romanis expugnantur 239.
Theſſalli Siciliæ coloni 31.
Thirion Syracuſanus 113.
Toreici primi Siciliæ incolæ 24.
Tiberius Dux contra Imper. rebellat 307.
Timorrates Dioni opponitur 154
Timoleon Dux Corinthius 165. In Siciliam venit 166. Icetam fugat 167. Meſſanam expugnat 169. Syracuſas adoritur, & ſuperat 170. Siculos, & Sicanos in ſocietatem recipit 171. Contra Pœnos ducit, & vincit 172. 173. Syracuſas victor revertitur 174. Pacem cum Pœnis firmat 175. Imperium deponit 176. Ejus funus 177.
Tindarion tyrannidem affectat 52
Titus Imper. Meſſanæ 193.
Totila Romã diripit 301. Siciliã ingreditur ibid. Vacuus redit 304.
Traſibulus Syrac. Tyrannus. 50.
Traſideus Himeræ Tyrannus. 47.
Traſius a Timoleonte deficit. 172.
Traſo ab Hieronymo occiſus. 242.
Trinacria Siculorũ Caput, & Regia. 32. A Syracuſanis diripitur. 56.
Trinacria ab Iberis dicta. 25.
Triuarus Neptuni filius, a quo Trinacria appellata. 25.
Triocala Servorum Regia. 179.
Triphon Servorum Rex. 179.
Troja Roger. reſiſtit. 178. Rebellis denuo diripitur. 379.
Trotilum Sicil. urbs conditur. 36.
Troyna a Roger. capta. 350.
Troynenſes in Nortmannos inſurgunt. 352. Victi a Roger. 353.
Tunetum ab Agathocle expugnatur. 193. Regnum in Africa. 313. Ejus Regum ſeries. 314.
Turiorum, & Locror. clades. 138.
Tyranni in Sicilia. 38.
Tyndaria Taurom. Tyrann. 210.
Tyndaris urbs diripidur. 292.
Tyrus a Saladino oppugnatur. 412.

V

V *Alerius* Conſ. v. *Meſſala*.
Valerius Philoſophus Meſſanæ obtruncatus. 268.
Vectigalia Catanenſi remiſſa 270.
Venus Erycina, & Templum. 11.
Verres in Sicil. Prætor. 267. Eidem oppoſita crimina expenduntur. ibid.
Venetiarum fundatio. 298. *Veneta* claſſis diſſipatur. 316. *Veneti* Michaelis Imper. auxiliarii. 320.
Vexillum Rogerio ab Rom. Pont. datum. 311.
Vigilius Rom. Pont. Catanam venit. 304. Syracuſis moritur. 305.
Violanta Rogerii filia Conrado nubet. 366.
Vmerus. Saracen. dux. 344.
Vmphridus Nortmannus Apuliæ Præfectus. 342.
Vrbanus II. Rom. Pont. in Sicil. 364. Ejus de Apoſtolica legatione Privilegium. 365.
Vtica ab Agathocle expugnatur. 198.

X

X *Antippus* Lacedæm. auxiliator Pœnorum. 224.
Xenodirbus Agrigent. Gelam, aliaſq. urbes diruit. 194. 195.
Xuthus Æoli filius Xuthiæ dominatur. 16.

Z

Z *Ancla* a Cumanis occupatur. 33. & Meſſenis. 35.
Zanclus Gigas. 28.
Zanclæi Himeram condunt. 33. A Joniis intercepti. 35.
Zoe Auguſta. 326. Contra Nortmannos. 341.
Zoroaſter idem ac *Camus*. 8. idē ac *Saturnus*. 9.
Zotica a Roger. expugnata. 359.

FINIS.

ER-

ERRATA.			CORRECTIONES.
Fol.	Lin.		
24	*ultima*	Peloſgos	Pelaſgos
25	23	*poſt* Heracleenſis	*adde* ſive Scinnus Chienſis
26	3	ſunt	ſanè
	5	corſiliariæ	conſiliariæ
29	17	Trade	Troade
45	45	verbo	verba
	47	Cluverius	Cluverium
98	34	uis	ſuis
129	*in margine*	feſtos	infeſtos
143	*in margine*	fœdere	fœdera
146	*in margine*	obit	abit
163	3	effactum	effatum
201	26	Carrhaginem	Carthaginem
227	25	Tyrannns	Tyrannus
213	6	qnatuor	quatuor
236	23	tæntum	tantnm
238	1	dum	cundum
	8	expugnarnnt	expugnarunt
253	*in margine*	legtor	legatos
	in margine	Rommanos	Romanos
261	35	coufuſi	conſuſi
	36	excicati	excitati
262	14	prerogatum	prorogatum
	49	facta	facto
269	29	feminæ	femine
371	4	bsllum	bellum
	52	ſubſterſus	ſubverſus
272	2	vaſa aurea	vaſe aureo
		& vinoria vaſa	& vinario vaſe
	3	excavata, candelabra	excavato candelabro
		pretioſiſſima	pretioſiſſimo
	4	elaborata	elaborato
	8	cuntendebat	contendebat
	47	Pharſelino	Pharſalico
273	7	hùc	hìc
326	*ultima*	Imperntoris	Imperatoris
328	8	civs	cives
331	34	ditinni	ditioni
	37	præfuit	præfecit
334	40	Græcps	Græcos
338	*in margine*	Langobardi	Langobardis
375	11	Mehdiam	Mahdiam
379	31	ſnppetiis	ſuppetiis
380	1	tribus	arcibus
382	4	TTERTIUM	QUARTUM
396	*ultima*	immemorem	immemores

Digitized by Google

Vita Nova
di M. Sillitti
Latina-
1976

Digitized by Google